THEOLOGIA

SCHOLASTICO-DOGMATICA

JUXTA MENTEM

D. THOMÆ AQUINATIS

AD USUM DISCIPULORUM

EJUSDEM ANGELICI PRÆCEPTORIS

ACCOMMODATA

PER F. VINCENTIUM LUDOVICUM GOTTI

Bononiensem, Ordinis Prædicatorum, in Patria Universitate Controversiarum Fidei Professorem

NUNC

SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALEM.

TOMUS I. IN SECUNDAM SECUNDÆ PARTIS

ORDINE DECIMUS

De Fide Theologica; de Infidelitate; de Spe Theologica; & de Caritate.

NIHIL MIHI

BONONIÆ M.DCC.XXXI.

Ex Typographia Bononiensi Sancti Thomæ Aquinatis.

SUPERIORUM PERMISSU.

CATALOGUS

Eorum, quæ hic Primus Tomus in Secundam Secundæ, ordine Decimus, complectitur.

TRACTATUS DE FIDE THEOLOGICA.

QUÆSTIO PRIMA.

De Natura Fidei Divinæ.

DUBIUM PRIMUM.

Quodnam sit Objectum Fidei Divinæ?

§. I. *Resolutiones Dubii.* pag. 2.
§. II. *Objectiones contra Præfatas Resolutiones.* 4

DUBIUM SECUNDUM.

An Ultima Resolutio Assensus Fidei unicè fiat in Divinum Testimonium: An verò etiam in Aliquid Aliud?

§. I. *Non Fieri in Humanum Ratiocinium.* 7.
§. II. *Non fieri in Solam Sacram Scripturam.* 9.
§. III. *Non fieri in Spiritum Particularem, seu Privatum.* 10.
§. IV. *An fiat in Propositionem Ecclesiæ?* 12.
§. V. *Objectiones contra duas ultimas Assertiones.* 14.

DUBIUM TERTIUM.

An Revelatio Privata faciat, Objectum Revelatum esse credendum Fide Theologica?

§. I. *Explicatio Dubii.* 16.
§. II. *Resolutio.* 17.

DUBIUM QUARTUM.

An Assensus Fidei sit Complexus, & an Discursivus?

§. I. *Resolvitur Prima Pars.* 19.
§. II. *Resolvitur Secunda Pars.* 20.

DUBIUM QUINTUM.

An Fidei Infusæ possit per se, sive per accidens, subesse Falsum?

§. I. *Prioris Partis Resolutio.* 22.
§. II. *Posterioris Partis Resolutio.* ibid.
§. III. *Objectiones contra Posteriorem Partem.* 23.

DUBIUM SEXTUM.

An Deus in Se, vel in Natura Assumtâ possit Mentiri, aut dicere Falsum?

§. I. *Explicatur Dubium.* 26.
§. II. *Prima Assertio Catholica.* 27.
§. III. *Secunda Assertio.* 29.
§. IV. *An Deus possit Mentiri, vel dicere Falsum per suos Ministros?* 30.
§. V. *An Deus uti possit Verbis Æquivocis, & Amphibologicis in alio Sensu, quàm ab Auditoribus intelligantur?* 31.
§. VI. *An Falsa Doctrina possit à Deo Confirmari Miraculis Veris?* 33.

DU-

DUBIUM SEPTIMUM.

An Objectum Fidei debeat esse Obscurum, ita ut non possit esse Visum, aut evidenter Cognitum?

§. I. *Resolutiones Dubii.* 35.
§. II. *Objectorum Solutio.* 37.

DUBIUM OCTAVUM.

Utrum Mysteria Fidei Divinæ sint evidenter Credibilia?

§. I. *Resolutio Dubii.* 41.
§. II. *Motiva Credibilitatis Afferuntur.* 43.
§. III. *A quo Principio procedat Assensus Credibilitatis Mysteriorum Fidei.* 48.

DUBIUM NONUM.

An Articuli Fidei progressu Temporis creverint?

§. I. *Aliqua Prænotantur.* 49.
§. II. *Resolutio Dubii.* 50.
§. III. *Solutio Objectionum.* 52.

DUBIUM DECIMUM.

De Symbolis Fidei.

§. I. *Quædam Prænotantur.* 55.
§. II. *De Symbolo Apostolorum.* 56.
§. III. *De Symbolo Nicæno.* 59.
§. IV. *De Symbolo Constantinopolitano.* 60.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Actu Interno Fidei, ejusque Necessitate.

DU-

DUBIUM PRIMUM.

An ad Actu Credendum requiratur Pia Affectio Voluntatis?

§. I.	*Quid sit Credere, & Quotuplex.*	65.
§. II.	*Resolutio Dubii.*	66.
§. III.	*Respondetur Objectionibus.*	67.
§. IV.	*Aliqua pro Pleniori Notitia Piæ Affectionis.*	68.

DUBIUM SECUNDUM.

An ad Justificationem, & Glorificationem sit necessaria Fides necessitate Medii, & qualis Fides?

§. I.	*Resolutio Primæ Partis.*	70.
§. II.	*Solutio Objectionum.*	71.
§. III.	*Resolutio Secundæ Partis.*	73.

DUBIUM TERTIUM.

Quæ Credibilia Necessitate Præcepti Credenda sint Explicitè?

§. I.	*Certa Præmittuntur.*	75.
§. II.	*Resolutiones Dubii.*	76.
§. III.	*Aliqua Obstantia Proponuntur.*	78.

DUBIUM QUARTUM.

An aliquorum Credibilium Fides Explicita Necessaria sit Necessitate Medii?

§. I.	*Sententia Negans, ejusque Fundamenta.*	80.
§. II.	*Sententia Affirmans præfertur.*	81.
§. III.	*Respondetur Fundamentis Sententiæ Negantis.*	83.

DUBIUM QUINTUM.

An Actus Fidei Theologicæ possit esse Moraliter Malus ex depravata Intentione Finis inhonesti?

§. I. *Resolutio Dubii.* 86.
§. II. *Fundamenta Contraria.* 87.

QUÆSTIO TERTIA.

De Subjecto Fidei.

DUBIUM PRIMUM.

An Homo in sui Conditione, & Angeli pro Statu Viæ habuerint Fidem Theologicam?

§. I. *Quædam Referuntur.* 89.
§. II. *Resolutio Dubii.* 90.

DUBIUM SECUNDUM.

An in Dæmonibus, & Damnatis, Animabus in Purgatorio existentibus, & tandem in Beatis sit Fides Theologica?

§. I. *De Dæmonibus, & Damnatis.* 92.
§. II. *De his, qui olim fuerunt in Limbo, & modò sunt in Purgatorio.* 94.
§. III *De Beatis.* ibid.

DUBIUM TERTIUM.

An in Hæretico Discredente unum Articulum Fidei maneat Fides Theologica circa Alios, quos credit?

§. I. *Resolutio Dubii.* 96.
§. II. *Occurritur Fundamentis Contrariis.* 98.

DU-

DUBIUM QUARTUM.

An in Peccatore Maneat Fides Informis?

§. I. *An detur Fides Informis, & quid sit?* 101.
§. II. *Resolutio Dubii.* 104.

QUÆSTIO QUARTA.

De Actu Externo Fidei.

DUBIUM PRIMUM.

An Confessio Exterior Fidei sit Actus Elicitus à Fide?

§. I. *Resolutio Dubii.* 105.
§. II. *Solvuntur Argumenta Contraria.* ibid.

DUBIUM SECUNDUM.

An detur Præceptum de Confirenda Exteriùs Fide?

§. I. *Existentia Præcepti Affirmativi.* 107.
§. II. *Tempus Obligationis Præcepti.* 108.
§. III. *De Præcepto Negativo.* 110.

DUBIUM TERTIUM.

An Liceat aliquando Verbo, vel Facto Negare Fidem?

§. I. *Resolutio Dubii.* 112.
§. II. *Hæreticorum Momenta.* 113.
§. III. *An Fidelis interrogatus ab habente Privatam Auctoritatem possit Fidem negare?* 115.
§. IV. *An pejus sit Exteriùs negare Fidem Verbis, an Facto?* 116.
§. V. *An qui Verbo, vel Facto negavit Fidem exteriùs, eâ interiùs corde retentâ, subjiciatur Ecclesiasticis Censuris contra Infideles latis?* ibid.

DUBIUM QUARTUM.

An liceat Occultare Fidem, simulando Actiones Protestativas Falsæ, ac Damnatæ Sectæ?

§. I.	*Præmittuntur Opiniones*	118.
§. II.	*Resolutio Dubii.*	ibid.
§. III.	*Contrariis Satisfit.*	120.

DUBIUM QUINTUM.

An liceat Viro Christiano in Terris Infidelium uti Signo, aut Veste Protestativâ, vel Distinctivâ eorum Sectæ?

§. I.	*Quædam supponuntur.*	124.
§. II.	*Resolutio Dubii.*	126.
§. III.	*Solvuntur Contraria.*	127.
§. IV.	*An Liceat Fideli ad Fidem occultandam vesci coram Infidelibus Cibis Prohibitis?*	128.
§. V.	*An liceat Christiano inter Turcas commoranti, Nomina Turcica sibi imponere?*	131.

DUBIUM SEXTUM.

An liceat Fidelibus, & Catholicis adire Templa Infidelium, & Hæreticorum?

§. I.	*Quædam prænotantur.*	134.
§. II.	*Resolutio Dubii.*	135.
§. III.	*Respondetur Contrariis.*	136.

DUBIUM SEPTIMUM.

Resolvuntur Casus circa Præsentem Materiam.

§. I.	*Tres Casus.*	137.
§. II.	*Alii Casus.*	138.
§. III.	*Alii Casus Prosequuntur.*	141.

DUBIUM OCTAVUM.

An in Persecutione contra Fidem licitum sit, ad vitandam Mortem, Fugam Arripere?

§. I. *Resolutiones Dubii.* 144.
§. II. *Respondetur Objectionibus.* 146.

TRACTATUS

DE INFIDELITATE.

QUÆSTIO PRIMA.

Infidelitas Quid sit, & Quotuplex.

DUBIUM PRIMUM.

An Infidelitas Negativa sit Peccatum?

§. I. *Resolutio Dubii.* 149.
§. II. *Solutio Argumentorum.* 150.

DUBIUM SECUNDUM.

An Infidelitas Privativa sit Peccatum?

§. I. *Resolutio Dubii.* 152.
§. II. *Satisfit Objectis.* ibid.

DUBIUM TERTIUM.

Quot sint Species Infidelitatis, & Quæ?

§. I. *Resolutio Dubii.* 155.
§. II. *Solvuntur Objectiones.* 157.
§. III. *Aliqua Quæsita.* 159.

DUBIUM QUARTUM.

Ad quam Speciem Infidelitatis pertineant Antichristianismus, & Apostasia à Fide.

§. I. *De Antichristianismo.* 161.
§. II. *De Apostasia à Fide.* 162.

DUBIUM QUINTUM.

Quid sit Apostasia à Religione, & ab Ordine; & Quomodo contingat.

§. I. *De Apostasia à Religione.* 165.
§. II. *De Apostasia ab Ordine.* 166.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Schismate.

DUBIUM PRIMUM.

Quid sit Schisma.

§. I. *Quædam prænotantur.* 169.
§. II. *Resolvitur Dubium.* 171.

DUBIUM SECUNDUM.

Varia circa Schisma Examinantur.

§. I. *An in Schismatico maneat Spiritualis Potestas?* 174.
§. II. *An Schismaticus ipso Facto amittat Potestatem?* 175.
§. III. *De Pœnis contra Schismaticos.* 177.

QUÆSTIO TERTIA.

De Fidelibus comparatè ad Infideles.

DUBIUM PRIMUM.
An liceat Fidelibus cum Infidelibus Disputare?

§. I. *Mens Sancti Thomæ.* 178.
§. II. *Quædam Notantur ex parte Disputantium.* 180.
§. III. *Ulteriora Dubia ex parte Disputantium, & etiam ex parte Audientium.* 182.

DUBIUM SECUNDUM.

In quibus possint Fideles cum Infidelibus Communicare.

§. I. *Præmittuntur Certa.* 184.
§. II. *In quibus vetent, Communicare Fideles cum Infidelibus.* 186.
§. III. *De Contractibus inter Fideles, & Infideles.* 189.

DUBIUM TERTIUM.

Quale Crimen, & quales Pœnas incurrant Fideles cum Infidelibus Communicantes.

§. I. *De Communicantibus cum non Baptizatis.* 195.
§. II. *De Communicantibus cum Hæreticis, & Apostatis.* 197.

QUÆSTIO QUARTA.

De Compulsione Infidelium ad Fidem.

DUBIUM PRIMUM.
An Infideles, qui Fidem Christianam nunquam susceperunt; Subditi tamen sunt Principibus Christianis, possint Compelli ad Fidem?

§. I. *Resolutio Dubii.* 199.
§. II. *Rationes Contrariæ.* 201.

§. III.

§. III. *An Infideles Subditi Christianis compelli possint ad observandam Legem Naturæ?* 205.

DUBIUM SECUNDUM.

De Infidelibus non Subditis.

§. I. *An Ecclesia Potestatem habet eos compellendi ad Fidem &c.* 207.
§. II. *An ob Infidelitatem possint Infideles Spoliari suis Bonis, & Dominio?* 208.
§. III. *Alia Dubia solvuntur.* 211.

DUBIUM TERTIUM.

An Hæretici sint compellendi ad Fidem?

§. I. *Sancti Augustini Mens.* 213.
§. II. *Resolutio Dubii.* 214.

TRACTATUS

DE SPE THEOLOGICA.

QUÆSTIO PRIMA.

De Spe Quoad ejus Essentiam.

DUBIUM PRIMUM.

An Spes inter Virtutes Theologicas sit Recensenda?

§. I. *Prior Resolutio.* 216.
§. II. *Resolutio Posterior.* 219.

DUBIUM SECUNDUM.

Quodnam ſit Objectum Spei.

§. I. *Reſolvitur de Objecto Immediato* Quod. 220.
§. II. *Reſolvitur de Objecto Formali* Quo. 222.
§. III. *Quæſita aliqua Proponuntur.* 224.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Subjecto Spei.

DUBIUM PRIMUM.

An in Beatis ſit Spes: & An fuerit in Chriſto?

§. I. *Quædam Supponuntur.* 227.
§. II. *Reſolvitur de Beatis.* ibid.
§. III. *Reſolvitur de Christo Domino.* 229.

DUBIUM SECUNDUM.

An in Damnatis, & Animabus, quæ fuerunt in Limbo, & modò ſunt in Purgatorio, ſit Spes Theologica?

§. I. *Reſolvitur de Damnatis.* 230.
§. II. *De Animabus olim in Limbo, & nunc in Purgatorio exiſtentibus.* 231.

DUBIUM TERTIUM.

In quibus ſit Spes in hac Vita: & An ſit Certa?

§. I. *Reſolutio Prioris Partis.* 232.
§. II. *Quali Certitudine gaudeat Spes.* 233.

DU-

DUBIUM QUARTUM.

An ille, cui facta esset Revelatio de propria Damnatione, posset adhuc, & teneretur, suam sperare Beatitudinem Spe Theologicâ ?

§. I.	*Præmittuntur scitu Necessaria.*	235.
§. II.	*Resolvitur Dubium.*	236.
§. III.	*Solvuntur Opposita.*	237.
§. IV.	*De Desperatione.*	240.

TRACTATUS

DE CARITATE.

QUÆSTIO PRIMA:

De Caritate secundùm Essentiam.

DUBIUM PRIMUM.

An Caritas sit Vera Amicitia inter Deum, & Hominem ?

§. I.	*Resolvitur Dubium.*	243.
§. II.	*Contrariis Respondetur.*	244.

DUBIUM SECUNDUM.

An Caritas sit aliquid Creatum in Anima ?

§. I.	*Statuitur Veritas.*	247.
§. II.	*Solvuntur Argumenta.*	249.

DUBIUM TERTIUM.

Quodnam sit Objectum Formale Caritatis ?

§. I.	*Resolutiones Dubii.*	251.

§. II.

§. II. *Respondetur Contrariis.* 252.
§. III. *An eadem sit Caritas, quâ diligitur Deus, & quâ diligitur Proximus propter Deum?* 254.

DUBIUM QUARTUM.

Quænam sint Objecta Materialia Caritatis.

§. I. *De Dilectione Sui ipsius.* 255.
§. II. *De Dilectione Proximi.* 258.

DUBIUM QUINTUM.

An Inimici sint ex Caritate diligendi?

§. I. *Prior Resolutio.* 260.
§. II. *De Dilectione Inimicorum in Lege Veteri, & Naturali.* 262.
§. III. *An sit de Necessitate Caritatis, quòd Aliquis signa, & effectus Dilectionis Inimico exhibeat?* 265.

DUBIUM SEXTUM.

An sit magis Meritorium Diligere Inimicum, quàm Amicum?

§. I. *Resolutio Dubii.* 269.
§. II. *Solutio Contrariorum.* 270.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Qualitate, Acquisitione, & Augmento Caritatis.

DUBIUM PRIMUM.

An Caritas sit Excellentissima Virtutum?

§. I. *Opinionum Varietas.* 274.
§. II. *Resolutio Dubii.* ibid.
§. III. *Respondetur Contrariis.* 276.

DUBIUM SECUNDUM.

An Caritas Acquiratur per Infusionem?

§. I. *Resolutio Dubii.* 277.
§. II. *An Caritas Infundatur secundùm Capacitatem Naturalium?* 279.

DUBIUM TERTIUM.

An Caritas possit Augeri; & Quomodo hoc fiat?

§. I. *Resolvitur Prior Pars.* 281.
§. II. *Aliæ Resolutiones de Modo Augmenti.* 283.

DUBIUM QUARTUM.

An Quolibet Actu Caritatis, etiam Remisso, Caritas Augeatur: & An Statim?

§. I. *Resolutio Dubii.* 286.
§. II. *Ex Prælaudata S. Thom. Doctrinâ aliqua Resolvuntur.* 287.

QUÆSTIO TERTIA.

De Necessitate, & Ordine Caritatis.

DUBIUM PRIMUM.

Utrum detur Speciale Præceptum Caritatis.

§. I. *Quid in hac Re senserint Aliqui.* 291.
§. II. *Resolutio Dubii.* 292.
§. III. *Solutio Objectionum.* 293.
§. IV. *Quando Urgeat Obligatio Præcepti Dilectionis Dei.* 295.

DUBIUM SECUNDUM.

An hoc Præceptum Dilectionis Dei in hac Viâ possit Impleri?

§. I. *Resolutio Dubii.* 298.
§. II. *Sectariorum Fundamenta.* 300.

DUBIUM TERTIUM.

An Ordo Caritatis cadat sub Præcepto, & qualis sit iste Ordo?

§. I. *Resolutio Prioris Partis.* 302.
§. II. *Qualis in Dilectione Dei, & Sui tenendus sit Ordo.* 304.
§. III. *De Amore Sui comparatè ad Bonum Proximi.* 306.

DUBIUM QUARTUM.

Quænam sit Ordinata Proximorum ex Caritate Dilectio?

§. I. *An unus Proximus sit magis Diligendus, quàm alius?* 311.
§. II. *Utrum ex Proximis sint Magis diligendi Meliores, quàm Nobis Conjunctiores?* 312.
§. III. *Qualis sit tenendus Ordo dilectionis inter Conjunctos?* 314.

DUBIUM QUINTUM.

De Eleemosyna ejusque Obligatione.

§. I. *Eleemosyna quid sit, & Quotuplex?* 319.
§. II. *An Eleemosyna sit in Præcepto?* 321.
§. III. *De quo Eleemosyna facienda sit, & quo Tempore Obliget?* 323.
§. IV. *Quinam possint Eleemosynam Facere?* 326.

Vidit

Vidit D. Auguſtinus Maria Alfieri Clericus Regularis Sancti Pauli, & in Eccleſia Metropolitanâ Bononiæ Pœnitentiarius pro Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino D. Cardinali Jacobo Boncompagno, Epiſcopo Albanenſi, Archiepiſcopo Bononiæ, ac Sacri Romani Imperii Principe.

Die 17. Februarii 1731.

Attentâ præmiſsâ Relatione

IMPRIMATUR.

Fr. Joſeph Ludovicus de Andujar Inquiſitor Generalis Sancti Officii Bononiæ.

THEOLOGIÆ SCHOLASTICO-DOGMATICÆ.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

Virtutes Theologicæ dicuntur illæ, quæ immediatè respiciunt Deum, pro ut humanam, & naturalem superat cognitionem. Et propterea non nostris actibus acquiruntur, sed à Deo solo infunduntur; & earum notitia, non humano ratiocinio, sed Sacræ Scripturæ magisterio comparatur, & hominem Christianum à non Christiano distinguunt. Tres autem communiter numerantur: *Fides, Spes, & Caritas*. Has ergo investigandas cum S. Thoma 2. 2. *à qu.* 1. *ad* 44. suscipimus, de præcipuis quæstionibus, quæ circa eas agitari solent, sermonem instituentes. Priùs autem agemus de fide, quæ cæteris, ordine saltem generationis, præit: non enim in Deum auctorem gratiæ sperare, eumque diligere possumus, nisi illum, ut talem esse, cognoscamus, & credamus.

TRACTATUS

De Fide Theologica.

Hoc nomen *Fides* variè usurpatur. Primò fides sumitur pro fidelitate, seu veracitate, seu constantia in dictis. Unde hoc modo, secundum vocis Etymon, *Fides* nuncupatur, quòd *fiat id, quod dicitur*. Secundùm rem tamen, est dictorum, & conventorum constantia, & veritas. Ita sumitur Isaiæ 11. v. 5. *Fides cinctorium renum eius*. Et Roman. 3. v. 3. *Numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit?* In hoc sensu Deus dicitur esse fidelis, *Deuter.* 32. *v.* 4. *Psalmo* 144. *v.* 13. & 1. *Cor.* 10. *v.* 13. & apud nos, homines in dictis constantes, viri probatæ fidei nuncupantur.

Huic acceptioni annectitur alia, quâ fides pro fidelitatis objecto, vel promissione usurpatur: juxta quod, 1. *ad Timoth.* 5. *v.* 12. dicitur, quòd *primam fidem irritam fecerunt*, idest, continentiam, quam Deo promiserant, violaverunt, ut sentit August. *lib. de Sancta Virginit. cap.* 33.

Secundò. Sumitur fides pro conscientia. Sic vulgò dicitur aliquis possessor bonæ, vel malæ fidei, qui bonâ, vel malâ conscientiâ aliquid possidet. Et in hoc sensu exponitur illud Pauli, Roman. 14. v. 23. *Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est*, idest, quod non fit ex conscientiâ, & persuasione, quâ quis credit, vel existimat, esse licitum, peccatum, & illicitum est.

Tertiò. Nomen fidei tribuitur etiam fidei objecto, seu rebus creditis per fidem. Sic Theologi sæpè dicunt, fides est, Deum esse incarnatum, idest, Deum esse incarnatum, fide creditur. Et S. Athanasius in Symbolo: *Hæc est fides catholica, quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non poterit:* ubi nomine fidei sumit doctrinam, & materiam credendam per fidem. Ita etiam sumit Paulus, Rom. 1. v. 5. *Ad obediendum fidei*. Et Actor. 6. v. 7. *Multa etiam turba Sacerdotum obediebat fidei*.

Quartò. Sumitur fides pro fiducia. Eâ in hoc sensu utuntur, seu veriùs abutuntur Lutherani, & Calvinistæ, con-

contra quos in *Tract. de Justific.* egimus; dum aiunt, nos justificari per fidem, idest, fiduciam, quâ confidimus, nobis remitti peccata per Christum. Hæc tamen fidei acceptio licèt in casu, quo eâ utuntur hæretici, rejicienda sit; absolutè tamen admittenda est, tanquam effectus fidei, imò & spei: ex eo enim, quòd Deo credimus, & in eum speramus, nascitur fiducia in ipsum, ut suo loco diximus.

Quintò. Sumitur fides pro habitu, quo inclinamur ad assentiendum, vel actu, quo assentimur dicto alterius, ejus auctoritate moti. Et si quidem assentiamur ob auctoritatem humanam, fides humana vocatur: si verò propter divinam, divina, christiana, catholica, & theologica. Et in hoc sensu Christiani catholici fideles nuncupantur, quia credunt, Deum esse fidelem, ac veracem in suis dictis. Et de fide hoc modo accepta in præsenti Tractatu agendum est: partim, ut significat habitum, quomodo Tridentina Synodus, *Seff. 6. cap. 7.* docet, fidem infundi: partim, ut significat actum; nomine enim habitus actum vocitari consuevisse, dicit S. Thom. 1. 2. *q.* 55. *a.* 1. *ad* 1.

Hinc ergo divinam, & theologicam fidem sic definivit Apostolus, Hebræor. 11. v. 1. *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Quam definitionem acutè explicat S. Thom. hîc 2. 2. *q.* 4. *a.* 1. dicens: fidem vocari *argumentum*, idest, firmam adhæsionem rebus non apparentibus; *quia scilicet, per auctoritatem divinam intellectus credentis convincitur ad assentiendum his, quæ non videt.* Inde subjungit: *Si quis ergo in formam definitionis hujusmodi verba reducere velit, potest dicere: quòd fides est habitus mentis, quo inchoatur vita æterna in nobis, faciens, intellectum assentire non apparentibus.* Ex quibus alia potest construi definitio, nempe: fides est habitus supernaturalis in intellectu infusus, quo veritatibus à Deo revelatis assensum præstamus. De hac ergo sit

QUÆSTIO I.

De Natura Fidei Divinæ.

NAturam fidei divinæ, ut dicit habitum, præsens quæstio investigabit, quod per sequentia præstabimus.

DUBIUM I.

Quodnam sit Objectum Fidei Divinæ?

§. I.

Resolutiones Dubii.

I. SIcut in objecto cujuslibet scientiæ, vel habitus tria consideramus, nempe, rationem formalem *quæ*, seu objectum formale *quod*, idest, subjectum, de quo agit primò, & per se, & de aliis, ut ordinantur ad ipsum: insuper rationem formalem, *sub qua*, vel *quâ* mediante procedit ad objectum formale *quod* attingendum: vel tandem objecta materialia, seu particularia, quæ considerat. Quod explicari potest in medicina: cujus objectum formale *quod* est sanitas, quia de ea agit, & omnia alia ad eam ordinat. Objectum formale *quo*, seu sub quo sunt media, seu principia, per quæ ad suas conclusiones statuendas procedit. Objecta verò materialia sunt conclusiones particulares, quas per talia media cognoscit. Ita proportione servata de fide dicendum est.

II. Dico primò. Objectum formale *quod*, seu ratio, *quæ* à fide primò, & per se creditur, est Deus ut Deus, & ut in se prima veritas excedens rationem naturalem. Unde S. Tho. q. 14. de Verit. a. 8. ad 16. *Pro tanto* (inquit) *veritas prima dicitur esse fidei objectum, quia de ea est fides.* Ex quo formatur ratio. Illud est obje-

ctum formale *quod*, sive subjectum habitus cognoscitivi, de quo principaliter agit ille habitus, & ad quod omnia alia refert: sed omnia ea, quæ à fide cognoscuntur, & creduntur, vel sunt Deus, vel aliquid ad Deum conducens: quare Sanctus Thomas hîc 2. 2. *q.* 1. *a.* 1. *ad* 1. dicit: *Quòd ea, quæ pertinent ad humanitatem Christi, & ad Sacramenta Ecclesiæ, vel ad quascumque creaturas, cadunt sub fide; inquantùm per hæc ordinamur ad Deum, & eis etiam assentimus propter divinam veritatem; ergo &c.* Cùm enim fides resideat in intellectu, cujus objectum est verum, sicut objectum voluntatis est bonum: ideo sicut caritas, quia residet in voluntate, habet pro objecto *quod* Deum, ut summum bonum; ita fides habebit pro objecto *quod* Deum, ut in se primum verum.

III. Dico secundò. Objectum formale, *sub quo* fidei, seu ratio formalis credendi est Deus, ut prima veritas in dicendo, seu revelando ea, quæ non apparent. *Non enim* (inquit S. Th. hoc a. 1.) *fides, de qua loquimur, assentit alicui, nisi quia est à Deo revelatum. Unde ipsi veritati divinæ fides innititur, tanquam medio.* Et *q.* 14. *de Verit. a.* 8. *ad* 16. ait: *Nec tamen oportet, quòd quodlibet enunciabile, de Deo formatum, sit credibile: sed illud solum, de quo veritas divina testificatur. Sicut etiam corpus mobile est subjectum naturalis Philosophiæ: nec tamen omnia enunciabilia, quæ de corpore mobili possunt formari, sunt scibilia; sed illa solùm, quæ ex principiis naturalis Philosophiæ manifestantur. Ipsum autem testimonium veritatis primæ se habet in fide, ut principium in scientiis demonstrativis.*

IV. Ex his conficitur ratio. Illud est ratio formalis, sub qua credendi, quod est medium, & causa assensus: sed medium, & causa assentiendi rebus fidei est veritas, seu veracitas prima revelans, & testificans; omnis namque fides innititur testimonio, & auctoritati dicentis: ideo enim alicui credimus, non quia est justus, non quia sapiens, non quia doctus, sed quia verax; ergo id, cui tanquam medio fides christiana innititur, est auctoritas Dei tanquam veracis, seu quia prima veritas in dicendo. Et propterea Sanctus Paulus, ut induceret Galatas ad credendum firmiter Evangelio, quod eis prædicabat, ait cap. 1. v. 12. *Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi.* Quia, ut dicitur 1. Joann. 5. v. 9. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est:* quibus intendebat S. Joannes inducere homines ad credendum, Christum esse Filium Dei, quia hoc testificatur Deus. Quo etiam medio utebatur Christus, ut moveret Pharisæos ad credendum, se esse Filium Dei, *Joan.* 8.

V. Adverto tamen: quòd in hoc complexo prima veritas, seu veracitas in dicendo, seu revelando, duo sunt; nimirùm, prima veracitas, & locutio, seu revelatio. Ratio igitur, seu formale motivum credendi, non est exterior locutio, & revelatio, sed ipsa divina veracitas. Licèt enim non credamus alicui, nisi nobis loquatur, vel revelet aliquid secretum; non tamen ideo ei credimus, quia loquitur, vel revelat; sed quia existimamus, ipsum esse veracem in dictis suis: quòd si eum existimaremus, non esse veracem, ejus dictis fidem non haberemus. Igitur revelatio, & locutio est quidem conditio nobis applicans veracitatem Dei, & sinè quâ credere non possemus: quomodo enim credere possemus Incarnationem, nisi Deus eam nobis revelasset? Ratio tamen, quare eam credimus, est, quia Deus in revelando est verax, imò prima veracitas.

VI. Dico tertiò. Materiale fidei objectum principaliter quidem est Deus, secundariò autem quidquid à Deo revelatur. Ita S. Thom. hoc *a.* 1. his verbis; *Si verò consideremus ma-*

 teria-

terialiter ea, quibus fides assentit, non solùm est ipse Deus, sed etiam multa alia; quæ tamen sub assensu fidei non cadunt, nisi secundùm quod habent aliquem ordinem ad Deum; Et citatâ Q. 14. *de Verit. a. 8. in c.* ait: *Veritas autem divinæ cognitionis hoc modo se habet, quòd primò, & principaliter est ipsius rei increatæ, creaturarum verò quodammodo consequenter; inquantùm quidem cognoscendo seipsum, omnia alia cognoscit. Et ita fides, quæ hominem divinæ cognitioni conjungit per assensum, ipsum Deum habet, sicut principale objectum: alia verò quæcumque, sicut consequenter adjuncta.*

§. I I.

Objectiones contra Præfatas Resolutiones.

VII. Contra primam Resolutionem objici potest. Idem est objectum formale *quod* fidei, ac finis ejus: sed finis fidei non est solus Deus, sed etiam Christus, juxta illud, Rom. 10. v. 4. *Finis enim legis Christus ad justitiam omni credenti*. Insuper salus nostra 1. Petri 1. v. 9. *Reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum*.

Rursus: multa etiam fide divinâ credere tenemur, quæ non sunt Deus, nimirum, omnia mysteria ipsum concernentia, quæ non sunt prima veritas; ergo &c.

VIII. Respondeo, Christum ut hominem, & salutem nostram esse finem fidei, non ultimum, sed intermedium; solum autem Deum esse finem ultimum, juxta illud, 1. Cor. 3. v. 22. & 23. *Omnia enim vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei*. Unde solus Deus erit objectum formale primarium fidei.

Ex his respondeo ad id, quod additur. Ut enim in tertia Assertione diximus, ea, quæ fide credimus, & in recto non sunt Deus, sunt objecta fidei solùm materialia, & secundaria: quatenus per ea manuducimur ad Deum cognoscendum auctorem gratiæ, & ad eum ut talem ordinamur: unde solus Deus est objectum formale, ratione cujus, & per ordinem ad quem omnia credimus.

IX. Objiciunt primò contra secundam Assertionem. Illa est prima ratio formalis, *sub qua* credendi, in quam ultimò resolvitur assensus fidei: sed hic ultimò non resolvitur in primam veritatem in dicendo; ergo &c. Min. prob. si quis interrogetur, cur credat Mysterium Trinitatis, benè quidem respondebit: quia hoc dicit Deus, qui est prima veritas in dicendo. Verum si ulterius interrogetur: cur Deus est prima veritas in dicendo? Non aliter satisfacere poterit, nisi respondendo, quia Deus est; ergo &c.

Secundò probatur min. In id ultimò resolvitur assensus fidei, ex quo ultimò habet infallibilitatem: sed infallibilitas fidei divinæ non resolvitur ultimò in primam veritatem in dicendo, nisi addatur prima veritas in cognoscendo: ut enim assensus sit infallibilis non sufficit, ut sit certus, eum, qui loquitur, non posse eum fallere, dum loquitur; sed insuper non posse falli in cognitione, seu quòd sit prima veritas, nedum in dicendo, sed etiam in cognoscendo. Nisi enim certi essemus, Deum nedum non posse nos fallere, dum loquitur, sed nec posse falli in se, dum cognoscit, fidem indubiam ei non præberemus. Sicut nec præberemus homini justo, & simplici, quem esto moraliter certi simus, nos non fallere; formidamus tamen, ne ipse in sua cognitione fallatur.

X. Respondeo, dist. maj. In quam ultimò resolvitur, ut in causam immediatam assensus, con. maj. Ut in causam essendi, nego maj. & similiter distinctâ min. nego conf. Ad probat. min. dico, quòd etsi Deitas sit id, in quod actus credendi resolvitur, tanquam in ultimam causam essendi; non sequitur, quòd in eamdem resolvi debeat, tanquam in causam assentiendi. Nam Deitas secundùm nostrum mo-

dum

dum intelligendi est quidem ratio, cur Deus sit verax; non est tamen ratio, cur Deo revelanti nos assentiamus. Unde si quis inter rogetur, cur aliter credit, rectè dicet: quia est verax; licèt interim illa ejus veracitas habeat suas causas: ideo enim est verax, quia sapiens, quia circumspectus. Verùm hæ causæ non sunt causæ assensus, sive actus credendi; sed tantùm ipsius rei, seu veracitatis. Quapropter dum quis interrogatus, quare credat? Respondet: quia Deus, qui prima veritas est in dicendo, hoc dicit; respondet ut Fidelis, quia assignat causam sui assensus. Dum verò iterum interrogatus, cur Deus sit prima veritas in dicendo, respondet: quia Deus est; jam non respondet, ut Fidelis, sed ut Theologus, qui ad probandam esse in Deo summam veracitatem, assumit pro medio Deitatem.

XI. Ex his ad secundam probat. min. eâdem distinctione respondeo. In eo enim ultimò sistit assensus fidei, quod est causa immediata, cur quis assentiatur: hæc autem est sola prima veritas in dicendo. Hæc enim ex sua lineâ dicit conformitatem cum objecto, non solùm ut est in mente dicentis, sed ut est in re: aliàs prima veritas in dicendo non esset. Et ideò quamvis præsupponatur, quòd Deus non possit decipi in sua cognitione; tamen ad causandam fidem in nobis, sola prima veritas in dicendo concurrit. Quare est disparitas inter testimonium humanum, & divinum in ordine ad causandam fidem. Quia enim homo non est prima veritas in dicendo, ipsi dicenti certò non credimus; nisi aliunde certi simus, quòd non solùm dicat, quod sentit, sed etiam dicat, quod est: ideoque recurrimus non solùm ad ejus veracitatem, sed ad sapientiam. At Deus, qui est prima veritas in dicendo, statim ac dicit, scimus, quòd dicit rem, & ut sentit, & ut revera est. Et ideo licèt ejus sapientia in cognoscendo requiratur; non requiritur tamen, ut motivum inducens nos ad credendum, sed ut quid præsuppositum ad fidem. Quamvis etiam dici posset, unicam causam, cur testimonio humano assensum præstemus, esse veracitatem dicentis; quòd autem ejus veracitas habeat suam causam, nempe, sapientiam, requiritur, non ut causa assensus, sed ut causa essendi ipsius veracitatis.

XII. Objiciunt secundò. Si huic veritati: *Deus est Unus, & Trinus*, assentimur, quia Deus dixit; oportet, ut huic propositioni: *Deus dixit*, assentiamur, & hoc per aliam revelationem, alioquin non assentiremur per fidem: huic autem revelationi per aliam, & sic in infinitum.

XIII. Respondeo, neg. assumtum. Cùm enim huic articulo: *Deus est unus, & Trinus*, homo assentitur, quia Deus dixit, eodem assensu assentitur etiam huic: *Deus dixit*. Nam *divinum testimonium, sicut & cognitio, primò, & principaliter est de se ipso, & consequenter de aliis*, *Joann.* 8. *Ego testimonium perhibeo de me ipso* (ut ait S. Tho. *qu.* 14. *de Verit. a.* 8. *ad* 2.) Eo proportionali modo, quo lux est ratio manifestandi seipsam, & consequenter alia. Unde sicut ut videamus lucem non egemus aliâ luce: ita neque ut assentiamur divinæ revelationi, aliâ revelatione egemus: sed Deus revelando aliquod mysterium, eâdem revelatione revelat, se revelare.

XIV. Objiciunt tertiò contra idem. Ratio formalis credendi debet esse intrinseca rebus creditis, sicut ratio formalis sciendi est intrinseca rebus scitis, nempe, veritas: sed divina revelatio est extrinseca rebus revelatis; ergo non est &c.

Respondeo, neg. maj. Hoc enim habet speciale assensus fidei, quòd non causatur ab intrinseca rei veritate, sicut assensus scientificus, sed à testimonio infallibili dicentis. Cùm ergo testimonium primæ veritatis sit infallibile, quamvis extrinsecum, causat assensum fidei infallibilem.

XV.

XV. Objiciunt quartò contra idem. Prima Veritas revelans est objectum specificans Theologiam, & prophetiam; ergo nequit esse objectum specificans fidem: quia virtutes specie diversæ nequeunt habere idem objectum specificum.

XVI. Respondeo dist. ant. Diverso modo, con. ant. Eodem modo, nego ant. Alio enim modo veritas revelans spectatur à fide, ac à Theologia. Fides enim respicit primam veritatem revelantem immediatè, ut formaliter, & expressè influentem in actum suum, & tanquam unicum motivum credendi. At Theologia non respicit primam veritatem revelantem, ut immediatè influentem in actum Theologicum, sed tanquam influentem immediatè in principia Theologiæ: Theologus enim, ut in 1. *p.* dictum est, ex Mysteriis revelatis, & fide creditis procedit per discursum ad inferendas conclusiones Theologicas. Unde patet, quòd revelatio formalis ad Theologiam se habet præsuppositivè, & mediatè; ad fidem autem formaliter, & immediatè, ut causa immediata assensus.

Aliter quoque divina revelatio comparatur ad prophetiam, ac ad fidem. S. Thomas Q. 14. *de Verit. a.* 8. *ad* 13. dicit, omnes propheticas revelationes ordinari ad fidem, sicut ad finem; nimirum, ad hoc, ut Deus à nobis cognoscatur per fidem. Quòd si *aliquando sit de eodem fides, & prophetia, non tamen secundùm idem. Sicut de Passione Christi fuit prophetia Antiquorum, & fides: sed prophetia quantùm ad id, quod erat in ea temporale: fides autem quantùm ad id, quod erat in ea æternum.*

Alia quoque discriminis ratio est. Nam revelatio regulans fidem, per se, & ex ratione formali debet esse obscura, & enigmatica: nam fides, ut dicemus, non debet videre, quod credit. At revelatio prophetica per se non petit obscuritatem, sed potius claram rei, quàm prædicit, visionem. Ideoque Prophetæ dicebantur *Videntes*, & prophetia vocatur *Visio* in Scripturis. Et in Christo, in quo, ratione claritatis visionis beatæ, non potuit esse fides, fuit tamen prophetia, ut docet S. Thom. 3. *p. q.* 7. *a.* 8. Quia de ratione prophetiæ est quidem, annuntiare ea, quæ procul sunt à communi sensu, vel secundùm locum, vel secundùm tempus hominum, qui ea credunt, & quibus prænuntiantur; non tamen, quòd sint procul, & obscura ipsi Prophetæ.

XVII. Objiciunt quintò contra idem. Cum Deus revelat Beatis ea, quæ per lumen gloriæ non cognoscunt, ipsi rebus sic revelatis assentiuntur eâ solâ ratione, quâ Deus revelat, & tamen non habent fidem; ergo Deus, ut revelans, non est objectum fidei.

XVIII. Respondeo, neg. conf. Quia Beati rebus sic revelatis assentiuntur per revelationem claram eis ostendentem ea, quæ revelantur: ad modum, quo, ut dicebamus, Prophetis clarè revelantur multa futura contingentia. Sic Prophetæ lumine prophetico videbant Christi Passionem temporaliter futuram, & quidem clarè. Quòd autem ille, qui passurus erat, esset Deus, hoc cognoscebant per fidem, & obscurè; & in illis erat prophetia, & fides. Fides ex ea parte, qua illi suberat aliquid æternum, quod non videbant: prophetia verò ratione temporalis, quod videbant. Beatis autem nihil obscurum est: nam & temporale clarè eis revelatur, & æternum in Deo revelante, per visionem beatam, intuentur.

Hinc benè dicit S. Thom. Q. 14. de Verit. a. 8. ad 3. *Veritas prima est objectum visionis Patriæ, ut in sua specie apparens, fidei autem, ut non apparens. Unde etsi idem re sit utriusque actus objectum, non tamen idem est ratione. Et sic objectum formaliter differens diversam speciem actus facit.*

DU-

DUBIUM II.

An Ultima Resolutio Assensus Fidei unicè fiat in Divinum Testimonium: an verò etiam in aliquid aliud.

§. I.

Non Fieri in Humanum Ratiocinium.

I. Manichæi, referente S. Augustino *l. de Utilit. credendi c. 1.* docebant, superstitiosum esse, fidem ante rationem imperare, quasi nihil credendum sit, nisi quod ratio suaserit. Hunc errorem excitasse videtur Petrus Abailardus, qui, ut narrat S. Bernardus Epist. 190. *Fidem definit æstimationem; quasi cuique in ea sentire, & loqui, quæ libeat, liceat: aut pendeant sub incerto vagis, ac in variis opinionibus nostræ fidei Sacramenta, & non magis certâ veritate subsistant.* Contra hos

II. Dico. Fidei nostræ resolutio in humanum ratiocinium, nec fit, nec fieri potest. Est de fide. Et probatur ex illo, *1. ad Cor. 2. v. 4.* ubi Paulus ait: *Et sermo meus, & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis. ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei* (v. 8.) *quam nemo Principum hujus seculi cognovit &c.* Quapropter, *2. Cor. 10. v. 5.* vult, Fideles esse *in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Nulla autem esset captivitas intellectus in obsequium Christi, & fidei, si illa tantùm crederent Fideles, ad quæ credenda ratione naturali moverentur. Unde Christus, *Matth. 16. v. 17.* Petro, qui eum confessus fuerat Filium Dei vivi, dixit: *Caro, & sanguis non revelavit tibi* (hoc est, hanc veritatem lumine, ac ratiocinio naturali intellectus non es assecutus) *sed Pater meus, qui in Cœlis est.*

III. Idem docuerunt Patres: inter quos S. Augustinus, *Serm. 51. de Verb. Domini*, nunc *Serm. 139. c. 1.* ait: *Fides enim debet præcedere intellectum, ut sit intellectus fidei præmium. Propheta enim apertissimè dixit* (Isaiæ 7. v. 9.) *Nisi credideritis, non intelligetis.* Et *Epist. 118.* aliàs *56. ad Dioscorum c. 5.* docet, quòd fides ducere debet rationem, non ratio fidem; & contrarium docere, hæreticorum mos est: *Porrò* (inquit) *illi, qui cum in unitate, atque communione catholicâ non sint, christiano tamen nomine gloriantur; coguntur adversari credentibus, & audent, imperitos quasi ratione traducere, quando maximè cum istâ medicinâ Dominus venerit, ut fidem populis imperaret. Sed hoc facere coguntur, ut dixi, quia jacere se abjectissimè sentiunt, si eorum auctoritas cum auctoritate catholica conferatur. Conantur ergo, auctoritatem stabilissimam fundatissimæ Ecclesiæ, quasi rationis nomine, & pollicitatione superare. Omnium enim hæreticorum quasi regularis est ista temeritas.* Hæc S. Augustinus. Et quidem verè. Arriani enim fidem de Filii Dei consubstantialitate ratiunculis impugnabant: Nestoriani unitatem Personæ in Christo: & moderni Acatholici fidem de reali Corporis Christi præsentiâ rationibus ex Philosophia petitis euervare conantur.

IV. Nec tamen putet quis, fidem adeo esse inimicam rationis, ut non permittat, ea, quæ dictat, ratione quoque examinari. Solum vult, quòd ratio naturalis non præcedat fidem, sed sequatur: non moveat ad credendum, non imperet fidem, sed fidei serviat tanquam ancilla. Cùm enim fides, estò sit supra rationem, rationi tamen non contrarietur, quia verum non contrariatur vero; quamvis ea, quæ dictat, non ratione, sed auctoritate dicentis credenda sint; patitur tamen, ut ostendatur, ea rationi naturali non repugnare: & sic argumento negativo fides ipsa confirmetur. Et propterea docet S. Tho. *1. p. q. 1. a. 5. ad 2.* quòd sacra doctrina *accipere potest ali-*

quid

quid à philosophicis disciplinis; non quòd ex necessitate eis indigeat, sed ad majorem manifestationem eorum, quæ in hac scientiâ traduntur. Non enim accipit sua principia ab aliis scientiis, sed immediatè à Deo, per revelationem. Et ideo non accipit ab aliis scientiis, tanquam à superioribus; sed utitur eis, tanquam inferioribus, & ancillis: sicut architectonica utuntur ministrantibus, ut civilis militari. Quòd si sacra doctrina, idest Theologia, à principiis naturalis rationis non pendet; multò minùs fides, quæ est Theologiâ superior.

V. Credendum igitur priùs est unicè ob auctoritatem Dei dicentis, quæ sola moveat ad assensum: deinde, si placet, ostendatur, ea, quæ credit, rationi naturali non repugnare. Ita S. Augustinus, *Ep.* 49. nunc 106. *ad Deo gratias Qu.* 6. hortatur, ut qui quæstiones proponit contra fidem, priùs fiat Christianus, & credat: *Ne forte eum expectat, ante librorum sanctorum finire quæstiones, priùs finiat vitam, quàm transeat de morte ad vitam .... sunt enim innumerabiles, quæ non sunt finiendæ ante fidem, ne finiatur vita sinè fide. Sed planè retenta jam fide, ad exercendam piam delectationem mentium Fidelium studiosissimè requirenda: & quod in eis eluxerit, sinè typho arrogantiæ communicandum; quod autem latuerit, sinè salutis dispendio tolerandum.* Ita se gerunt Catholici Doctores. Priùs credunt mysteria fidei: deinde quæstiones, & difficultates, quæ circa illa occurrunt, examinandas proponunt.

VI. Sed dices pro Abailardo primò. Ecclesiastici 19. v. 4. *Qui credit citò, levis corde est*; ergo priùs ex minandum est ratione id, quod proponitur, ut prudenter credatur.

Respondeo exponendo textum. Qui *credit citò* homini, conc. Deo. nego. Litteralis ergo sensus est, homini, qui fallere potest, & falli, non esse citò credendum; sed priùs explorandam qualitatem personæ, quæ loquitur: unde sermo est de fide humana, non de divina. Si enim certò constet, Deum esse, qui loquitur, qui nec fallere potest, nec falli, citò, prudenterque credendum est.

VII. Dices secundò. Beata Virgo, ut habetur *Lucæ* 1. *v.* 29. non leviter Angelo Mysterium Incarnationis credidit, sed *cogitabat, qualis esset illa salutatio*. Rursus: 1. Thessal. 5. v. 21. *Omnia autem probate; quod bonum est, tenete*. Et 1. Joann. 4. v. 1. *Probate spiritus, si ex Deo sint*.

VIII. Respondeo ad primum, B. Virginem prudenter quidem examinasse, qualis esset illa salutatio; quia primo aspectu timere poterat, an qui loquebatur esset verus, an ementitus Dei nuntius. Verùm statim ac cognovit, verbum Angeli esse verbum Dei, absque hæsitatione, & ulteriori examine credens: *Ecce* (inquit v. 38.) *Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum*. Quare, nec citiùs, nec tardiùs credidit, quàm oportuit. Et ideo fides ejus ab Elisabeth commendatur, Lucæ 1. v. 45. *Beata, quæ credidisti*. Ad alios autem textus similiter dico, non omni spiritui statim credendum, sed probandos esse spiritus, si ex Deo sint: non quando proponitur nobis credendum aliquid, quod universa, & semper tenuit Ecclesia, & certò constat, esse à spiritu Dei revelatum. Sed quando aliqui sese prophetas Dei venditantes, aliquid ex parte Dei nobis nuntiarent, præter traditam ab Apostolis doctrinam, & ab Ecclesia probatam (ut Novatores, & hæresiarchæ faciunt) ab his enim sunt exigenda suæ prætensæ divinæ missionis indicia, & signa; nempe, vel miracula, vel secretorum penetratio, vel aliud signum indicans, eos ex spiritu Dei loqui. Et de his loquebantur Paulus, & Joannes. Quæ signa à modernis Pseudoreformatoribus justè postulavimus in *Vera Ecclesia Tom.* 1. *c.* 2. *§.* 3.

IX. Dices tertiò. Si absque evidenti ratione objectis propositis credendum

dum fit, plura credi poterunt contra manifestam rationem, excusandique erunt Infideles, si plura contra rationem credant.

Respondeo, neg. sequelam. Nam in primis ea, quæ credenda per fidem proponuntur, sunt quidem supra, sed non contra rationem. Deinde licèt ratione demonstrari non possint, ostendi tamen potest, rationi non repugnare: & tandem ea esse à Deo dicta, & proinde prudentissimè credibilia, motiva plura inferiùs referenda satis ostendunt. Nihil autem horum habent Infideles, ut suos errores excusent.

§. II.

Non fieri in Solam Sacram Scripturam.

X. Lutherani, & Calvinistæ ultimam resolutionem fidei nostræ, tàm quoad propositionem credendorum, quàm quoad assensum rebus propositis, asserunt, fieri debere in solam Sacram Scripturam. Contra quos

Dico. Ultima fidei resolutio non fit in solam Sacram Scripturam. Probatur. Resolutio ultima fidei debet fieri in regulam certissimam, infallibilem, corruptioni non obnoxiam, & de qua nemo possit dubitari; si enim de regula fidei quis dubitare posset, posset etiam dubitare de fide: sed qui contendunt, ultimam resolutionem fidei esse faciendam in solam Sacram Scripturam, non assignant regulam certam, & constantem, de qua dubitari non possit; ergo &c. Min. prob. Estò certum sit, Sacram Scripturam, verè talem, esse verbum Dei: Scriptura tamen non dicit, eam, quam habemus (sive versio, sive textus sit) esse illam eamdem, quam Spiritus Sanctus dictavit Apostolis, vel Prophetis. Contrarium enim evincunt mutationes, alterationes, quæ per additionem, vel detractionem, vel transpositionem in ea contigerunt: sive malitiosè, ut ab hæreticis, sive ex ignorantia, ut ab Amanuensibus, Typographis, vel etiam Interpretibus ipsis. Quæ omnia manifestè ostendunt emendationes variæ Bibliorum à Summis Pontificibus adornatæ: quibus fortè non adhuc factum est satis, cùm plura adhuc superesse emendanda, non pauci sentiant. Tùm quia: an mutatio, seu corruptio in textu Originali contigerit, an in versione, multi ambigunt. Variantes insuper lectiones dubium relinquunt, quænam verè referat verbum Dei.

XI. Nec etiam se solâ sufficit ad dirimendas omnes, quæ circa fidem exoriri possunt, controversias, & discernendum revelata à non revelatis. Cùm enim ipsa non dicat, quinam libri sint verè canonici, ac verum Dei verbum contineant; ex ipsa solâ certitudinem habere non possumus, quinam sint ejus libri, qui nos movere possint ad assentiendum fide divinâ. Lutherani, & Calvinistæ à verbo Dei expungunt libros Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Ecclesiastici, Machabæorum. Imò ex receptis libris canonicis non solùm plures versus, sed etiam plura capita explodunt: ut ex libro *Danielis c.* 3. totum canticum trium puerorum: *Capita* 13. & 14. integra, continentia historias Susannæ, Draconis Beli, cæteris Danielis, & translationis Habacuc Prophetæ in lacum leonum, ut Danieli cibum afferret.

XII. In libris etiam, quos ut verbum Dei admittunt omnes, plures inveniuntur in speciem pugnantes textus; qui non ita facilè ex solâ Scriptura conciliari possunt. Sic, *Joann.* 10. *v.* 30. Christus dicit; *Ego, & Pater unum sumus.* Ex quo Catholici probant, Filium esse consubstantialem Patri. *Cap. autem* 14. *v.* 28. dicit: *Pater major me est.* Ex quo Ariani ostendebant, Filium non esse ejusdem naturæ, sed inferiorem Patre. Similiter ex his Christi verbis, Matth. 26. v. 26. Marci 14. v. 22. & Lucæ 22. v. 19. *Hoc est corpus meum*, probant Catholici realem Corporis Christi præsentiam in Eucharistia. At ex his aliis, Jo. 6. v. 64. *Verba, quæ ego locutus sum vobis,* spi-

ſpiritus, & vita ſunt, concludunt Calviniſtæ, Corpus Chriſti eſſe in Euchariſtia ſpiritualiter ſolùm, & figurativè.

XIII. Scio, reponere Adverſarios, textus Scripturæ, in ſpeciem pugnantes, invicem conciliari, & explicari per alios textus ejuſdem Scripturæ.

Sed contra. Quamquam non diffiteor, plures Scripturæ textus poſſe hac viâ conciliari: plurimi tamen ſunt, quorum conciliatio aliunde petenda eſt, quàm ex Scriptura ſolâ. Sicut nec omnes legis poſitivæ textus, invicem pugnantes, ex ſola lege conciliari poſſunt; niſi Judicis ſententia acceſſerit, quinam ſit verus legis ſenſus decernentis. Veniat enim Arianus, & objiciat, Filium eſſe Patre minorem, quia hoc Scriptura dicit: *Pater major me eſt*. Reſpondebit Catholicus, hoc eſſe intelligendum ſecundùm humanitatem, non ſecundùm divinitatem, & afferet textum: *Ego, & Pater unum ſumus*. Reponit Arianus, hoc eſſe intelligendum de unitate non in natura, ſed in conformitate voluntatis, & affectus, & afferet textum *Joan. 17. v. 21.* ubi Chriſtus Patrem pro diſcipulis orans: *Ut omnes* (inquit) *unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint*. Et *v. 22. Ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus*. Ubi certè de ſola unitate conformitatis in affectu ſermo eſt. Si ergo in ſola Scripturâ ſiſtamus, quodnam erit verum Dei verbum, id, quod ab Ariano contenditur, an quod à Catholico? Veniant inſuper ſimul Lutheranus, Catholicus, & Calviniſta, & afferant hæc verba: *Hoc eſt Corpus meum*; quibus exiſtentia corporis Chriſti in Euchariſtia exprimitur: Lutheranus dicet, eſſe ibi per conſubſtantiationem, Catholicus per tranſubſtantiationem, Calviniſta per figuram. Scriptura multoties conſulta, examinata fuit. Catholici, qui ſecundùm Eccleſiæ Definitionem verbum Dei intelligunt, concordes ſunt. At Lutherani, & Calviniſtæ, qui ſoli Scripturæ adhærent, adhuc invicem digladiantur; nec adhuc quænam ſit vera intelligentia, invenerunt.

XIV. Fateri igitur oportet cum S. Petro, *Ep. 2. c. 3. v. 16.* quòd in Scripturis, ſicut & in Epiſtolis Pauli: *Sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles depravant, ſicut & cæteras Scripturas ad ſuam ipſorum perditionem*; & propterea eorum ſenſum non poſſe quemlibet propriâ interpretatione invenire. Unde ibidem *c. 1. v. 19. &c.* Scripturam comparat *Quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec dies eluceſcat, & lucifer oriatur in cordibus noſtris. Hoc primùm intelligentes, quòd Scriptura propriâ interpretatione non ſit. Non enim voluntate humanâ allata eſt aliquando prophetia: ſed Spiritu Sancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines*.

XV. Nec refert dicere, Scripturam Sacram in rebus fidei ſtatuendis eſſe conſulendam: cùm Dominus Judæos ejus divinitatem in dubium revocantes, ac ipſum verè Meſſiam inficiantes, ad Scripturas remiſerit, dicens Joan. 5. v. 39. *Scrutamini Scripturas .... & illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me*.

Nam hoc non eſt contra nos. Non enim negamus, Scripturam eſſe infallibilem fidei regulam: cùm enim ſit verbum Dei ſcriptum, continens auctoritatem Dei dicentis, nulla poteſt eſſe certior regula veritatis. Sed ſolùm dicimus, Scripturam ſolam non eſſe ſufficientem regulam quoad nos, ut credenda à non credendis diſcernamus.

§. III.

Non fieri in Spiritum Particularem, ſeu Privatum.

XVI. Lutherani, & Calviniſtæ dicunt, regulam diſcernendi revelata, & credenda à non revelatis, & non credendis fide divinâ, moventem ad aſſenſum, vel diſſenſum, eſſe ſpiritum particularem, & privatum, quem vocant

cant ſpiritum diſcretionis, ſive internum motum Spiritus Sancti, cuilibet Fideli aſſiſtentem: ut ſi pio, & humili corde ad Scripturæ meditationem accedat, errare non poſſit in diſcernendo, quid ſit credendum, quidve non. Itaque volunt, Sacram Scripturam eſſe Solem ſplendidiſſimum undequaque radios diffundentem, & ſeipſum manifeſtantem: ita ut quilibet privatus homo oculos piè ad ipſam convertens, ſufficiens lumen habeat ad ejus verum ſenſum penetrandum. Nihilominus

XVII. Dico. Ultima fidei reſolutio non fit in ſpiritum diſcretionis, qui cuilibet privato Fideli adſit. Probo primò, petendo ab adverſariis: unde habent à Deo promiſſum Spiritum Sanctum cuique Fideli, etiam mulieri idiotæ, ut ei ſpecialiter aſſiſtat, ne erret in diſcernendis iis, quæ fidei ſunt? Nos, ut probemus, Spiritum Sanctum aſſiſtere ſpecialiter Eccleſiæ, ne in hoc erret, inter cætera afferimus verba Chriſti ad Petrum, Lucæ 22. v. 32. *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tù aliquando converſus confirma fratres tuos.* Si autem Spiritus Sanctus cuilibet Fideli aſſiſtit, cur pro ſolo Petro Chriſtus rogat? Si quiſque poteſt ſuo ſpiritu ea, quæ fidei ſunt, ſinè errore diſcernere, cur cæteri confirmandi erunt per Petrum?

XVIII. Dicunt, ſpiritum diſcretionis promiſſum legi 1. Cor. 2. v. 15. *Spiritualis autem judicat omnia: & ipſa à nemine judicatur.... Nos autem ſenſum Chriſti habemus.* Et 1. *Joan.* 2. *v.* 27. ubi Joannes ſic hortatur Fideles: *Et vos unctionem, quam accepiſtis ab eo, maneat in vobis. Et non neceſſe habetis, ut aliquis doceat vos: ſed ſicut unctio ejus docet vos de omnibus, & verum eſt, & non eſt mendacium. Et ſicut docuit vos, manete in eo.* Spiritum ergo unctionis habent Fideles, qui doceat ipſos, ut non egeant ab alio doceri, quo omnia judicent, & ipſi à nemine judicentur.

XIX. Sed contra. Eſtò homo verè ſpiritualis, quatenus verè agitur, ac regitur à Spritu Dei, rectè omnia judicet; & dum manet in unctione Spiritus, qui eum docuit, non egeat ab alio doceri: quis tamen certus eſt, ſe ſemper agere ut ſpiritualem, ſeu agi à divino Spiritu? Unde hanc certitudinem habet? Multi ſe à divino Spiritu agi putant, qui à Diabolico aguntur, vel ſaltem à proprio. 3. *Reg. c.* 22. Dedit Deus ſpiritum mendacii in ore omnium Prophetarum Achab, qui tamen Spiritum Dei ſe habere exiſtimabant: unde unus ex eis Michæam verum Prophetam alloquens *v.* 24. ait: *Me ne ergo dimiſit Spiritus Domini, & locutus eſt tibi?* Optimè igitur 1. *Joan.* 4. *v.* 1. monemur: *Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint.* Si igitur debemus probare, & dijudicare ſpiritum, ipſe non poteſt eſſe Judex noſter: non enim licet, judicem judicare.

Unctio verò illa, de qua idem Sanctus Joannes loquitur, non eſt ſpiritus diſcretionis, quem excogitarunt ſectarii, ſed fides ipſa, quam ab Apoſtolis docti erant: à qua monet, ne excidant, ſicut alii fecerunt; cum ipſa doceat omnia, nec ulterius egeant, ut doceantur: omnis enim doctrina, aliena ab ipſa, mendacium eſt. Unde præmiſerat, *v.* 26. *Hæc ſcripſi vobis de his, qui ſeducunt vos.* Quando ergo ſubjungit: *Non neceſſe habetis, ut aliquis doceat vos*, ſenſus eſt: ſufficienter docti eſtis ea, quæ credere debetis, ab Apoſtolis, nec oportet, ut aliam doctrinam audiatis; hæc in vobis maneat: nam omnis alia doctrina mendacium eſt. Imò ſi Fideles illi ſpiritum diſcretionis, quo dijudicare poſſent inter veram, & falſam doctrinam accepiſſent; non oportuiſſet, ut eos moneret S. Joannes, ut à falſa doctrinâ caverent, quam per ſpiritum diſcretionis noſſe poterant, & declinare.

XX. Deinde à poſteriori ſpiritum hunc diſcretionis ſic impugno. Cùm adverſi Heterodoxi in tot ſectas contra-

trariis sensibus Scripturas interpretantes, quarum unaquæque spiritum discretionis jactat, se habere; vel dicendum erit, spiritum istum sibi esse contrarium, & in una Sectâ verum dicere, in alia falsum; vel, quòd verum est, nullam ex Spiritu Dei loqui, sed spiritu mendacii. Addo: quòd posito hoc spiritu privato, tanquam regulâ fidei discretivâ credendorum à non credendis; ampla aperitur via schismatibus, & hæresibus, & omnis præcluditur exitus pro iis extirpandis. Si enim unus affirmet, Scripturam ita, & in hoc sensu loqui; alter affirmet oppositum, & uterque dicat, se id à Spiritu Sancto interiùs sibi loquente excipere: quis poterit, alterutrum erroris arguere? Ecclesia, Concilia, Pontifex? Nequaquam. Certè si hunc spiritum jactassent Ariani, Nestoriani, & quotquot ante Lutheranos, & Calvinistas, hæretici fuerunt, incassum contra ipsos Concilia Ecclesia coegisset.

XXI. Sed quod in hoc magis miror, est, quòd hujusmodi spiritus assertores negent, hunc spiritum Ecclesiæ assistere, quam tamen, testimonio Christi, *Matth.* 18. *v.* 17. qui non audierit, habendus est ut Ethnicus, & Publicanus; ejusque respuant magisterium, quod postea collocant in unoquoque, in fabro, barbitonsore, in vetula idiotâ, ac rudi. Quòd Apostolis iste spiritus concessus non fuerit; qui Christi verba non intelligentes, non semel in erroris periculum adducti fuerunt, nisi à Christo fuissent edocti, & quòd omnibus promiscuè ex plebe modo concedatur. Et tandem, quòd iste spiritus non adsit Ecclesiæ Catholicæ, & quòd adsit Ecclesiis Lutheranorum, & Calvinistarum; ut Pseudosynodus Dordrechtana illum sibi arrogat, anno 1518. contra Arminianos, his verbis: *Synodus, invocato Sancto Dei nomine, sua auctoritatis ex verbo Dei probè conscia &c.* inde procedens ad damnationem Arminianorum. Quid ergo, si Arminiani respondissent, se etiam ex verbo Dei probè conscios esse, quòd Spiritum Dei habeant? Plura diximus in Vera Ecclesiâ, maximè *Tom.* 1. *c.* 11. *§.* 8. *à num.* 77.

XXII. Hoc unum prætermittere non possum, modum istum regendi Ecclesiam per spiritum internum, alienum esse; Tum à modo, quo Deus se gerit in gubernio Mundi, quem regit per Principes, & Judices; Tùm à modo, quem Christus pro Ecclesiæ regimine præscripsit, maximè *Jo.* 21. ubi Petro ter dixit: *Pasce agnos, pasce oves meas.* Si enim quilibet ex Christi agnis, quælibet ex ovibus interno Spiritus Sancti motu regitur; quid opus erat, ut exteriùs à Petro in doctrina, & fide pasceretur? Forma igitur regiminis Ecclesiæ non est ea, quam Sectarii confingunt; sed quam descripsit Paulus *ad Ephes.* 4. Ubi postquam dixit *v.* 4. quòd sumus *unum corpus, & unus spiritus*; v. 7. quòd *unicuique data est gratia secundùm mensuram donationis Christi*: explicans, quænam sit hæc mensura, *v.* 11.12.13. ait: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores. Ad consummationem Sanctorum in opus ministerii in ædificationem Corporis Christi: Donec occurramus omnes &c.* Is ergo est modus, quo Ecclesia regi debet, dum per fidem ambulat, non interno dumtaxat spiritu: hoc enim modo solùm regetur, dum evacuatâ fide regnabit in Patria.

§. IV.

An fiat in Propositionem Ecclesiæ.

XXIII. Quæstio hæc agitatur inter Doctores Catholicos, aliquibus volentibus, ultimam resolutionem fidei fieri in divinum testimonium, & in propositionem Ecclesiæ: ita ut hæc sit causa, saltem partialis, influens in assensum. Cum communiori tamen, & veriori sententiâ

XIV.

XXIV. Dico primò. Ultima resolutio fidei divinæ non fit, adhuc ut in causam partialem, & à priori, in propositionem Ecclesiæ, sed unicè in divinum testimonium. Probatur primò. Ultima resolutio assensus fidei divinæ à priori, & ut in causam, debet unicè fieri in id, quod est ratio formalis movens ad assensum: sed ratio formalis movens ad assensum est unicè testimonium, & auctoritas divina, non autem testimonium, sive auctoritas Ecclesiæ, adhuc partialiter: unde superiùs diximus, rationem formalem credendi esse primam veritatem in revelando; ergo &c.

XXV. Secundò prob. Ratio à priori, seu motivum formale credendi, debet esse adæquatè increatum, & divinum, non mixtum ex increato, & creato; aliàs fides nostra non esset adæquatè divina, si crederemus, non unicè propter veracitatem, & auctoritatem Dei, sed etiam propter veracitatem, & auctoritatem Ecclesiæ, quæ est creatura; nec fides esset propriè virtus theologica, cujus objectum, tam *quod*, quàm *quo*, debet esse unicè aliquid divinum: sed si ratio formalis credendi constaret ex auctoritate divinâ, & Ecclesiæ, jam ratio formalis fidei esset mixta ex increato, & creato; ergo &c. Hinc S. Paulus 1. Thessal. 2. v. 13. *Gratias* (inquit) *agimus Deo sinè intermissione: quoniam cùm accepissetis à nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum; sed (sicut est verè) verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis.* Igitur solum verbum Dei est, quod operatur in nobis fidem, seu quod movet nos ad credendum.

XXVI. Nec dicas, quòd cùm testimonium Ecclesiæ habeat infallibilitatem, non à se, sed ab assistentia infallibili Spiritus Sancti, à quo accipit auctoritatem, testimonium Ecclesiæ est potiùs divinum: ideoque si influat in assensum fidei, non poterit dici, fidem adhuc partialiter inniti testimonio creato humano.

XXVII. Sed contra. Testimonium Ecclesiæ, etiam quatenus infallibiliter regitur ab assistentia Spiritus Sancti, non potest dici verbum Dei, aut divina revelatio; sed est verbum hominum, qui non solùm manum, & linguam præbent, ut sacri Scriptores, & Prophetæ, sed sensum proprium exprimunt, quamvis Spiritu Sancto eos dirigente, ne errent; ergo cùm Ecclesia ex hominibus constet, testimonium Ecclesiæ est testimonium humanum.

Confirmo. Idem judicium ferendum est de potestate, & auctoritate à Deo concessâ Ecclesiæ circa determinationem, ac propositionem rerum credendarum, ac de potestate ferendi leges circa mores rectè, probèque instituendos: sed quamvis hæc legislativa potestas sit à Deo, leges ab Ecclesia sancitæ sunt humanæ, non divinæ; alioquin etiam leges à Principibus sancitæ dicerentur divinæ: *Non enim est potestas, nisi à Deo*, ut aït Paulus, *Rom.* 13. *v.* 1. ergo quamvis Ecclesia in rebus fidei discernendis auctoritate sibi à Deo participatâ, & cum speciali ejus assistentiâ procedat, ejus tamen testimonium non est divinum, nisi participativè, sed verè humanum.

Unde sic discurro. Cum dicunt Adversarii, resolutionem fidei nostræ fieri in auctoritatem Ecclesiæ, propter assistentiam S. Spiritus illi promissam, & concessam: vel ultimò sistunt in auctoritate, quæ est in Ecclesia; & sic in auctoritate humana sistunt. Vel auctoritatem Ecclesiæ in auctoritatem Spiritus, qui eam regit, ulteriùs resolvunt; & sic in auctoritate Ecclesiæ quiete non firmatur assensus fidei, sed ulteriùs in divinam auctoritatem debet resolvi.

XXVIII. Dico tamen secundò. Quòd estò resolutio nostræ fidei fieri non debeat in auctoritatem Ecclesiæ, ut rationem, *quâ* ad credendum, quasi à priori, inducamur: attamen auctoritas Ecclesiæ, eiusque testimonium est signum certum, & infallibile, quo judica-

dicare possumus, ac tenemur, hoc, quod illa nobis proponit ut verbum Dei, revera esse verbum Dei; ut qui ipsi proponenti discrederet, habendus esset, testimonio Christi, tanquam Ethnicus. Ita S. Augustinus *lib. 1. contra Crescon. cap.* 33. ubi loquens de non rebaptizandis hæreticis, ait: *Quamvis hujus rei certè de Scripturis Canonicis non proferatur exemplum; earumdem tamen Scripturarum, etiam in hac re, à nobis tenetur veritas: cum hoc facimus, quod universæ jam placuit Ecclesiæ: ut quoniam Sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit hujus obscuritate quæstionis, eamdem Ecclesiam de illa consulat, quam sinè ullâ ambiguitate Sancta Scriptura commendat*. Quanti autem habenda sit à Theologo in formandis argumentis auctoritas Ecclesiæ, docuimus *Tom. 1. in 1. p. de Loc. Theol. Dub. de Ecclesia*. Et in Vera Ecclesiâ *Tom. 1. cap. 11. per totum, & præcipuè §. 7.*

§. V.

Objectiones contra duas ultimas Assertiones.

XXIX. OBjiciunt primò contra primam Assertionem S. Augustinum, *lib. contra Epist. Fundamenti cap. 5.* dicentem: *Ego Evangelio non crederem, nisi me Ecclesia Catholica commoveret auctoritas*; ergo &c.

Urgent primò. Illud, unde incipit res, dicitur esse principium, & fundamentum, in quod ipsa ultimò resolvitur: sed fides nostra incipit ab Ecclesiæ doctrinâ, & prædicatione; ergo ipsa est fundamentum, in quod ultimò fides nostra resolvitur. Unde Ecclesia ab Apostolo 1. *ad Timoth.* 3. *v.* 15. vocatur *Columna, & firmamentum veritatis*.

Urgent secundò. Testimonium divinum non est potens, se solo movere ad assensum, nisi accedat propositio Ecclesiæ; ergo motivum inducens ad assensum rei revelatæ coalescit ex testimonio Dei, & propositione Ecclesiæ. Antec. prob. Nam testimonium divinum non potest movere ad assensum &c. nisi cognoscatur, illud testimonium esse divinum: sed testimonium esse divinum, intellectus non cognoscit, nisi ex propositione Ecclesiæ; ergo &c.

Urgent tertiò. Ideo in testimonium divinum fit resolutio fidei, quia Fidelis interrogatus, cur credat, Deum esse incarnatum, respondet: quia Deus hoc revelavit: sed interrogatus, quare credat, Deum hoc revelasse, respondere debet: quia Ecclesia hoc dicit; ergo resolutio &c.

XXX. Respondeo ad argumentum primò, admissâ auctoritate Augustini, neg. cons. Non enim benè arguitur à conditionali ad causalem, idest, non crederem, *nisi* &c. ergo credo. *quia* &c. ita ut auctoritas Ecclesiæ proponentis sit ratio formalis, quare credam. Sicut non valet: non amarem Deum, nisi illum cognoscerem; ignis non ureret stuppam, nisi ei applicaretur; ergo cognitio Dei est ratio, & causa, cur illum diligam, applicatio ignis est causa, cur stuppa comburatur.

Respondeo ergo secundò, Augustini mentem esse, auctoritatem Ecclesiæ esse conditionem, sinè quâ ipse non cognosceret certò, Evangelium, quod sibi proponitur, esse revera Evangelinm Christi. Vel signum ex quo certus sit, illud esse Evangelium Christi, seu illud, quod Christi jussione per Apostolos prædicatum Evangelistæ scripserunt: sicut ex sigillo cognoscimus, diploma esse Regium, vel Regium mandatum voce ministri ad nos pervenit: cùm tamen nec propter sigillum, nec propter ministrum, sed unicè propter regiam auctoritatem diplomati, vel edicto pareamus. Hinc

XXXI. Ad id, quod primò urgetur, dico, maj. esse veram de eo, à quo res incipit primò, per se, & ex natura rei; non verò de eo, à quo incipit

pit res tantùm ex conditione subjecti. Quòd autem fides nostra incipiat à propositione Ecclesiæ, non est per se, & ex natura fidei: nam Prophetæ, & Apostoli fidem habuerunt de revelatis, absque ulla Ecclesiæ propositione: sed est ex conditione nostra. Cùm enim nobis immediatè revelatio non fiat, sicut facta fuit Prophetis, & Apostolis; ut certò sciamus, quid sit revelatum à Deo, quid non, ad testimonium Ecclesiæ, quod scimus, esse infallibile, confugere debemus. Ex his discurro sic. Ejusdem speciei est fides nostra, ac fides Prophetarum, & Apostolorum: at istorum fides unicè resolvebatur in testimonium Dei ad illos immediatè loquentis, absque ulla externâ alterius propositione; ergo & nostra. Unde Augustinus *lib. 11. Confess. cap. 3.* dicit, quòd si sciret ea, quæ scripsit Moyses, non ab illo sciret, sed à Deo, qui intus testaretur, Moysen vera dicere. Ecclesia autem est columna, & firmamentum veritatis quoad nos, qui non aliunde, quàm ab ipsa, possumus de veritatibus revelatis certò edoceri: non tamen est fundamentum primum, cùm non à se habeat infallibilitatem, sed à testimonio divino.

XXXII. Ad id, quod secundò urgetur, ex dictis respondeo, neg. consf. Arguitur enim à conditionali ad causalem. Testimonium enim divinum, quia nobis immediatè non fit, non est potens, nos movere, nisi Ecclesia dicat nobis, hoc testimonium est divinum. Quo supposito, certiores facti, testimonium esse divinum, ei credimus, quia continere auctoritatem divinam certò scimus.

XXXIII. Ad id, quod urgetur tertiò, dico primò, quòd si illud ratiocinium valeret, concluderet, quòd in Ecclesiæ propositionem ultimò, & unicè fieret nostræ fidei resolutio, quia Fidelis interrogatus, cur credat, in ea ultimò sistit. — Dico ergo secundò, quòd dum Fidelis respondet, se credere, quia Ecclesia dicit; assignat, non causam, & rationem formalem assensus, sed tantùm suæ notitiæ: seu reddit causam, unde sciat, Deum, illam veritatem revelasse, non autem causam, seu rationem, propter quam credit. Quocirca credimus Deo, cujus est verbum. Sed quòd ejus verbum sit, accipimus ab Ecclesia, quæ divinitùs edocta proponit filiis suis, quid sit credendum, quidve non: in qua propositione eam non falli, certi sumus.

XXXIV. Sed contra dicta instabis primò. Assensus fidei humanæ, qui datur Regi loquenti per ministros, seu Legatos, resolvitur partialiter in auctoritatem Legatorum. Cum enim ex eorum probitate certi simus, eos non loqui, nisi quæ Rex mandavit; non solùm credimus ob auctoritatem Regis, sed ob eorum privatum testimonium; ergo cum certi simus, Ecclesiam nobis non proponere, ut de fide, nisi ea, quæ Deus mandavit, ut de fide proponenda, non solùm credimus &c.

XXXV. Instabis secundò. Si fides resolvitur in Deum, vel resolvitur in Deum nobis exteriùs loquentem per Ecclesiam; vel in eum loquentem cuilibet Fideli interiùs. Si priùs; ergo resolutio fiet in Ecclesiam. Si posteriùs; ergo resolutio fiet in internum spiritum privatum, quod superiùs reprobavimus.

XXXVI. Ad primam instantiam dici potest, testimonium Legati esse quidem causam notitiæ Regii mandati, sed non causam assensus, ut dicebamus de testimonio Ecclesiæ. Attamen dato antecedente, nego conseq. Nam probitatem, & veracitatem, per quam credimus, verè esse mandatum Regium, quod Legatus ut tale proponit, Legatus habet à se, non à Rege. At veracitatem, quam habet Ecclesia in proponendis iis, quæ sunt fidei, non habet à se, sed à Deo: unde sive credamus revelatis, sive Ecclesiæ proponenti, causa assensus semper est testimonium divinum.

XXXVII.

XXXVII. Ad secundam instantiam dico, fidem resolvi in Deum nobis loquentem partim exteriùs per Ecclesiam, partim interiùs per seipsum. Idem enim Deus, qui per Ecclesiam nobis loquitur, etiam loquitur in corde; ut verum sit, nos & ab unctione Dei doceri, ut 1. *Joann.* 2. supra dictum est; & à Patre audire, & discere, ut dicitur, *Joann.* 6. *v.* 45. Neque hinc infertur, Fideles sequi spiritum privatum, ut Sectarii volunt: quia non proprio suo judicio, & arbitratu credenda à non credendis discernunt; sed audiunt Ecclesiam ea sibi proponentem, & hoc ipsum lumine divinæ fidei illustrati amplectuntur.

XXXVIII. Objiciunt secundò etiam contra secundum Assertum. Si testimonium Ecclesiæ resolvi deberet in testimonium Dei, jam in resolutione fidei committetur circulus vitiosus: crederet enim Fidelis auctoritati Ecclesiæ, propter divinam revelationem; & iterum divinæ revelationi, propter auctoritatem Ecclesiæ. Si enim à Fideli quæratur: cur credis, Deum esse Trinum? Respondebit: quia hoc mihi dictat Ecclesia, esse credendum, ut revelatum. Et si rursus ab eo quæratur: unde scis, Ecclesiæ esse credendum? Respondebit: quia Deus, qui verax est, hoc revelavit; ergo probabit revelationem per Ecclesiam, & iterum Ecclesiam per revelationem, & circulum vitiosum committit.

XXXIX. Hoc argumentum, quod adeo magnificant Heterodoxi, quodque solutum fuit in *Vera Ecclesiâ Tom.* 1. *cap.* 1. §. 1. *num.* 13. retorquetur evidenter in ipsos, volentes, in spiritum privatum fidem resolvi. Si enim Calvinista, vel Lutheranus interrogetur: quare credis hoc? Respondebit: quia spiritus mihi dictat, hoc esse à Deo revelatum. Si autem iterùm interrogetur. Unde scis, hunc tuum spiritum verum dicere? Respondebit: quia hoc est revelatum. Ecce circulum à revelatione, seu Scriptura ad spiritum, & spiritus ad Scripturam. Respondeo ergo, negando, à nobis committi circulum vitiosum. Is enim est, quando uniformiter, & eodem modo probatur unum per aliud, & viceversa; non verò quando difformiter, & diverso modo proceditur. Sic in casu. Credimus enim auctoritatem Ecclesiæ, propter Scripturam, & revelationem à priori, tanquam propter causam, ex qua Ecclesia habet auctoritatem: credimus autem, hoc esse revelatum à Deo in Scriptura, propter auctoritatem Ecclesiæ posteriori tanquam ex signo applicante, & ostendente nobis ea, quæ in Scriptura revelata sunt, & discernente veram à falsa revelatione. Quare in rigore sermonis *per Ecclesiam* credimus, quia est medium nobis ostendens, quid credere debeamus: non verò *propter Ecclesiam*, quia Ecclesia non est causa, cur credamus. Sed hæc satis.

DUBIUM III.

An Revelatio Privata faciat, Objectum Revelatum esse credendum Fide Theologica?

§. I.

Explicatio Dubii.

I. Revelatio potest esse privata dupliciter. Primò. Quia communiter non proponitur Ecclesiæ, sed solùm in particulari alicui personæ à Deo fit; est tamen de re cedente in gloriam Dei, & bonum commune Ecclesiæ: quo pacto revelatio dicitur privata solùm secundùm quid, ratione modi revelandi, non verò simpliciter, & ex parte rei revelatæ. Alio modo dici potest privata, etiam ex parte rei revelatæ; idest, quando id, quod revelatur, nec proponitur Ecclesiæ, nec cedit in bonum commune illius. Ut si Deus mihi revelaret, quot stellæ sint in Cœlo, vel quot grana arenæ in mari.

II. Suppono ergo, ut certum apud omnes, quòd si revelatio sit tantùm privata ratione modi, quia scilicet non proponitur per Ecclesiam; sed Deus supplens rationem proponentis certificet personam privatam, cui revelat, se esse, qui revelat, & qui proponit revelationem credendam: res revelata credenda erit fide divinâ, & catholicâ, quâ cætera credimus, ab eo, cui fit talis revelatio. Et Probatur. Quia in hoc casu nil deficit, ut res ita revelata sit objectum materiale fidei divinæ. Non enim deficit ratiò formalis *sub qua*, nempe, revelatio primæ veritatis in dicendo: non ratio *qua*, quia supponimus, esse de aliqua re divinâ, vel in Scriptura contentâ, vel saltem cedente in honorem Dei, & utilitatem Ecclesiæ: materia autem fidei divinæ est res divina innixa testimonio Dei.

Rursus: tales revelationes solùm dicuntur privatæ, quia ab Ecclesia communiter non proponuntur, cùm tamen ex parte materiæ fidem communem contineant: sed non proponi ab Ecclesia, non variat essentialiter fidem. Tùm quia: ut dictum est, propositio Ecclesiæ non est ratio formalis credendi, sed solùm applicatio credibilis, & conditio ad credendum. Tùm quia: Prophetæ, & Apostoli habuerunt eamdem fidem, quam nos: & tamen non crediderunt per propositionem Ecclesiæ, sed Dei per seipsum proponentis. — Rursus: multi in Scripturis laudantur, quia privatis revelationibus crediderunt, ut Abraham, & Beata Virgo: multi etiam vituperantur, quia tardi fuerunt ad credendum, inter quos Zacharias, *Lucæ* 1. *v.* 20.

III. Nec refert, quòd fides divina inclinare debet omnes ad credendum: quod autem uni tantùm revelatur, non inclinat omnes Fideles.

Nam dico, quòd fides, quantùm est ex se, inclinat omnes ad credendum: potest tamen de facto non inclinare omnes, quia non omnibus facta fuit propositio. Unde in casu, quo uni tantùm facta foret revelatio, ille solus teneretur credere, non autem omnes; donec Deus per Ecclesiam suam, omnibus illam proponeret. Quare quamvis multis Sanctis viris, ac fæminis factæ legantur privatæ revelationes, à Deo factæ de rebus etiam ad bonum Ecclesiæ spectantibus; non tamen ab omnibus, ut divinæ, sunt suscipiendæ, nec revelata per eas fide divinâ sunt credenda: quia ut divina, & ut à Deo revelata, ab Ecclesia non proponuntur.

Difficultas est de revelationibus, quæ privatæ sunt, non solùm quia fiunt privatæ personæ, seu ratione modi; sed quæ etiam privatæ sunt ex parte rei revelatæ: quia res revelata non cedit in commune bonum Ecclesiæ. In quo discordes invenio Doctores.

§. II.

Resolutio.

IV. Dico. Verius existimo, revelationem privatam, etiam ex parte rei revelatæ, esse credendam ab eo, cui fit, fide divinâ theologicâ: & consequenter quæcumque revelantur à Deo, esse objectum materiale fidei divinæ. Probo. Quia ubicumque est eadem ratio formalis objecti, ibi est idem specie habitus: sed eadem est ratio essentialis assentiendi omnibus quæcumque revelantur à Deo; sive privato homini, sive toti Ecclesiæ; sive bonum commune, sive privatum concernant, nempe, prima veritas revelans; ergo eodem habitu &c. Maj. videtur certa. Nam in scientiis, ubi est eadem ratio formalis scibilis, etsi objecta materialia diversa sint, ibi est unus specie habitus scientiæ.

V. Neque responderi potest, quòd objectum formale fidei divinæ theologicæ non sit prima veritas revelans quodcumque; sed solùm revelans ea, quæ per se pertinent ad Christianam Religionem.

Nam contra est. Nam estò objecta materialia fidei divinæ, quasi principalia, sint ea, quæ Christianam religionem concernunt, & quibus homines ad Dei fruitionem ordinantur: nihil tamen prohibet, quin sub objecto divinæ fidei cadant secundariò aliqua etiam, quæ, estò per se ad talem finem non ordinentur, sub eadem tamen divinâ revelatione cadunt. Nam multa etiam revelantur in Sacra Scriptura, quæ certè ad nostram salutem per se non spectant; ut canis præcedens Tobiam juniorem, Hedera Jonæ; multa etiam flagitiosa, quæ ab aliquibus commissa narrantur: quia tamen omniâ sub eadem divinâ revelatione concluduntur, eâdem fide divinâ theologicâ creduntur; ut qui ea nollet credere, etsi alia crederet, verè hæreticus, & Deo discredens haberetur, quia Deo revelanti nollet assentiri. Sicut ergo eâdem fide humanâ assentimur homini quæcumque revelanti: ita eâdem fide divinâ assentimur Deo quæcumque revelanti. Unde D. Thom. hâc qu. 1. art. 1. ad 1. *Ea* (inquit) *quæ pertinent ad humanitatem Christi, & ad Sacramenta Ecclesiæ, vel ad quascumque creaturas, cadunt sub fide; inquantùm per hæc ordinamur ad Deum, & eis assentimur propter divinam veritatem.*

VI. Sed dices primò. Fides Christiana innititur revelationi factæ Apostolis, & Prophetis, qui Canonicos libros scripserunt. Unde D. Thom. 1. *p. q.* 1. *a.* 8. *ad* 2. ait: *Innititur enim fides nostra revelationi Apostolis, & Prophetis factæ, qui Canonicos libros scripserunt: non autem revelationi, si quæ fuit aliis Doctoribus facta.*

Respondeo, S. Thomam citato loco non negare revelationes privatis hominibus factas pertinere ad fidem divinam respectu eorum, quibus fiunt: sed solùm negare, eas obligare omnes ad assentiendum, tanquam à Deo revelatis. Cùm enim non constet, an revelationes, quæ aliis, quàm Prophetis, & Apostolis fiunt, vel factæ sunt, sint verè divinæ; hinc est, quòd non omnes statim obligentur ad credendum quodlibet per eas revelatum, quousque, vel per Ecclesiam, vel alio modo, ut revelatum, & credendum non proponatur. Quapropter quamvis S. Catharina Senensis revelationibus sibi à Deo factis assentiretur per fidem infusam; non omnes tamen tenentur, illis fide infusâ credere, quia ut credendæ ab omnibus non proponuntur. Idque propterea: vel quia incertum est, quæ reverâ fuerint illi divinitùs factæ: vel quia non erant de re, quam ab omnibus credi oporteat.

VII. Dices secundò. Nihil cadit sub fide divinâ theologicâ, nisi in ordine ad Deum, prout scilicet per illud adjuvatur ad tendendum in divinam fruitionem; ergo si quædam divinitùs revelentur non habentia ordinem ad divinam fruitionem, hæc non cadent sub fide &c.

Respondeo, dist. ant. Tanquam primariò, & per se intentum, con. ant. Tanquam secundariò, & per accidens, neg. antec. Nihil ergo potest cadere sub fide, tanquam per se pertinens ad objectum fidei, nisi per quod homo ad beatitudinem ordinatur. Per accidens autem, & secundariò multa alia cadunt sub fide; sicut quòd Abraham habuit duos filios, quòd David fuerit filius Isai, ut docet S. Thom. hâc *qu.* 1. *a.* 6. *ad* 1. & *qu.* 2. *a.* 5. *in corp.* ubi ait: *Per accidens autem, aut secundariò se habent ad objectum fidei omnia, quæ in Sacra Scriptura divinitùs tradita continentur: sicut quòd Abraham habuit duos filios, quòd David fuit filius Isai, & alia hujusmodi.*

VIII. Dices tertiò. Si quis assentiretur Deo ipsi revelanti, quot stellæ sint in Cœlo, & quot grana arenæ in Mari, talis assensus nullo modo à fide divinâ infusâ esset; quia purè naturalis, & de re naturali, nullum ordinem dicens ad Deum auctorem supernaturalem; habitus autem fidei,

& om-

& omnis ejus actus supernaturalis esse debet.

Confirm. Si Deus præfatas veritates revelaret alicui Infideli; & is Deo revelanti assentiretur, talis assensus à fide non esset, quam Infidelis non habet; nec illi fidei habitum Deus infunderet, aliàs esset Fidelis quoad illud, & Infidelis quoad cæteras veritates, quas Deus revelavit: quod esse impossibile, inferiùs ostendemus.

IX. Respondeo, neg. ant. Quod instatur in assensu, quo multa naturalia revelata in Scripturis, ut supra dictum est, à nobis creduntur; qui tamen supernaturalis est, & actus fidei divinæ. Et ratio est: quia estò res naturalis revelata à Deo sit naturalis in esse entis; dùm tamen, non medio naturali, sed divinâ revelatione, tanquam ratione formali, cognoscitur, evadit in ratione objecti supernaturalis, & actum fidei supernaturalis terminare potest.

X. Ad Confirm. dico, eamdem instantiam fieri posse, si Deus alicui Infideli revelaret aliquam veritatem supernaturalem, quo pacto adventum Christi revelasse creditur Sybillis. Dicendum ergo videtur in utroque casu, aliam esse rationem de revelatione alicujus veritatis, sive naturalis, sive supernaturalis factâ Fideli, ac Infideli. Nam si fiat jam Fideli, cùm iste habeat habitum fidei circa alia, eodem habitu potest se extendere ad credendum id, quod noviter sibi revelatur: sicut se extendit ad credendum id, quod noviter ab Ecclesia proponitur, ut revelatum. At Infidelis, cui privata revelatio fieret, cùm non habeat fidei habitum, nec illi habitus fidei infundatur, quia hic non datur ad unam tantùm veritatem, sed ad omnes saltem in præparatione animi, quod in casu præsenti non supponitur; dico, quòd si revelationi sibi privatim factæ assentiatur, assensus ille, vel esset à prophetia, seu alio lumine supernaturali, per modum transeuntis communicato: sicut ad lumen propheticum revelationem Sybillis factam credimus pertinuisse. Quæ probabiliter dicta sint.

DUBIUM IV.

An Assensus Fidei sit Complexus, & an Discursivus?

§. I.

Resolvitur Prima Pars.

I. CErtum est ex D. Thom. hoc *art.* 2. fidem divinam ex parte objecti formalis, & rei creditæ esse aliquid Incomplexum: est enim veritas prima, quæ cùm sit summè simplex, & omni carens compositione, quid incomplexum est.

Nec valet meditatio Durandi distinguentis in objecto fidei id, de quo creditur, & id, quod de illo creditur, & dicentis, quòd licèt id, de quo creditur, nempe Deus, sit aliquid incomplexum, prædicatum tamen, quod de illo creditur, est aliquid complexum: qui enim credit, Deum esse Trinum, non credit Deum, sed complexum ex Deo, & prædicato Trinitatis.

II. Non inquam valet. Nam licèt, dum credo Trinitatem, credam, Deum esse Trinum: attamen ex parte rei creditæ Deus, & Trinitas non sunt aliquid complexum, sed omnino simplex; cùm inter Deitatem, & Trinitatem, ac cætera ejus prædicata detur summa identitas ex parte rei; ergo fides tàm ex parte subjecti, de quo credit, quàm objecti, quod credit, prorsus incomplexa est. Quæstio est de fide ex parte credentis.

III. Dico primò. Fides ex parte hominis credentis, seu assensus non est actus simplex, sed complexus, & enunciativus. Ità S. Thom. hoc *art.* 2. & Prob. Fidem assentiri Deo revelanti Trinitatem, nil aliud est, quàm affirmare, Deum esse Trinum: sed affirma-

firmatio, & negatio in nobis est actus complexus, quo componimus prædicatum cum subjecto; ergo &c.

Confirmatur. Modus proprius intellectus humani est, ut componendo, & dividendo, veritatem cognoscat: & ideo ea, quæ sunt secundùm se simplicia, cognoscit secundùm quamdam complexionem. Sicut è contra, intellectus divinus etiam composita, & complexa incomplexè cognoscit: *Cognita* (inquit S. Thom. hic art. 2.) *sunt in cognoscente secundùm modum cognoscentis. Est autem modus proprius humani intellectus, ut componendo, & dividendo, veritatem cognoscat..... Et ideo, quæ sunt secundùm se simplicia, intellectus humanus cognoscit secundùm quamdam complexionem: sicut è contrà intellectus divinus incomplexè cognoscit ea, quæ sunt secundùm se complexa.* Dum ergo intellectus humanus assentitur huic veritati, *Deus est Trinus*, non aliter facit, quàm componendo hoc prædicatum *Trinus* cum hoc subjecto *Deus*.

IV. Sed dices. Idem est intellectus humanus credens Deo dicenti, ac videns Deum in se per lumen gloriæ: sed videns Deum, videt actu simplici, & incomplexo.

Respondeo, quòd licèt intellectus humanus videns Deum, & credens sit idem quoad substantiam, est tamen in modo intelligendi diversus. Nam videns Deum, videt per divinam essentiam, quæ est species simul repræsentans ei Deitatem, & omnia divina: & ideo unico, ac simplici intuitu omnia videt, Deitatem, Trinitatem, & omnia. At in hoc statu species abstractivè repræsentans Deitatem, non repræsentat Trinitatem, sed alia est species unum repræsentans, ac alterum. Et ideo ut dictam veritatem cognoscat, debet illas duas species simul conjungere, ac simul componere, & dicere: Deus est Trinus. Videatur S. Tho. hoc *art. 2. ad 3.*

V. Quæres: An Angeli, quando fuerunt in statu viæ, crediderint actu simplici, an complexo, sicut nos?

Respondeo, credidisse actu simplici. Nam gratia non destruit modum proprium naturæ; sed eam perficit secundùm modum suum: at modus naturalis cognoscendi in Angelo non est per compositionem, sed simplici intuitu, ut in Tract. de Angelis vidimus; ergo dum credebant, simplici intuitu credebant: & Deus illis infundebat species non solùm repræsentantes subjectum, sed etiam prædicatum, & totum enunciabile; ut Angelus simplici, ac uno intuitu, & actu posset credere, quæ ei revelabat.

§. II.

Resolvitur Secunda Pars.

VI. Dico secundò. Assensus fidei, seu credere, non fit formaliter per discursum. Est contra quosdam volentes, credere fieri per discursum, in quo divina revelatio sit medium: ita ut, dum quis assentitur divinæ revelationi, puta, de Incarnatione, formet hunc actum: quidquid Deus revelavit, verè existit: Deus revelavit, Incarnationem existere; ergo Incarnatio verè existit.

Probatur tamen Assertio primò sic. Cùm fides sit virtus theologica, motivum formale adæquatum credendi debet esse divinum, nempe, divinum testimonium; ita ut adæquatè propter hoc, & non propter aliud, quis ad credendum moveatur: at si credere habetur per discursum, motivum adæquatum credendi non erit testimonium divinum, sed connexio inter testimonium divinum, & existentiam rei creditæ, quæ saltem inadæquatè distinguitur à testimonio divino; ergo &c. Sicut ergo homo credit homini immediatè, & unicè ob testimonium hominis: cur homo non credit Deo unicè ob testimonium Dei? Majpatet. Quia in quocumque discursu motivum assentiendi conclusioni, non est medium, sed connexio conclusionis cum medio.

VII. Probatur secundò. Aliquis assensus fidei habetur sinè discursu; ergo omnis: non enim potest aliquis habitus esse discursivus quoad aliquos actus, & quoad alios non, cùm in omnibus eumdem modum procedendi servare debeat. Ant. probatur. Ponamus discursum, ex quo Adversarii volunt, procedere actum fidei, qui talis est: *Quidquid Deus revelavit, verè existit: sed Deus revelavit Trinitatem: ergo Trinitas verè existit.* In hoc discursu minor propositio, nempe, *Deus revelavit Trinitatem*, verè creditur per fidem; & tamen non creditur per discursum. Quod sic probo. Si enim creditur per discursum; ergo creditur per discursum procedentem ex alia propositione credità per fidem; de qua quæram: an habeatur per discursum, vel non? Si non; ergo jam habeo actum fidei sinè discursu. Si sic; jam abibimus in infinitum.

VIII. Dices. Qui credit ob testimonium Dei, reducere debet ultimò fidem suam in hoc principium naturaliter cognitum: *Prima veritas nec falli, nec fallere potest*.

Si respondeatur, dist. ant. Ultimò, tanquam in præambulum ad fidem, conc. antec. Tanquam in constitutivum assensus fidei, nego antec. Discursus præfatus admittitur quidem, tanquam præambulum ad fidem, non tamen tanquam formalissimus assensus fidei. In actu enim assensus cessat omnis discursus; & qui credit, unicè credit, quia Deus dicit, & propter testimonium Dei, cui unicè innititur, non verò discursui humano: simili modo, quo Ecclesia Catholica se gerit in decisionibus fidei. Priusquam enim decernat, convocatis Doctoribus, discutit, examinat materias, & discursivè procedit. Cæterùm in ipsa formali definitione, semoto discursu, declarat illam, ut à Spiritu Sancto revelatam, juxta formam decreti, qua Apostoli Actor. 15. v. 28. *Visum est Spiritui Sancto, & nobis*. Quare Fidelis dum utitur præfato discursu, non se gerit formaliter ut credens, & ut Fidelis, sed ut Theologus.

IX. Sed instabis. Qui negaret conclusionem illatam ex præfato discursu, esset formaliter hæreticus: sed sola negatio assensus fidei, non autem merè Theologici, constituit formaliter hæreticum; ergo &c.

Respondeo, dist. maj. Qui negaret illam, ut illatam, esset &c. nego maj. Illam, ut nixam præcisè testimonio divino, conc. maj. Quia ergo propositio de fide, & potest inferri ex discursu præfato, & credi ex puro testimonio divino: ideo qui illam negaret, esset hæreticus, cum negaret propositionem, quæ est de fide; non tamen quia assentiri nollet illationi, seu illi, ut illatæ (sic enim potiùs spectat ad Theologiam) sed quia negando illam, ut illatam, censeretur, nolle assentiri eidem, ut nixæ testimonio divino, quo pacto spectat ad fidem.

X. Dices secundò. Procedere discursivè est procedere ex causa: sed actus fidei procedit ex causa; cùm enim qui credit, credat, quia Deus dicit, habet pro causa sui assensus divinum testimonium; ergo &c.

Respondeo, dist. min. Quia Deus dicit, ly *quia* dicente principium *quod*, ex cujus assensu procedat ad credendum, nego min. Ly *quia* dicente rationem sub qua, seu quâ immediatè credit, conc. min. & nego cons. Ad discursum enim requiritur, ut uno actu attingatur causa, & ex causa cognità ratione connexionis procedatur ad cognitionem effectus. Ut enim attingam, hominem esse risibilem ex rationalitate ut ex causa, debeo uno actu attingere, ut *quod*, rationalitatem, & deinde alio actu discurrere ad risibilitatem. Qui autem credit, quia Deus dicit, non priùs cognoscit divinum dictum, & deinde procedit ad credendum; sed uno, eodemque actu attingit, ut *quod*, mysterium revelatum, & *ut quo*, ipsam revelationem. Sic visus attingit colorem, quia lucidum, quatenus eodem actu attingit colorem,

ut

ut rem visam, & lucem, ut rationem videndi.

XI. Sed replicabis. D. Thom. sæpè docet, testimonium divinum se habere in fide, sicut principium in speculativis. — Respondeo, dictum S. Thomæ intelligendum esse, non servatâ æqualitate, sed proportione: quatenus sicut principium est ratio assentiendi conclusioni; ita divinum testimonium est ratio assentiendi rei revelatæ: non tamen, quòd sicut principium, ut quod cognitum, præcedit assensus conclusionis: ita divinum testimonium, ut quod creditum, præcedat assensum rei revelatæ.

XII. Quæres: An fides sit discursiva discursu saltem virtuali, & objectivo?

Respondeo negativè. Cùm enim divina revelatio non sit causa rei revelatæ, sed pura attestatio; neque Fidelis credens prospiciat ullam colligationem inter revelationem, & rem revelatam; sed revelatio sit quasi lux, sub qua rem revelatam cognoscit; & Fidelis immediatè credat ratione divini testimonii: ideo sicut oculus videndo colores, mediâ luce, non discurrit virtualiter etiam ex parte objecti; ita neque fides credendo ratione divini testimonii.

DUBIUM V.

An Fidei Infusæ possit per se, sive per accidens, subesse Falsum?

§. I.

Prioris Partis Resolutio.

I. Dico primò. Fides per se, & ratione objecti non potest inclinare in falsum. Ita S. Th. hîc *art.* 3. & prob. primò. Virtus intellectualis non potest esse principium assensus falsi: sed fides est quædam virtus intellectualis, ut probat S. Thom. hâc 2. 2. *qu.* 4. *art.* 5. ergo non potest esse per se principium assensus falsi. Maj. probatur. Tùm; quia: de ratione virtutis est benè disponere subjectum: non autem benè disponeret, si per se disponeret ad falsum, quod est malum intellectus, sicut ejus bonum est verum. Tùm, quia: nulla virtus appetitiva, & moralis potest esse principium actus vitii suo objecto contrarii; ergo à pari.

II. Prob. secundò ratione S. Thomæ. *Nihil subest alicui potentiæ, vel habitui, aut etiam actui, nisi mediante ratione formali objecti: sicut color videri non potest, nisi per lucem, & conclusio sciri non potest, nisi per medium demonstrationis: sed ratio formalis objecti fidei est veritas prima*, ut dictum est; ergo *nihil potest cadere sub fide, nisi inquantùm stat sub veritate primâ*. Sed sub veritate prima *nullum falsum stare potest, sicut nec non ens sub ente, nec malum sub bonitate*; ergo fidei non potest per se subesse aliquod falsum.

Nec obest, quòd potentiæ ad verum non semper subsit verum in re, sicut nec potentiæ ad bonum semper bonum in re; sed aliquando verum, & bonum apparens: hoc enim contingit, quia objectum potentiæ non est determinatè verum, vel bonum in re, sed bonum, & verum abstrahens à vero, & apparenti. At ratio formalis fidei non est id, quod vel est, vel apparet verum: sed prima veritas revelans: unde consequens est, nullum falsum, nec sub ratione veri, cadere posse sub assensu fidei, ut inferiùs dicetur.

§. II.

Posterioris Partis Resolutio.

III. Statuto, fidem divinam ex parte objecti formalis, nempe, Dei revelantis, non posse inclinare in falsum, seu esse principium assensus falsi; restat modò videndum: an saltem ratione applicationis, & propositionis rei credibilis possit aliquis actus proce-

procedere, qui simul sit fidei, & erroneus, vel falsus. Et hoc est, fidei, saltem per accidens, posse subesse falsum.

IV. Dico secundò. Nullo modo, nec etiam ex ignorantia invincibili, potest id, quod falsum est, cadere sub fide divinâ: unde si quis ex ignorantia, etiam invincibili, crederet tanquam de fide id, quod falsum est; illud non crederet fide divinâ infusâ, sed fide humanâ acquisitâ. Probo ratione D. Tho. superiùs allatâ. Nullus habitus potest, etiam per accidens, attingere ut objectum materiale id, quod nullo modo cadit sub ejus ratione formali; sicut nulla causa potest, adhuc per accidens, influere in effectum, qui nullo modo contineatur sub sphaera illius causalitatis: sed nullum falsum potest cadere sub ratione formali fidei divinae: haec enim est divinum testimonium, seu divina revelatio, sub qua id solùm cadere potest, quod potest esse à Deo revelatum: à Deo autem, qui est prima veritas, nihil falsum potest esse revelatum, ut inferiùs etiam probabitur; ergo nec per accidens &c.

V. Confirmatur primò. Sicut Deus infundit habitum fidei, quo credat homo supernaturalia; ita infundit naturae rationali lumen naturale, quo naturalia cognoscat: sed si lumen naturale esset principium falsi assensus, Deus, ut auctor naturae, nos falleret; ergo proportionaliter nos falleret, ut auctor gratiae, si fides infusa nos quomodocumque ad falsum inclinaret. Secundò. Fides est virtus intellectualis; ergo, ut vidimus, non est indifferens ad verum, & falsum: hac enim ratione opinio, & suspicio virtutes intellectuales non sunt.

VI. Nec dicas, habitum fidei fore causam assensus falsi, solùm indirectè, & per accidens, nempe, ex indispositione subjecti.

Nam contra est. Sicut enim malitia repugnat summae bonitati; ita falsitas primae veritati: sed ex quo Deus sit summa bonitas, nequit infundere habitum, qui etiam indirectè, & ex defectu subjecti inclinet in malum, unde nequit homo uti habitu infuso ad malum; ergo ex quo sit summa veritas, nequit infundere nobis habitum, etiam indirectè inclinantem in falsum, seu quo quis uti possit ad assentiendum falso. Ut enim ait Sanctus Augustinus lib. 2. de Lib. arb. cap. 19. *Virtute nemo malè utitur: quia opus virtutis est bonus usus istorum, quibus etiam non benè uti possumus.*

§ III.

Objectiones contrà Posteriorem Partem.

VII. Objicies primò. Assensus fidei potest per modum praemissae influere, saltem per accidens, in conclusionem falsam; ergo & habitus fidei poterit, saltem per accidens, influere in assensum falsum. Cons. videtur sequi. Ant. prob. Potest enim formari syllogismus, in quo major praemissa sit de fide, minor autem falsa; ut iste. Concilium ritè congregatum, & auctoritate Romani Pontificis approbatum non potest errare in rebus fidei: sed hujusmodi fuit Concilium Basileense; ergo non erravit. In quo syllogismo major est de fide, & influit in conclusionem falsam, ratione minoris falsae.

Confirmatur. Opinio falsa potest influere in assensum verum; ergo viceversâ fides vera potest esse causa assensus falsi. Antec. prob. Si quis falsò opinaretur, omne animal esse discursivum, & statim sic procederet: Petrus est animal; ergo Petrus est discursivus: tunc assensus falsus, nempe, majoris, esset causa assensus veri in conclusione.

VIII. Respondeo (omissis aliis solutionibus) neg. ant. Ad prob. nego ant. Quamvis enim conclusio in praefato syllogismo, quantùm ad sequelam logicam, referenda sit in majorem praemis-

missam; quantùm tamen ad falsitatem unicè referenda est in minorem. Major enim simul cum minori est quidem causa, cur aliquid sequatur; quòd autem sequatur falsum, unicè provenit ex minori falsâ, quia conclusio sequitur debiliorem partem.

IX. Ad Confirm. dico, non esse inconveniens, quòd ex falso in bona consequentiâ sequatur verum; esse tamen, quòd ex vero sequatur falsum, ut Dialectici docent. — Addo: quòd licèt ex falso sequatur verum sequelâ logicâ, falsum tamen, saltem ut falsum, non potest physicè influere in verum; ergo à pari fides, quæ est vera, nequit physicè influere in assensum falsum.

X. Objicies secundò. Habitus fidei potest inclinare ad assensum practicè falsum, idest, peccaminosum: ut in casu, quo quis ad credendum moveretur ob inanem gloriam; ergo etiam poterit inclinare in assensum falsum speculativè.

Respondeo, neg. ant. Assensus autem ille ob inanem gloriam esset, non ab habitu fidei divinæ, & infusæ, sed potiùs acquisitæ: quia cùm actus fidei infusæ sit à Spiritu Sancto specialiter movente, non potest specialiter concurrere ad actum malum. — Dato etiam antec. negari potest conseq. Quia si daretur actus fidei malus, malitiam non haberet à proprio objecto, sed à circumstantia ex parte credentis appositâ. At si daretur inclinatio fidei ad falsum, id conveniret ex objecto proprio: quia habitus non inclinat, nisi ad ea, quæ in ratione formali sui objecti continentur.

XI. Objicies tertiò. Prudentia infusa, estò sit virtus, potest attingere aliquid existimatum verum, estò in re possit esse falsum; dictando scilicet, hostiam, quæ existimatur consecrata, esse adorandam; & religio illam potest, ac debet adorare, quamvis contingere possit, quòd non sit consecrata, nec adoranda; ergo similiter fides infusa potest inclinare ad credendum aliquid existimatum revelatum, & verum, quod tamen nec revelatum sit, nec verum. Conf. prob. Nam tàm prudentia, quàm fides est infusa à Spiritu Sancto; fides in ordine ad finem, prudentia in ordine ad media.

Confir. Puer, vel idiota, cui à patre, vel à Parocho proponitur aliquid, ut de fide, & verum, quod vel nec verum, nec de fide est, illud credit fide divinâ: si enim non existimaret, esse verum, & de fide divinâ, illud non crederet; ergo credit fide divinâ aliquod in re falsum.

XII. Respondeo, admisso antecedenti, neg. conf., & paritatem. Nam objectum prudentiæ non est verum in se, & speculativum, sed verum practicum, & conforme dictamini rectæ rationis; & quia id, quod in se, & speculativè verum non est, potest tamen esse verum practicè, & conforme rationi rectæ; ideo prudentia potest circa illud, tanquam circa proprium objectum, versari. Et hac ratione dictat hostiam publicè expositam esse adorandam; quia, cùm supponat probabile judicium, quòd sit consecrata, quamvis fortè non sit, recta ratio practicè dictat, ut adoretur. At fides, cùm nedum practica sit, sed speculativa, nedum habet pro objecto aliquid existimatum verum, sed habet verum speculativè, & in re. Unde retorqueo argumentum. Sicut objectum prudentiæ debet esse verum practicum, sic objectum fidei debet esse verum speculativè: sed prudentia nequit inclinare in id, quod est practicè falsum; ergo nec fides in id, quod est falsum speculativè.

Dixi, admisso antecedente: quia dici posset, quòd estò prudentia sit, quæ dictat, hostiam ritè consecratam esse adorandam; prudentia tamen, quæ dictat, hanc hostiam, quæ præsentatur ut consecrata, esse adorandam, est prudentia, quæ putatur infusa, cum reverâ sit humana. Sicut ait D. Tho. hoc a. 3. ad 4. *Quòd fides credentis non refertur ad has species*

ciei panis, vel illas; sed ad hoc, quòd verum corpus Christi sit sub speciebus panis sensibilis, quando rectè fuerit consecratum: unde si non sit rectè consecratum, fidei non subest propter hoc falsum.

XIII. Ad Confirmat. vel nego, vel dist. ant. Credit fide divinâ existimatâ, co. ant. Verè, & in re tali, nego ant. Puer ergo ille, vel idiota licet putaret, se credere fide divinâ, non tamen crederet in re; quia in re non esset revelatum, quod ei proponitur: nec enim Parochus, aut quilibet particularis est legitimum proponens res, ut de fide: solùm ergo crederet fide humanâ, quamvis existimatâ divinâ. Quare si talis idiota interrogetur: quare rebus à suo Pastore propositis assentiatur; non respondebit: quia Deus revelavit, sed quia ex dicto sui Pastoris existimat, Deum revelasse. Si tamen sibi à Pastore propositis, ut revelatis, certò assentiatur, & verè revelata sint, assentietur fide verè divinâ.

XIV. Sed dices. Idiota putans esse de fide id, quod sibi à Pastore proponitur, estò non sit, & discredens, peccat peccato hæresis; ergo dum illud credit, credit fide verè divinâ.

Respondeo, neg. conf. Intantùm enim discredens peccat, quia practicè ex conscientia invincibiliter erroneâ putat, discredere esse contra fidem; & tamen vult discredere. Ad peccandum autem contra fidem, sufficit existimare, aliquid esse de fide, & nolle illud credere. Verùm ad habendum actum veræ fidei, non sufficit revelatio existimata, sed debet esse in re talis. — Addo: quòd ille discredens esset hæreticus, non formaliter, sed arguitivè: quia dum existimat, esse à Deo revelatum, & non vult credere, arguitur, eum esse ita dispositum, ut nolit credere Deo revelanti.

XV. Objicies quartò. Non magis est virtus fides, quàm spes, & caritas: sed spei potest aliquid subesse falsum: multi enim sperant, se habituros vitam æternam, quam non habebunt. Multi etiam per caritatem diliguntur tanquam boni, qui boni non sunt; ergo &c.

Respondeo cum S. Tho. hoc *a. 3. ad 1.* dupliciter. Primò. *Quòd quia verum est bonum intellectus, non autem est bonum appetitivæ virtutis: ideo omnes virtutes, quæ perficiunt intellectum, excludunt totaliter falsum: quia de ratione virtutis est, quòd se habeat solùm ad bonum. Virtutes autem perficientes partem appetitivam non excludunt totaliter falsum. Potest enim aliquis secundùm justitiam, aut temperantiam agere, habens aliquam falsam opinionem de eo, circa quod agit. Et ita cùm fides perficiat intellectum, spes autem, & caritas appetitivam partem, non est similis ratio de eis.*

Respondeo secundò cum eodem ibi, neg. min. Nam *neque etiam spei subest falsum. Non enim aliquis sperat, se habiturum vitam æternam, secundùm propriam potestatem (hoc enim esset præsumtionis) sed secundùm auxilium gratiæ; in quo si perseveraverit, omninò, & infallibiliter vitam æternam consequetur. Similiter etiam ad caritatem pertinet diligere Deum, in quocumque fuerit: unde non refert ad caritatem, utrum in isto sit Deus, qui propter Deum diligitur.*

XVI. Objicies quintò. Fides Antiquorum fuit, quòd Christus esset nasciturus, & hæc fides duravit in multis, usque ad prædicationem Evangelii: sed Christo jam nato, etiam antequam prædicare inciperet, falsum erat, Christum nasciturum; ergo &c.

XVII. Respondeo cum S. Thom. hoc art. 3. ad 3. *Quòd ad fidem credentis pertinebat post Christi nativitatem, quòd crederet, eum quandoque nasci. Sed illa determinatio temporis, in qua decipiebatur, non erat ex fide, sed ex conjectura humanâ. Possibile est enim ex conjectura humanâ, hominem fidelem falsum aliquod æstimare: sed quòd ex fide falsum æstimet, hoc est impossibile.* Hinc si fidelis Judæus, qui ante Chri-

sti Nativitatem fide infusâ credebat Christum nasciturum, in hac credulitate mansisset etiam post Christum natum; iste actus, cùm haberet diversum objectum, non erat amplius idem, sed diversus: unus, qui ante Nativitatem eliciebatur, & hic erat ex fide infusa: alter, qui Christo jam nato procedebat ex erronea opinione, quamvis inculpatâ. Neque enim post Christum natum assentiebatur huic propositioni: *Christus est nasciturus* (determinando tempus) ob testimonium Dei, sed ob testimonium, quod putabat esse Dei.

DUBIUM VI.

An Deus in Se, vel in Natura Assumtâ possit Mentiri, aut dicere Falsum?

§. I.

Explicatur Dubium.

I. AD magis stabilienda ea, quæ præcedente Dubio dicta sunt, præsens instituitur quæstio. Cùm enim probaverimus, fidei non posse subesse falsum, quia nititur testimonio Dei summè veraci, ac vero: hoc, quod verissimum est, stabilito, magis apparebit Christianæ fidei, ac religionis certitudo.

II. Pro intelligentia igitur noto: aliud esse mentiri, aliud dicere falsum. Nam mentiri est contra mentem ire; idest dicere, seu loqui aliter, & contra id, quod habetur in mente, vel scientiâ: quod est, dictum non conformari menti, vel scientiæ. Falsum autem dicere, est, dicere quidem, sicut qui dicit, habet in mente, & existimat esse, sed revera ita non est, sicut dicit: quod est, dictum non conformari cum re. Propterea potest quis non mentiri, & tamen falsum dicere; & potest verum dicere, & tamen mentiri. Exemplum primi est. Si Petrus currat, & Paulus existimans non currere, vi hujus æstimationis dicat: Petrus non currit; non mentitur, quia conformat dictum cum eo, quod habet in mente: & tamen falsum dicit, quia ejus dictum non conformatur cum eo, quod in re, seu reverà est. Exemplum secundi est. Si Petro currente, quis habens falsam æstimationem, quòd non currat, contra hanc dicat: Petrus currit; iste dicit verum, quia ejus dictum conformatur cum re: mentitur tamen, quia ejus dictum non conformatur cum ejus mente. Quod egregiè explicavit S. Augustinus *in Enchirid. cap.* 18. his verbis: *Nemo mentiens judicandus est, qui dicit falsum, quod putat esse verum: quoniam quantùm in ipso est, non fallit ipse, sed fallitur.* Ex quibus patet, quòd mentiri est idem, ac *fallere*; falsum autem dicere, idem est, ac *falli*. Videndus est S. Tho. 2. 2. *q.* 110. *art.* 1. Ubi inter alia docet, mendacium duo dicere: nimirum, voluntatem falsum dicendi, & voluntatem falsum in alio imprimendi. Unde si quis falsum dicat, sinè voluntate tamen falsum dicendi, & falsum in mente alterius imprimendi, non erit mendax.

III. Priscillianistæ sic dicti à Priscilliano Episcopo Abulensi eorum Duce, contra quos S. Augustin. scripsit *Lib. contra Mendacium*, de quibus & nos *Tom.* 1. *in* 1. 2. aliqua diximus; ut statuerent, licitum esse mentiri, etiam cum juramento, ob servandum secretum, qui erat palmaris eorum error, dicebant, Deum auctorem esse mendacii, & aliquando esse mentitum. Quidam verò etiam Catholici, estò non asseveraverint, Deum esse mentitum; posse tamen absolutè mentiri, dicere ausi sunt: qui propterea ab omnibus veluti in horrore habentur. Dubium igitur præsens duas partes complectitur: unam, an Deus possit mentiri in natura divinâ subsistens: alteram, an saltem in humana.

§. II.

§. II.

Prima Assertio Catholica.

IV. Dico primò. Deus nunquam mentitus est, aut falsum dixit: imò nec mentiri, aut falsum dicere potest. Utraque pars prob. primò ex Scriptura. Numer. 23. v. 19. *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur.* Et *Hebraeor. 6. v. 18.* dicit Paulus, quòd Deus volens ostendere immobilitatem consilii sui: *Interposuit jusjurandum. Ut per duas res immobiles, quibus impossibile est, mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus.*

In hanc veritatem conspirant SS. Patres asserentes, tàm esse impossibile Deum mentiri, quàm Deum non esse, aut non esse omnipotentem. Athanasius *l. de Incarn. Verbi* ait, absurdum esse dicere, Deum posse mentiri: si enim dixit, quòd perituri sumus, non esset Deus, si non periissemus. Anselmus l. 1. cur Deus homo c. 12. *Non sequitur, si Deus vult mentiri, justum esse mentiri, sed potiùs, Deum illum non esse.* Augustinus etiam l. 1. de Symbolo c. 1. *Deus* (inquit) *omnipotens est, & cùm sit omnipotens, mori non potest, falli non potest, mentiri non potest. Quàm multa non potest, & omnipotens est? Et ideo est omnipotens, quia non potest. Nam si mori posset, non esset omnipotens. Si mentiri, si falli, si iniquè agere, non esset omnipotens: quia si hoc in eo esset, non fuisset dignus, qui esset omnipotens.* Unde Ambrosius *Epist. 27.* ait: *Impossibile istud, non infirmitatis, sed virtutis est, & majestatis: quia veritas non recipit mendacium, nec Dei virtus levitatis errorem.* Hoc idem S. Thom. *in 2. ad Timoth. 2. Lect. 2.*

V. Probatur autem primò ab inconvenienti. Si Deus mentiri potest, ruit prorsus nostrae fidei certitudo, quae, ut diximus, unicè nititur ejus testimonio. Quis enim scit, eum de facto tali potentiâ usum non fuisse, ob aliquam sibi notam causam, & nobis ignotam, & occultam? — Dices, Deum revelasse, se nunquam mentiturum — At si Deus in hac suâ reflexâ revelatione mentiri potuit: quis certus est, ipsum de facto mentitum non fuisse? Unde S. Augustinus scribens S. Hieronymo, qui admittebat, S. Petrum officioso quodam mendacio, & simulatione fuisse à S. Paulo reprehensum, *Epist. 17.* modò 39. *c. 3.* ait: *Si enim ad Scripturas Sanctas admissa fuerint velut officiosa mendacia, quid in eis remanebit auctoritatis? Quae tandem de Scripturis illis sententia proferetur, cujus pondere contentiosa falsitatis obteratur improbitas? Statim enim, ut protuleris; si aliter sapit, qui contra nititur, dicet, illud, quod prolatum erit, honesto aliquo officio Scriptorum fuisse mentitum. Ubi enim hoc non poterit, si potuit in ea narratione, quam exorsus Apostolus ait:* Quae autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior: *Credi, affirmarique mentitus, eo loco ubi dixit de Petro, & Barnaba:* Cùm viderem, quia non rectè ingrediuntur ad veritatem Evangelii?

VI. Probatur secundò à priori. Deus est prima veritas in cognoscendo, & in dicendo, sicut est primum ens, & prima bonitas: sed quia est primum ens, in Deo nequit stare non ens, & quia est prima bonitas, in eo nequit stare malitia; ergo quia prima veritas in cognoscendo, nequit in eo stare falsitas: & quia prima veritas in dicendo, nequit in eo esse mendacium. Si enim mentiri, & falsum dicere est deviare à veritate; quomodò potest deviare à veritate, qui est prima veritas? Sicut quomodo potest deviare ab esse, qui est ipsum esse, & à bonitate, qui est ipsa bonitas? Igitur *negare seipsum non potest*, ut ait Paulus, 2. *ad Timoth.* 2. *v.* 13.

VII. Dices tamen. Deus quamvis sit primum ens immobile, summa beatitudo, & vita per essentiam, potest esse causa non entis, annihilando, mutationis, miseriae, & mortis; ergo quam-

quamvis sit prima veritas, potest esse causa falsitatis, & mendacii.

Respondeo, neg. conseq. & disparitas est. Quia mutabilitas, miseria, mors opponuntur quidem bono creato, in quo sunt, & cujus sunt privationes; sed non opponuntur bono divino, nempe enti per essentiam immutabili, beato, & viventi. At falsitas, & mendacium opponuntur veritati, ac veracitati divinæ, nempe, judicio certo, & recto, illudque destruunt, ubicumque existat: ideoque falsitas, & mendacium non possunt esse à Deo summâ veritate, sicut nec peccatum à Deo summâ bonitate. Quòd autem Deus sit omnipotens, non arguit, eum posse esse causam falsitatis, vel mendacii; sed potiùs oppositum, ut supra diximus ex Augustino, & aliis Patribus: quia cùm falsitas, & mendacium defectus sint, non effectus, impotentiam potiùs arguunt, quàm potentiam.

VIII. Argui posset, mendacium non esse intrinsecè malum, & proinde à Deo esse posse. Sed oppositum ostendimus, *Tom.* 1. *in* 1. 2. *Qu.* 3. *de Actuum human. moral.* *Dub.* 7. §. 2. *&* 3. quò Lectorem remitto.

IX. Objicitur præterea, Deum posse decipere. *Job.* 12. *v.* 24. Qui *immutat cor Principum populi terra, & decipit eos... & errare eos facit, quasi ebrios.* Posse seducere, Jerem. 20. v. 7. *Seduxisti me Domine, & seductus sum.* Quò spectant illud Ezechiel. 14. v. 9. *Ego Dominus decepi Prophetam illum.* Et 3. Reg. 22. v. 23. *Dedit Dominus spiritum mendacii in ore omnium Prophetarum.*

Ad hæc, & similia responsum est, *Tom.* 2. *in* 1. 2. *Q.* 6. *de Causis peccat. act. Dub.* 2. §. 3. Deum dici decipere, fallere, errare, seducere &c. non quòd in falsitatem, errorem, aut deceptionem inducat: sed quia, vel facit aliquid, quod, etsi veram habeat significationem, ex eo tamen accipiunt occasionem errandi, qui eam non assequuntur; vel quia procurat successus eorum consiliis, & expectationi contrarios. Vel denique quia ob eorum peccata, lumen sapientiæ suæ eis subtrahit, quo destituti mendacio credunt, in vanitate sensus ambulant &c. Recolantur ibi dicta contra Calvinum præfatis textibus abutentem, ut faciat Deum auctorem peccati.

X. Objicitur etiam, Deum multa prædixisse, quæ non evenerunt. Nam *Genes.* 4. *v.* 15. prædixit Cain, quòd non esset occidendus; qui tamen à Lamech occisus fuit. 4. *Reg.* 8. *v.* 10. prædixit Benadad, eum sanandum fore: *Sanaberis*; qui tamen alterâ die mortuus est. Et è contra *c.* 20. *v.* 1. prædixit Ezechiam moriturum: *Morieris enim tu, & non vives*; qui tamen convaluit. Et *Jonæ* 3. *v.* 4. Ninive subvertendam prænunciavit: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur*; quæ tamen subversa non fuit.

XI. Respondeo, Deum nihil unquam prænuntiasse, quod non evenerit, ut ab eo fuit prænunciatum; nimirum, vel absolutè, vel positâ conditione. De Cain Deus non absolutè pronuntiaverat, quòd à nullo esset occidendus; sed quòd, si quis eum occideret, graviter esset puniendus: quamvis incertum sit, an Cain fuerit occisus. Certum est enim, Lamech virum occidisse; at num occiderit Cain, incertum. S. Augustinus, *in Psal.* 39. putat, sanguinem Cain à nullo fuisse fusum.

Prædixit, Benadad sanandum fore, idest, non moriturum ex vi morbi, quod ita fuit. Nam etsi alterâ die mortuus fuerit, hoc non evenit ex morbo; sed quia Hazael expenso stragulo eum suffocavit, ut dicitur *v.* 15. Imò utrumque ei prædixerat Deus, dum per Elisæum, ait: *Vade, dic ei: sanaberis: porro ostendit mihi Dominus: quia morte morietur.* Idest, ex alia causâ.

Quod Ezechiæ dicitur: *Morieris tu, & non vives*: intelligi debet dictum attentâ qualitate morbi, & dispositione inferiorum causarum. Ita D. Tho.

2. 2.

2. 2. *qu.* 171. *a.* 6. *ad* 2. & 3. *Contragent. c.* 154. Sententia autem Jonæ comminatoria est, idest Ninive subvertendam, nisi pœnitentiam egerit. Recolantur dicta, *Tom.* 3. *in* 1. *P. Qu.* 6. *de Scient. fut. Cond. Dub.* 1. §. 4. *n.* 23.

§. III.

Secunda Assertio.

XII. Dico secundò. Deus nec in natura alienâ assumtâ potest falsum dicere, aut mentiri. Prior pars est contra Calvinum: qui cùm dicat, Christum aliquorum ignorantiâ laborasse, & non solùm diei Judicii, ut *lib.* 2. *Inst. cap.* 16. §. 10. verùm & aliarum causarum naturalium, quarum cognitionem paulatim, ut cæteri homines, acquirebat; consequens est, ut velit, eum ex tali ignorantiâ potuisse errare, & falsum dicere. Altera pars autem videtur esse contra Scotum. Cùm enim affirmet, Deum in natura alienâ posse admittere peccatum, estò de facto nunquam admiserit; videtur negare non posse, Deum in natura alienâ potuisse mentiri, estò de facto mentitus non sit, propter decretum efficax de eo, quòd nunquam mentiretur.

XIII. Hæc tamen nostra Resolutio communis est. Et quidem Deum in in natura alienâ peccare non potuisse, adhuc venialiter, ostendetur in *Tract. de Impeccabilitate Christi*, & proinde nec potuisse mentiri.

Quòd verò nec potuerit in natura alienâ errare, aut falsum dicere ex ignorantia, & absque omni culpâ: jam ostendi *in Vera Ecclesia, Tom.* 1. *c.* 4. §. 3. *num.* 14. Christum, neque ut hominem, ratione scientiæ beatæ, & infusæ aliquid ignorare potuisse; & Calvini objectiones solvi: quæ adire poterit lector. Nunc autem breviter sic ostendo. Ita opponitur falsitas primæ veritati, sicut malitia moralis primæ, ac summæ bonitati: sed prima bonitas, unita alienæ naturæ, ita rectificat omnes vires animæ, ut non possint ullo modo à summa bonitate nec leviter deficere; ergo prima veritas, unita alienæ naturæ, ita rectificat ejus intellectum, ut non possit à prima veritate deficere.

XIV. Sed dices. Deus in natura assumtâ potuit assumere omnes defectus naturales; ergo etiam errorem speculativum, qui defectus naturalis est.

Respondeo, neg. consequ. Ut enim, §. *praced.* dictum est, defectus alii naturales opponebantur quidem felicitati partis inferioris humanitatis Christi, divinis tamen perfectionibus non contradicebant: at error speculativus contradicebat veritati existenti in Deo. Et ratio est. Quia alii defectus naturales sunt defectus absoluti, afficientes solùm subjectum, in quo sunt, solum enim illud dicitur mori, in quo est mors: & sic mors, quæ est in secundo vivente, non opponitur vitæ, quæ est in primo vivente, sed solùm mors, quæ esset in primo vivente. At falsitas, & error est forma respectiva dicens discordantiam à prima veritate, cum qua veritas concordat: & ideo si Deus falsitatem causaret in intellectu creato, activè discordaret à sua primâ veritate; sicut si causaret peccatum, discordaret à sua primâ bonitate.

XV. Dices ulteriùs. Christus de facto mentitus est, cum discipulis euntibus in Emaus finxit, se longiùs ire (*Luca* 24. *v.* 28.) cum tamen haberet in animo, apud illos manere; ergo Deus in natura assumtâ mentitus est.

Respondeo, neg. ant. Non enim omne, quod fingimus, mendacium est; sed quando illud fingimus contra id, quod habemus in mente: vel sic, quòd illâ fictione nihil veritatis, quæ in mente residet, significare velimus. Sic enim mentimur, quia signis externis aliud explicamus, quàm habeamus in mente. Cùm autem fictio nostra refertur ad significandum aliquid, quod in mente

mente resîdet, illa fictione explicamus id, quod habemus in mente; & sic non mentimur: aliàs omnia, quæ à sapientibus, & sanctis viris figuratè dicta sunt, essent mendacia. Sic autem Christus finxit, se longiùs ire, ut ex distantia, quam fingebat exteriùs ab eis, indicaret illis distantiam, quâ ipse Deus ab eorum cordibus distabat. Doctrina est S. Tho. 3. *p. q.* 55. *a.* 4. *ad* 1. Videatur S. August. *l. contra Mendacium c.* 13.

§. IV.

An Deus possit Mentiri, vel dicere Falsum per suos Ministros?

XVI. Dico. Deus nec per ministros suos potest mentiri, aut falsum dicere. Probo evidenti ratione. Si Deus per ministrum suum mentiretur, aut diceret falsum, sequeretur, Deum ipsum mentiri, aut falsum dicere: sed hoc jam refutavimus; ergo &c. Maj. prob. primò. Quando agens principale aliquid agit per ministrum suum, actus ministerialis principaliùs tribuitur ipsi moventi, aut imperanti ministerium, & moraliter est actio ejus: unde si utar ministro, sive ad mentiendum, sive ad dicendum falsum, mendacium, & falsitas æquè tribuetur mihi, ac si ore meo proferrem. Nam minister, ut talis, agit nomine, ac induit personam sui principalis — Secundò prob. maj. Cum Deus loquitur per ministrum, minister loquitur ex inspiratione Dei, juxta illud, Matth. 10. v. 20. *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis;* ergo si minister, ut talis, mentitur, aut falsum dicit, mentitur, & falsum dicit ipse Deus.

XVII. Secundò probatur Assertum. Si Deus per ministros suos, per quos loquitur, potest mentiri, vel falsum dicere, ruit tota fidei nostræ certitudo: tota enim nostra fides nititur revelatis in Scriptura à Deo per ministros, Angelos, Prophetas, Evangelistas, aliosque Sacros Scriptores; ergo si Deus per illos potuit mentiri, aut falsum dicere, quis nos certos facit, hoc non fecisse?

XVIII. Sed dices. Deus mediante Conscientiâ meâ, quæ est ejus ministra, obligat me aliquando ad sequendum errorem; ergo potest Deus per ministrum suum causare errorem. Ant. prob. Deus obligat me ad sequendam conscientiam meam, etiam quando errat: Si enim ex conscientia invincibiliter erroneâ putarem, me teneri dicere mendacium pro tuenda famâ proximi, teneor dicere mendacium ex lege divinâ.

XIX. Respondeo, neg. ant. Non enim Deus obligat ad sequendam conscientiam erroneam. Nam si conscientia errat, & adverto errorem, teneor conscientiam erroneam deponere: sed obligat me ad operandum id, quod judico esse juxta legem Dei, & ad non operandum contra tale judicium. Et quia quando habeo conscientiam erroneam, licitum esse mentiri ad tuendam famam proximi, judico (licèt falsò) legem Dei esse mentiri ad tuendam proximi famam; ideò obligat me, ut operer, non contra, sed juxta legem Dei: sicque Deus non obligat me ad errorem formaliter, directè, & per se. Explico hoc. Suppositâ conscientiâ erroneâ de dicendo mendacio &c. insurgit in meo intellectu discursus iste practicus: non est faciendum id, quod existimatur malum, & contra legem Dei: sed non mentiri ob tuendam famam proximi, mihi apparet malum, & contra legem Dei; ergo mihi est mentiendum. Ex quo discursu sequitur, quòd voluntas consentiat mentiri: talis tamen consensus bonus est, quia regulatus illo discursu vero, & bono: unde ad errorem formaliter non obligat me, sed ad id, quod verum est, nempe, sequi id, quod existimo esse juxta legem Dei. Neque error est in majori præmissâ, nec defectus in illatione: sed error est

in

in minori, quæ non est à Deo, sed à me falsò, & erroneè judicante.

XX. Dices adhuc. Prophetæ ex Dei instinctu loquuntur: sed Prophetæ possunt errare: sic enim, 2. *Reg. 7. v. 3.* Nathan erravit prænuntians Davidi, quòd ipse ædificaturus esset Templum, quod tamen falsum fuit; ergo &c.

XXI. Respondeo, dist. maj. Cum loquuntur ut Prophetæ, conc. maj. semper, nego maj. & similiter, dist. min. Andiendus est S. Thomas Quolib. 12. a. 26. ad 1. *Gratiæ gratis data non sunt habitus, sed sunt quidam motus à Spiritu Sancto: aliàs si essent habitus, Propheta quando vellet, per donum prophetia revelationem haberet, quod falsum est. Et ideo de aliquibus occultis revelandis aliquando tangitur mens à Spiritu Sancto, & aliquando non, sed aliqua eis occultantur. Et ideo dixit Elisæus* (4. Reg. 4. v. 27. Et Dominus celavit à me. *Aliquando etiam aliqua dicunt à se ipsis, sicut patet de Nathan, qui consuluit David, quòd ædificaret templum; postea autem à Domino reprehensus, & quasi retractus, prohibuit hoc ipsi David ex parte Dei &c.* Videatur etiam hàc 2. 2. *q. 171. a. 5.*

§. V.

An Deus uti possit Verbis Æquivocis, & Amphibologicis in alio Sensu, quàm ab Auditoribus intelligantur?

XXII. Variis modis potest contingere, quòd quis loquens in uno sensu præsumere possit, ab audiente se intelligi in alio. Primò: cùm quis profert verba duplicem sensum habentia, utrumque usitatum, ut illud: *Ajo te Eacidam Romanos vincere posse;* quæ locutio potest usitato modo in duplici sensu intelligi. Vel quòd Eacidas possit vincere Romanos; vel quòd Romani possint vincere Eacidam.

Alio modo, cùm quis utitur verbis, quæ duo quidem possunt significare, non tamen æqualiter; sed unum per se, & veluti ad literam, & aliud non tàm ad litteram, quàm ad spiritum. Sicut Christus, *Matth. 11. v. 14.* dixit, Joannem Baptistam esse Eliam, intelligens esse Eliam in spiritu: quod de se negabat Joannes, intelligens, se vocari Eliam in persona.

Tertio modo, hoc contingit utendo verbis, quæ solitariè prolata mendacium proferunt, si tamen conjungantur cum aliis, quæ loquens in mente retinet, ac intra se, faciunt verum sensum. Sicut si quis, reus alicujus criminis, non legitimè interrogatus: an fecerit tale crimen, respondeat: *non feci*, retinens tamen apud se, *ego legitimè interrogatus*: tum quibus verbis conjungens ly *non feci*, facit propositionem negativam de subjecto non supponente, quæ juxta regulas Dialecticæ vera propositio est, & facit verum sensum.

XXIII. Certum ergo est apud omnes, nobis esse licitum uti verbis æquivocis, & amphibologicis in primo, & secundo sensu: imò Deum ipsum illis uti posse. Tùm quia: in Scriptura Sacra plures locutiones amphibologicas invenimus: nec desunt causæ ad cohonestandum talium locutionum usum. Quarum prima est. Ne Scriptura Sacra adeo facilis sit, ut etiam rudioribus pateat; & ne vilescat apud eos, qui spiritualia non gustantes, si de facili eam intelligerent, contemnerent. Secundò: ut studium nostrum in Sacra Scriptura excitetur. Tertiò: quia hoc modo obligantur Fideles verum Scripturæ sensum ab Ecclesia, & Pastoribus excipere. Quartò: ne Infideles, ad quos libri Sacri venerint, fidei mysteria noverint, eaque irrideant. Quintò: ut nonnulla, quæ in sacris Litteris enuntiantur futura, quæque non expedit, à nobis sciri, maneant nobis obscura.

XXIV. Difficultas est de usu verborum tertii generis. Et quidem ante tempora Innocentii XI. ferè communis erat sententia, licitum esse uti.

uti mentalibus restrictionibus, seu proferre verba exteriùs, aliquid interiùs retinendo in mente. Attamen postquàm Innocentius, *Proposit. 26. & 27.* damnavit absolutè usum restrictionis mentalis; simpliciter tenendum est, illicitum esse, uti amphibologicis locutionibus tertio modo supra explicato; nimirum, quando ille, qui loquitur, aliquid interiùs retinet varians sensum: ita ut neque ex verbis, neque ex circumstantiis, neque ex alia causa manifestetur interior loquentis sensus, & mens. Et ratio est evidens. Nam conceptus interiùs retentus neque partialiter concurrere potest ad locutionem externam: non enim homines more angelico loquuntur per ipsos mentis conceptus, sed vocibus, aut signis externis; ergo quoties aliquis aliquid habet in mente, & signis, vel vocibus aliud dicit, quo id, quod habet in mente, non manifestat, dicit aliter, ac habet in mente, & consequenter mentitur. Et propter hanc rationem

XXV. Dico primò. Deus hoc modo non potest uti amphibologiis, nimirum, involuentibus restrictionem mentalem, quæ hominibus innotescere nequeat. Et hoc ea ratione, quâ mentiri non potest.

Si verò, vel verba ipsa, vel circumstantiæ prolationis, vel quidquam aliud quodammodo explicarent verba interiùs retenta, non esset ampliùs restrictio mentalis. Unde

XXVI. Dico secundò. In hoc sensu potest Deus amphibologicè loqui. Ita enim locutum fuisse, credimus Christum. Tùm *Marci 13. v. 32.* ubi ait: *De die autem illo* (judicii) *vel horâ nemo scit, neque Angeli in Cœlo, neque Filius.* Idest, filius non scit diem, vel horam Judicii, quia est res occulta; id autem, quod occultum est, nesciri dicitur. Vel non scit, quia nolebat facere, nos illud scire: sicut enim in Scripturis dicitur Deus primò scire, vel cognoscere, quod facit cognoscere, ut Genes. 22. v. 12. *Nunc cognovi, quòd times Deum*, idest, nunc cognoscere feci: ita dici potest nesciri, quod licèt sciatur, non tamen nobis est manifestandum: & hunc sensum, si benè adverterunt, ex modo loquendi Christi intelligere potuerunt Apostoli. Tùm etiam, *Joan. 7. v. 8.* quando rogatus, ut ascenderet in Templum ad diem festum, respondit: *Ego non ascendo ad diem festum hunc;* cùm tamen, *v. 10.* dicatur, quòd *ascendit.* Ibi enim nulla fuit mentis restrictio: quia ex circumstantia petitionis eorum, qui volebant, ut palam ascenderet, & ut in eo manifestaret seipsum mundo; poterant, si attendissent, sufficienter intelligere, Christum respondisse, se non ascensurum palam, & publicè, sed in occulto, ut postea fecit: unde dicitur v. 9. *Tunc & ipse ascendit ad diem festum, non manifestè, sed* quasi in *occulto.*

XXVII. Ratio autem est. Quia in simili modo loquendi non involvitur falsitas, nec mendacium; sed solùm obscuritas, & difficultas, quæ exigat interpretationem eorum, quæ dicuntur; quamque invenire possunt ii, qui audiunt, vel ex ipsis vocibus, vel circumstantiis, vel ex alia causâ. Quod maxime verificatur in locutionibus Dei. Licèt enim Deus obscurè satis, & intellectu difficilis in aliquo loco loquatur: alibi tamen toties seipsum explicat, ut benè servantes Scripturas, in ipsis inveniant, vel invenire possint consonum sensum; & demum adire Ecclesiam, ejusque Caput visibile Summum Pontificem, apud quem reliquit Deus judicium infallibile in interpretando sensum eorum, quæ in Scripturis locutus est.

§. VI.

§. VI.

An Falsa Doctrina possit à Deo Confirmari Miraculis Veris?

XXVIII. Quia (ut ait S. August. Epist. 49. nunc 102. ad Deo Gratias, q. 6.) *Sicut humana consuetudo verbis, ita divina potentia etiam factis loquitur. Et sicut sermoni humano verba nova, vel minùs usitata moderatè, ac decenter aspersa splendorem addunt; ita in factis mirabilibus congruenter aliquid significantibus, quodammodo luculentior est divina eloquentia.* Propterea ea, quæ Deus dicit, ut homines dignoscant, esse à Deo dicta, miraculis etiam adtestari consuevit. Unde Christus veritatem suæ doctrinæ miraculis confirmabat; & Joanni Baptistæ per suos discipulos quærenti: an ipse esset Messias, hoc responso occurrit, Lucæ 7 v. 22. *Euntes renunciate Joanni, quæ audistis, & vidistis: Quia cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, mortui resurgunt.* Et *Marci 16. v. 17.* in signum veritatis fidei, quam prædicaturi erant, dedit potestatem miraculorum, dicens: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent &c.* Ideo Quæsito aperitur locus: an possit falsa doctrina miraculo vero (quod nimirum supra totam naturam sit, & solâ divinâ virtute patrari possit) confirmari.

XXIX. Quod dupliciter contingere potest. Primò sic, ut Deus faciat miraculum ex intentione confirmandi falsam doctrinam. Et hoc modo Deum miracula non posse facere, æque certum est, ac certum, quòd Deus sicut nec dicto, ita nec facto suo potest falsum confirmare, & attestari. Alio modo veluti concomitanter, nimirum in ea circumstantiâ, in qua quis miraculo abusurus esset ad confirmationem falsi. Ut si quis Pseudopropheta præsciens, horâ determinatâ Deum cras facturum miraculum, illâ horâ ascenderet suggestum, & falsa proferens, miraculum illud in confirmationem eorum promittat, & statim miraculum eveniat. Quia tamen iste casus metaphysicus est; vix enim credi potest, quòd Deus sciens Pseudoprophetam abusurum miraculo futuro, illi revelet, se tali horâ, vel momento tale miraculum operaturum: ideo alio modo proponi potest casus: An scilicet præsciens Deus, quòd si tali horâ, vel loco, puta, juxta sepulcrum falsi Martyris faciat miraculum, homines prudenter credituros esse, tale miraculum fieri in attestationem sanctitatis illius viri, possit Deus illud facere. Qui casus evenire potest.

XXX. Dico ergo. In neutro casu potest Deus facere miraculum. Prob. primò. Nam aliàs Deus fieret illo miraculo testis falsitatis, & quodammodo ceù sigillo obsignaret falsum, eo modo, quo Rex sigillum suum traderet in ea circumstantia, in qua sciret, adhibendum fore ad obsignandum falsum diploma. — Quod confirmo. Deus promisit miracula facere, vel ad ostensionem suæ potentiæ, & majestatis, vel ad confirmationem sanctitatis viri, aut veritatis doctrinæ: at si illa faceret in circumstantia, in qua præscit, hominem abusurum ad confirmandam falsam doctrinam, vel falsam viri sanctitatem, Deus testificaretur ut veram sanctitatem falsam, ac ut veram doctrinam falsam; & qui deciperentur, rationabiliter dicere possent Deo: Domine à te decepti sumus; ergo &c.

XXXI. Dices, Deum in illo casu non fore testem falsitatis, quia miraculum non faceret ex fine attestandi falsitatem. Sicut ex quo Deus permittat conscientiæ abusum divinæ legis, non sequitur, quòd suâ divinâ lege concurrat ad illum conscientiæ errorem: quia Deus suâ lege illum non intendit, neque legem facit eo fine, ut conscientia errando illâ abutatur; ergo &c.

XXXII. Respondeo, neg. conseq. & disparitas est. Nam error conscientiæ, vel est invincibilis: & sic, qui juxta illam operatur, non peccat; nec Deus talem errorem permittens, censetur velle abusum suæ divinæ legis. Vel est vincibilis: & tunc habens talem errorem non tenetur juxta talem errorem operari; sed potiùs potest, imò tenetur, talem errorem deponere; & si non faciat, illi absus divinæ legis tribuitur: unde benè potest Deus illum permittere, quin ei tribuatur. At vera miracula, utpote à Deo instituta in testimonium veritatis, necessitant eos, qui ea vident, ad credendum, id, quod per illa comprobatur, esse verum, & à Deo dictatum: unde si fierent in ea circumstantia, in qua homines crederent, per illa comprobari fasum; etiamsi Deus id non intenderet, ejusmodi falsæ credulitatis, & falsitatis auctor jure censendus esset. Tenetur ergo Deus non permittere abusum eorundem in comprobationem falsi; aliàs convinceretur, voluisse falsum suis miraculis comprobare. Plura de hoc dixi *in Vera Ecclesia cap. 2. per totum*.

XXXIII. Modò tamen compendio dico primò. Malos homines posse facere vera miracula in confirmationem veritatis, si veram fidem annuncient, & Christi nomen invocent. Hoc enim probat illorum interrogatio, qui in die Judicii dicturi sunt, Matth. 7. v. 22. *Nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo Dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Idem significat Paulus 1. Cor. 13. indicans, fieri posse, ut per fidem aliquis transferat montem, etiamsi caritatem non habeat.

Secundò. Neque Magos, neque hæreticos ullum unquam veri nominis miraculum in suæ Sectæ confirmationem facere potuisse: imò si aliquando attentarunt aliquod facere, aut nihil omnino effectum est, aut contrarium ejus, quod petebant, evenit, aut certè infeliciter cessit. Sic 3. *Reg.* 18. Sacerdotes Baal nequiverunt ignem impetrare, qui eorum hostias consumeret; quamvis clamantes usque ad meridiem, & cultris se usque ad sanguinem incidentes, invocarent Deum suum. Sic Cirola Episcopus Arianus, dum ad suæ religionis veritatem asserendam, quemdam, qui se simulabat cæcum, vellet illuminare, reverâ excæcavit, ut narrat Greg. Turon. *l.* 2. *hist. Francorum c.* 3. Policronius etiam, ut refertur *in* 6. Synodo *Act.* 15. volens coram populo mortuum suscitare, nihil facere potuit. Similia accidisse Luthero, & Calvino, narrant Staphilus, Coclæus, Lindanus, & alii apud Bellarminum *l.* 4. *de notis Ecclesiæ c.* 14.

Nec refert, quòd de Vespesiano Imperatore narrant Historici, ipsum, nempe, cæco lumen, & claudo gressum reddidisse. Hoc enim non est miraculo adscribendum. Tùm quia: Tacitus rem hanc describens, *l.* 4. *Hist.* dicit, medicos tunc consultos respondisse, quòd ægritudines illæ non erant ope humanâ incurabiles. (apud Baron. ad *ann.* 71. *nu.* 6.) Tum etiam: verisimile est, ejusmodi ægritudines fuisse à Dæmone procuratas, qui in gratiam Vespesiani tunc desiit eas inferre, quando Vespesianus eas curare visus est: & hoc, ut foveret errorem, qui apud aliquos insanè invaluerat, nempe, Vespesianum esse Messiam. Hæc enim (inquit Tertullianus in Apologet. c. 22.) Dæmonum ars est: *Lædunt enim primò: dehinc remedia præcipiunt ad miraculum nova, sive contraria: post quæ desinunt lædere, & curasse creduntur*.

Tertiò. Per malos, etiam qui falsa docent, posse miracula fieri, vel ad nominis Christi, quod invocant, commendationem; vel ad ostensionem virtutis Sacramentorum, quæ administrant. Sic, ut refert Socrates *l.* 7. *c.* 17. Paulus Novatianus cùm ad Baptizandum Judæum accessisset, iteratò invenit, aquam baptisterii totam recessisse. Quod miraculum non in confirmationem Novatianæ Sectæ factum fuit,

fuit, sed in detestationem iterationis Baptismi: Judæus enim ille, cùm jam esset Baptizatus, subdolè petebat iterum baptizari. Sic etiam dici potest, miraculum illud virginis Vestalis (si tamen miraculum fuit) quæ, ut se probaret incorruptam, aquam inexpansam cribro perforato gestavit: & alterius, quæ subtili fune ingentem navem traxit ad littus, fuisse factum, non in confirmationem idololatriæ, quam utraque profitebatur; sed in commendationem virginitatis, quam utraque asserebat. Et eâdem ratione nihil obstat, quo minùs miracula fiant per aliquem peccatorem, ad invocationem alicujus Sancti: quæ tamen miracula non dicetur facere ille peccator, sed is, ad cujus sanctitatem demonstrandam fierent. Quin etiam absolutè loquendo fieri potest, ut Deus ministerio Dæmonum utatur in miraculis patrandis, præsertim circa punitiones improborum: quo modo quidam existimant, plagas Ægypti fuisse à Dæmonibus illatas, etsi non improbabile sit, fuisse inflictas per bonum Angelum. Ratio autem omnium prædictorum est. Quia sicut ipsi, quamvis sint mali, possunt testimonium perhibere tùm Christo, tùm Sacramentis ejus, tùm Sanctis: ita Deus potest illis uti ad hujusmodi testimonium ferendum, & per eos tanquam per instrumenta miraculum operari in finem prædictum. Videatur D. Tho. 2. 2. q. 178. a. 2. ad 3.

DUBIUM VII.

An Objectum Fidei debeat esse Obscurum, ita ut non possit esse Visum, aut evidenter Cognitum.

§. I.

Resolutiones Dubii.

I. Stabilitâ præcipuâ fidei dote; nempe, infallibili certitudine, quâ ab omni, vel minimâ, falsitatis umbrâ vindicari postulat; aliam fidei conditionem, nempe, obscuritatem, aggredimur dicente, Apostolo, ad Hebr. 11. v. 1. *Quòd fides est sperandarum substantia rerum argumentum non apparentium.*

Et quidem habitum fidei de Deo de facto non permanere cum visione Dei, & lumine gloriæ permanenter communicato, certum est. Tùm quia: ut ex Paulo dicebamus, fides est substantia rerum sperandarum, & non apparentium: in Patria autem nihil remanet nobis sperandum, nihilque occultum sub velamine erit: *Quoniam videbimus eum sicuti est* (1. Joann. 3. v. 2.) & *Facie ad faciem*, ut Paulus 1. *Cor.* 13. *v.* 12. Hoc ergo supposito, quæritur: an fides, & visio ita ex suis rationibus opponantur, ut nullâ potentiâ dari queat intellectus credens, & simul videns id, quod credit. Rursus: an fides stare possit cum scientia evidente, & an cum opinione: an habitus fidei stare possit cum habitu luminis gloriæ, & an saltem cum lumine gloriæ transeunter communicato. Quæ per sequentes Assertiones resolventur.

II. Dico primò. Actus fidei, & visionis Dei nullo modo in eodem intellectu conjungi possunt. Probatur. Repugnat, idem objectum simul clarè, & obscurè cognosci ab eodem intellectu: sed si idem objectum ab eodem intellectu posset simul credi, & videri,

ri, posset esse simul obscurè, & clarè cognitum; ergo &c. — Neque dicas, repugnare quidem, eamdem rem videre clarè, & obscurè cognoscere per idem medium; non tamen per diversa media, quorum unum sit clarum, alterum obscurum.

III. Nam contra est. Quando duo media sic se habent, ut unum essentialiter præsupponat carentiam alterius in subjecto, non possunt simul compati in eodem subjecto de eadem re. Sic lux, & tenebræ in eodem subjecto, nec à diversis causis simul induci possunt. Sic sperare, & possidere eamdem rem, eam desiderare, & de ea gaudere, neque ex diverso motivo fieri potest. Quia tenebræ essentialiter prærequirunt carentiam lucis, spes carentiam possessionis rei speratæ, desiderium carentiam gaudii, & fruitionis rei desideratæ. Sed fides essentialiter prærequirit in subjecto carentiam visionis, cùm petat essentialiter obscuritatem, & non apparentiam rei; visio autem petit essentialiter carentiam obscuritatis, quia est clara intuitio rei; ergo nec per diversa media potest eadem res credi, & simul videri.

IV. Confirmatur. Fides comparatur motui: *Per fidem enim ambulamus* (inquit Paulus 2. *Cor.* 5. *v.* 7.) visio autem comparatur permanentiæ, & statui in termino: sed motus est actus imperfectus ex parte subjecti, quia exigit, ut subjectum careat possessione termini, ad quem movetur, & est in potentia; ergo fides exigit, ut subjectum careat possessione objecti, quod credit: cùm ergo visio dicat objecti possessionem, fit, ut neque ex diverso medio possint fides, & visio ejusdem rei simul stare.

V. Dico secundò. Actus fidei cum actu scientiæ evidentis de eadem re nequeunt in eodem intellectu simul conjungi. Hanc eædem rationes evincunt, quæ præcedentem Assertionem probavere. Cùm enim fides, ex quo præexigit in subjecto obscuritatem, & carentiam claritatis, pugnet cum visione intuitivâ, quia evidenti; eâdem ratione pugnabit cum alia quacumque cognitione evidenti, sive intuitiva sit, sive abstractiva: evidentia enim habetur non solùm à visione intuitivâ, quæ est ab objecto per se ipsum cognito; sed etiam ab abstractiva, quæ est ab objecto per aliud evidenter cognito, ut patet de conclusionibus, quarum est scientia.

VI. Confirm. De ratione fidei est assentiri, non quia sufficienter moveatur ab objecto proprio; sed per quamdam electionem voluntariè declinare ad unam partem magis, quàm ad aliam, ut docet S. Thom. hoc *a.* 4. sed cum intellectus convincitur ad assentiendum per evidentiam veritatis, quæcumque illa sit, jam non assentitur, voluntariè declinando ad unam partem magis, quàm ad aliam, sed necessariò veritatis evidentiâ convictus; ergo talis assensus cum assensu fidei stare non potest. Unde S. Thom. hâc *q.* 1. *a.* 5. resolvit: *Dicendum, quòd omnis scientia habetur per aliqua principia per se nota, & per consequens visa. Et ideo oportet, quæcumque sunt scita, aliquo modo esse visa. Non est autem possibile, quòd idem ab eodem sit visum, & creditum.... Unde etiam impossibile est, quòd ab eodem idem sit scitum, & creditum.*

Si tamen scientia sit obscura, quia nec habeat evidentiam veritatis in seipsa, nec in suis principiis visis, aut evidenter cognitis, qualis est Theologia nostra; hæc non pugnabit cum fide. Quare Theologus, qui demonstrativè cognoscit, Christum habere voluntatem creatam, de hoc unâ cum scientia habebit fidem; etiam postquam Ecclesia definivit contra Monothelitas, dictam veritatem tenendam esse, ut de fide.

VII. Dico tertiò. Actus fidei, & actus opinionis de eadem re nullo modo componi possunt in eodem intellectu. Ita S. Thomas hâc *q.* 1. *a.* 4. Nam quamvis tàm fides, quàm opinio exclu-

excludat evidentiam; & utraque non sufficienter moveatur ab objecto proprio, sed per quamdam electionem voluntariè declinet in unam partem magis, quàm ad aliam: differunt tamen, quòd opinio facit adhærere uni parti cum dubitatione, & formidine alterius partis; fides autem divina facit adhærere absque formidine, & cum omnimodi certitudine: sed impossibile est, quòd eidem veritati quis simul adhæreat cum formidine alterius partis, existimans, rem posse aliter se habere, & quòd eidem adhæreat absque formidine, & cum certitudine, quòd aliter non possit se habere; ergo &c. Quia tamen hæc quæstio agitari solet in logicis, ubi unusquisque pro libito philosophatur: ideo eam illuc remitto. Hoc unum monitum volo Candidatum meum: nimirùm, quòd, estò qui fide divinâ credit aliquam veritatem, possit etiam cognoscere rationes probabiles, & congruentias, quibus ostenditur, id, quod credit, non esse impossibile; non tamen de eo unâ cum fide habebit opinionem: quia verus Fidelis assentitur illi veritati, non propter congruentias illas, sed unicè, quia Deus eas revelavit.

VIII. Dico quartò. Habitus fidei nequit stare cum habitu luminis gloriæ. Ratio est: quia habitus, quorum actus sunt essentialiter incompossibiles, simul stare non possunt: sed actus fidei, & luminis gloriæ sunt inter se essentialiter incompossibiles, ut dictum est; ergo & habitus. Addo: quòd habitus fidei prærequirit subjectum in via, non in termino; habitus autem luminis gloriæ prærequirit subjectum in termino, non in via: sed nequit idem simul esse in via, & non in termino, & in termino, & non in via; ergo &c. Quare Christus qui habitu luminis gloriæ præditus erat, fidei habitum non habuit, ut omnes Theologi docent.

Si verò lumen gloriæ non per modum habitus, sed per modum transeuntis alicui communicaretur, posset stare cum habitu fidei. Quare *Tom. 2. in 1. p. Q. 2. de Exist. Visionis Dei, Dub. 1. §. 3. num. 9* cùm S. Thoma hâc 2. 2. *q. 175. a. 3. ad 3.* ostendimus, S. Paulum in raptu actu vidisse Deum, & tamen habitum fidei retinuisse. Et ratio est: quia lumen gloriæ, & visio transeunter communicata non extrahit subjectum à statu viæ, nec ponit illud in termino habitualiter. Videantur ibi dicta.

§. II.

Objectorum Solutio.

IX. Objicitur primò contra primam Assertionem. Idem actus amoris in Christo erat liber, & necessarius: liber, ut regulabatur scientiâ infusâ; necessarius, ut regulabatur scientiâ beatâ. Rursùs: idem Christus simul intuitivè videbat Deum per scientiam beatam, & abstractivè per scientiam infusam; ergo idem intellectus poterit saltem, uno actu, per unum medium videre Deum, & per aliud ipsum credere.

X. Responderi solet, con. ant. neg. conf. Nam actus amoris, quo Christus amabat Deum, estò respiceret idem objectum in esse physico, nempe, divinam bonitatem, aliter tamen eam in esse objecti respiciebat, ut erat necessarius: aliter, ut erat liber. Nam, ut necessarius eam respiciebat, ut intuitivè visam, & proinde ut objectum rapiens voluntatem ad sui amorem; ut liber verò respiciebat eamdem bonitatem, ut solùm abstractivè cognitam, & non ut objectum rapiens ad sui amorem; & consequenter sub diversa ratione objectivâ. At in divina essentiâ terminante fidem, & visionem has duas formalitates distinguere non possumus, ut omnibus notum est.

Verùm hæc responsio patitur instantiam. Nam quemadmodum divina bonitas, ut terminans amorem liberum, & necessarium, est diversa in ratione objecti: ita divina veritas, ut

in

in se visa, & ut solùm credita, est in ratione objecti diversa; ac propterea actus visionis, & actus fidei specie distinguuntur. Hinc S. Thom. Q. 14. *de Verit. a.* 8. *ad* 3. ait: *Veritas prima est objectum visionis Patriæ, ut in sua specie apparens, fidei autem ut non apparens: unde etsi idem re sit utriusque actus objectum, non tamen est idem ratione* (formali) *& sic formaliter differens objectum, diversam speciem actus facit.*

XI. Respondeo ergo veriùs, con. ant. neg. conf. Nam ratio liberi, & necessarii opponuntur ex parte medii, seu luminis; unde sub eodem lumine nequit amari bonitas divina necessariò, & liberè: non tamen opponuntur ex parte subjecti, imò nec ex parte actus: unde idem actus sub uno lumine amare potest bonitatem divinam necessariò, sub alio liberè, ut patet in Christo. At visio, & fides opponuntur non solùm ex parte medii, sed etiam ex parte actus, & subjecti; quia visio præexigit in subjecto vidente carentiam obscuritatis, quam exigit fides; & fides præexigit in subjecto carentiam claritatis, quam exigit visio: & ideo nequeunt simul in eodem subjecto de eadem re simul compati.

Eodem modo respondeo ad id, quod additur. Nam visio intuitiva, & cognitio abstractiva, estò opponantur inter se ex parte medii, non tamen repugnant ex parte subjecti. Nam cognitio abstractiva estò minus perfecta, quàm intuitiva, non tamen præexigit in subjecto carentiam claritatis, & visionis, sicut præexigit fides: imò cognitio abstractiva potest esse clara, ut lumen propheticum.

Prætcrire tamen non possum, has instantias nobis favere. Nam in Christo idem actus fuit liber, & necessarius: in eo etiam fuit scientia beata, cum infusa, & abstractivâ, & etiam prophetiâ, ut docet S. Thom. 3. *p. q.* 7. *a.* 8. non tamen in eo fuit, nec esse potuit actus visionis cum fide. Imò nimis probare: probat enim, quòd etiam idem actus possit esse visio, & fides; sicut idem actus potest esse liber, & necessarius: quod tamen nemo somniavit.

XII. Objicitur secundò contra secundam Assertionem. Philosophus Gentilis habens scientiam de hac veritate: *Deus est*, si ad fidem convertatur, debet eamdem credere, juxta illud Pauli Hebr. 11. v. 6. *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Ergo in hoc Philosopho erunt simul scientia, & fides de eadem veritate.

XIII. Ex multis, eisque plausibilibus responsionibus, quibus Nostrates huic objectioni, quæ est Achilles P. Suarez, occurrere solent, eam eligo, quam tradit Mag. Ferre. Dist. ant. eamdem veritatem credere sub eadem ratione, sub qua de illa scientiam habet, nego ant. Sub alia ratione considerata con. ant. & eodem modo, nego conf. Philosophus ergo ille habens scientiam hujus veritatis: *Deus est*, si convertatur ad fidem, habebit etiam fidem de illa, non sub ea ratione, sub qua scientiam habebat; sed sub alia, sub qua eam ignorabat. Nam ante conversionem solùm habere poterat scientiam de *an est*, seu existentia Dei auctoris naturæ: postquam autem est conversus ad fidem, habet fidem de *an est*, seu existentia Dei auctoris gratiæ. Paulus autem non imponit singulis præceptum credendi *an est* Dei auctoris naturæ, sed *an est* Dei auctoris gratiæ. Quod ita ostendo. Hæc enim duo, quæ ibi proponit Paulus credenda: *Quia est, & quia remunerator est*, sunt prima credibilia, in quibus implicitè omnes alii articuli fidei continentur: sed cæteri articuli fidei, utpotè ad ordinem gratiæ spectantes, non continentur in articulo *quia est*, sumto pro Deo auctore naturæ, benè verò pro Deo auctore gratiæ; ergo Paulus proponit credendum hoc secundum, non verò primum. Addo; quòd Paulus propo-

proponit credendum, Deum esse remuneratorem: sed Deum esse remuneratorem, pertinet ad Deum auctorem gratiæ; ergo &c. Præterea: Paulus dicens, accedentem ad Deum oportet credere, quia est, præcipit credere esse Dei, ad quem fit accessus per justificationem; nam de hac loqui ur Paulus ibi: sed dum quis accedit ad Deum, ut justificetur, accedere debet ad Deum auctorem gratiæ, non auctorem naturæ; ergo &c.

XIV. Sed dices. Non solùm spectant ad fidem ut credenda ea, quæ supra naturam sunt, sed ea etiam, quæ ratione naturali probari possunt, ut docet D. Tho. hâc 2. 2. *qu.* 2. *a.* 4. ergo etsi Deum esse auctorem naturæ ratione naturali probari possit, adhuc tamen illud credere oportet.

XV. Respondeo, dist. conf. Ab eo, qui de illa veritate non habet scientiam, conc. conf. Ab illo, qui de illa habet scientiam, nego conf. Responsio est D. Thom. loco citato *ad* 2. dicentis: *Quòd de eodem non potest esse scientia, & fides apud eumdem: sed id, quod est ab uno scitum, potest esse ab alio creditum*. Quod docuerat etiam *q.* 1. *a.* 5. ubi dicit: *Impossibile est, quod ab eodem idem sit scitum, & creditum. Potest tamen contingere, ut id, quod est visum, vel scitum ab uno, sit creditum ab alio*. Et ponens exemplum in Trinitate, quam nos credimus, & visuros speramus, Angeli autem vident, concludit: *Et sic similiter potest contingere, ut id, quod est visum, vel scitum ab uno homine, etiam in statu viæ, sit ab alio creditum, qui hoc demonstrativè non novit*. Sic ergo in casu. Idiota qui demonstrativè non novit, Deum esse auctorem naturæ, illum fide credit; Philosophus autem, qui de ea veritate habet scientiam, non potest illam credere.

XVI. Neque inferas, deterioris conditionis fore Sapientes, quàm rusticos, & idiotas: si isti per fidem, quæ est majoris certitudinis, quàm scientia, cognoscunt, Deum esse auctorem naturæ, illi verò non.

XVII. Nam respondeo, negando illatum. Aliud enim est cognoscere aliquid propter divinam revelationem, aliud est illud credere. Nam credere est assentiri unicè ob auctoritatem Dei dicentis: ita ut hæc sit tota, & adæquata ratio, quare assentitur. At cognoscere ob auctoritatem Dei revelantis, non dicit necessariò totam, & unicam rationem assentiendi, esse auctoritatem Dei dicentis. Sicut opinari est habere medium opinativum pro totali, & unica ratione assentiendi: cognoscere autem aliquid per medium opinativum, hoc non dicit. Nam ut docet D. Tho. 3. *p. q.* 9. *a.* 3. *ad* 2. Qui per scientiam cognoscit causam, ex hoc etiam magis potest cognoscere signa probabilia. Philosophus ergo ille præberet assensum huic veritati: *Deus est*, non solùm propter suam scientiam, sed etiam propter auctoritatem Dei hoc dicentis: & quia haberet scientiam, melioris conditionis certè esset, quàm rusticus ignarus, qui eam non habet. At quia præter scientiam haberet etiam cognitionem, & assensum ob auctoritatem Dei, esset æqualis conditionis cum rustico: estò, quia non unicè ob hoc assentiretur, dici non posset, quòd de ea veritate haberet fidem. Ille autem actus esset supernaturalis, & procedens à fide, quasi extensivè, & secundariò: non tamen esset actus fidei, quia non obscurus, nec unicè innixus testimonio Dei. Sicut cognitio per medium probabile alicuius rei in eo, qui de illa re habet scientiam, procedit secundariò à scientia, quamvis non sit actus scientificus.

Ex his inferes, quòd si Deus, postquam quis evidenter per medium demonstrativum scit aliquid, illudmet, quod scit, eidem revelaret, & sciens illi preberet assensum; adhuc tamen assensus iste non foret assensus fidei, nec redderet illum credentem: quia cùm de illa veritate jam haberet evidentiam per medium demonstrativum, non unicè assentiretur ob auctorita-

tem

tem Dei; nec esset assensus supponens in subjecto obscuritatem, sed evidentiam de illa re: & proinde non esset actus fidei propriè talis. Sicut cognitio, per medium probabile, veritatis alicujus, de qua quis habet scientiam, non est actus opinativus.

XVIII. Tertiò objicies contra eamdem. Qui solâ scientiâ abstractivâ viæ aliquid scit, adhuc potest illud credere. Probo primò sic. Ille talis adhuc est viator; ergo potest credere, quia per fidem ambulamus — Secundò. Ille talis adhuc haberet spem; ergo posset habere fidem: quia licèt fides dari queat sinè spe, non tamen spes sinè fide.

XIX. Respondeo, concedendo totum, quod in prima probatione adducitur, quod non est contra nos. Cùm enim circa divina supernaturalia, de quibus per se datur fides, non detur scientia evidens in hac viâ, sed solùm obscura; ideo optimè poterit ea scire, & credere, quia scientia obscura cohabitare potest cum fide de eadem re, ut supra diximus — Verùm etsi admittamus, quòd etiam circa supernaturalia dari possit scientia evidens: ita ut sicut ex effectibus naturalibus evidenter cognoscimus, Deum esse auctorem naturæ: ita ex effectibus supernaturalibus evidenter cognoscamus, Deum esse auctorem gratiæ: in hoc casu dicimus, quòd ille haberet quidem cognitionem per fidem, & meritum fidei, & sic diceretur adhuc ambulare per fidem; non verò haberet fidem actu, & propriè. Sicut in Christo erat meritum fidei, & cognitio, quæ in nobis est fidei, & tamen in eo non erat fides.

Ad secundam concedo, quòd in illo esset spes de re revelatâ, non tamen esset de ea vera fides, sed sola cognitio, etiam per medium fidei, quæ scientiam in illo confirmaret, & illa cognitio regularet ejus spem: quia licèt veritatem illam non crederet, eam tamen non solùm per medium demonstrativum, sed etiam per revelationem cognosceret.

XX. Quartò objicies contra eamdem. Lumen scientiæ est lumen clarum, lumen fidei est lumen obscurum: sed adveniente lumine claro, non tollitur lumen obscurum, sicut adveniente claritate Solis, non extinguitur candela; ergo &c.

XXI. Respondeo cum D. Tho. 1. 2. q. 67 a. 5. ad 2. dist. min. Si utrumque lumen sit in diverso subjecto, sicut lumen clarum est in Sole, & lumen obscurum in candela, co. min. Si utrumque sit in eodem subjecto, sicut lumen clarum scientiæ, & obscurum fidei deberent esse in eodem intellectu, nego min. *Imperfectio* (inquit S. Tho. citatus) *luminis candelæ non opponitur perfectioni solaris luminis, quia non respiciunt idem subjectum. Sed imperfectio fidei, & perfectio gloriæ* (& etiam perfectio scientiæ claræ) *opponuntur ad invicem, & respiciunt idem subjectum: unde non possunt esse simul, sicut nec claritas aeris cum obscuritate ejus.*

XXII. Quintò objicies contra eamdem. S. Thomas Apostolus habuit evidentiam physicam, & experimentalem de eo, quòd Christus Dominus esset, quem videbat, & palpabat: & tamen ipsum credebat, dicente ipso Christo, Joann. 20. v. 29. *Quia vidisti me, Thoma, credidisti.* Insuper Apostoli habuerunt fidem de Christi Resurrectione: videtur enim durum, quòd fidem de illa amiserint: & tamen habebant evidentiam physicam de eo, quòd Christus à mortuis surrexisset; ergo &c.

XXIII. Respondeo cum D. Tho. hàc q. 1. a. 4. ad 1. *Quòd Thomas aliud vidit, & aliud credidit; hominem vidit, & Deum credens, confessus est, cùm dixit:* Dominus meus, & Deus meus. — Apostoli item in Resurrectione Christi aliud videbant, aliud credebant, & quod credebant, non videbant. Videbant in eo vitam naturalem restitutam, & hanc non credebant: sed virtutem divinitatis, qua à mortuis surrexerat, credebant, &

hanc

hanc non videbant. Sic qui videbat, Christum mori, habebat evidentiam, quòd Christus moreretur: quòd autem qui moriebatur esset Deus, non habebat per evidentiam, sed per fidem.

XXIV. Objicies sextò contra quartam Assertionem. Habitus fidei potest stare cum lumine gloriæ communicato per modum auxilii, & passionis transeuntis; ergo poterit stare cum eodem communicato per modum habitus, & permanentis. Cons. prob. Quæ enim vel unico instanti possunt simul coexistere, coexistere etiam possunt permanenter, imò & semper: unde si peccatum mortale posset unico momento coexistere cum gratia, posset cum illa coexistere permanenter.

Et confirmatur. Nam quilibet actus visionis reddit incapacem videntem, ut possit credere id, quod semel vidit: sicut qui semel vidit Romam, non potest ultra credere, Romam esse; ergo si hoc non obstante potest cum actu visionis compati habitus fidei, poterit etiam compati habitus visionis cum habitu fidei.

XXV. Respondeo, conc. ant. neg. cons. Ad prob. respondeo, negando suppositum. Non enim dicitur, lumen gloriæ per modum transeuntis dari, quia parùm duret; & dari per modum permanentis, quia multùm duret: sed per modum permanentis dari dicitur, quia producit in subjecto inclinationem, & habitum permanentem ad videndum Deum: qui habitus immediatè opponitur cum habitu fidei, & extrahit subjectum à statu viæ. Dicitur verò dari per modum transeuntis, quia datur per modum dispositionis, vel passionis facilè mobilis, non extrahentis subjectum à statu viæ, & per modum actus: actus autem non statim destruit habitum oppositum. Peccatum verò actuale, quia statim producit habitum, & maculam in anima, ideo nullâ viâ potest stare cum gratia.

Hinc ad Confirmationem dico, quòd qui Romam semel vidit, non credit, illam esse; quia transacto actu visionis, remanet in eo habitus evidenter inclinans in existentiam Romæ, & species eam repræsentans. Qui autem habet habitualem evidentiam de aliquo, non potest illud credere habitualiter, & proinde nec actualiter. At visio Dei transeunter D. Paulo communicata non reliquit in eo habitualem evidentiam, neque speciem repræsentantem ea, quæ vidit; sed transactâ visione, remansit prorsus obscurus, & sine recordatione. Unde dicebat de se ipso, 2. Cor. 12. v. 3. *Scio hujusmodi hominem (sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit) quoniam raptus est in Paradisum, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.*

XXVI. Solet hic inseri quæstio: an qui haberet extra Verbum evidentiam revelationis divinæ, posset credere rem revelatam. Verùm quia aliqui negant, suppositionem hanc esse possibilem: qui verò eam admittunt possibilem, inter se dissident, quibusdam affirmantibus, quibusdam negantibus, eum, qui haberet evidentiam divinæ revelationis, habiturum fidem de re revelata; & quia insuper parùm utilem judico, ideo eam dimitto.

DUBIUM VIII.

Utrum Mysteria Fidei Divinæ sint evidenter Credibilia.

§. I.

Resolutio Dubii.

I. Ex dictis constat, ea, quæ credimus, nobis evidenter non apparere, quòd sint vera. Modò excitatur quæstio: an saltem nobis evidenter constare possit, quòd sint credibilia, idest, digna, ut credantur. Sicut enim aliud est, aliquid esse evidenter probabile, aliud est, esse evidenter verum; quia licèt id, quod est proba-

probabile, non habeat argumenta intrinseca evidenter ostendentia, illud esse verum, hoc enim est contra rationem probabilis: habere tamen potest argumenta evidenter ostendentia ejus probabilitatem: ita aliud est, aliquid esse evidenter credibile, aliud est esse evidenter verum. Huic quæstioni occasionem dat S. Thomas hic a. 4. *ad* 2. dicens: *Ea, quæ subsunt fidei, dupliciter considerari possunt. Uno modo in speciali; & sic non possunt esse simul visa, & credita .... Alio modo in generali, scilicet, sub communi ratione credibilis; & sic sunt visa ab eo, qui credit. Non enim crederet, nisi videret, ea esse credenda, vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid hujusmodi.*

II. Dico ergo. Mysteria fidei catholicæ sunt evidenter credibilia. Probo primò. Illud communi omnium judicio censetur esse evidenter credibile, cujus credibilitas magnis, & claris argumentis probatur: atqui credibilitas mysteriorum fidei magnis, & claris argumentis probatur, quæ inferiùs referemus; ergo &c.

III. Secundò. Illa, ad quæ credenda inducunt signa, & motiva extrinseca indubiæ auctoritatis, & maximi ponderis, censenda sunt evidenter credibilia, seu evidenter digna, ut illis fides adhibeatur: at mysteria fidei catholicæ sunt talia; ergo &c. Maj. videtur certa. Quia non est minùs evidens, quòd medium verè probabile efficiat conclusionem verè probabilem; quàm quòd medium demonstrativum pariat conclusionem demonstrativam. Unde ut ait Cajet. in 2. 2. qu. 1. art. 4. §. 4. ad evidentiam: *Est differentia inter videre, aliquid esse scibile, & videre, aliquid esse credibile. Scibile namque est aliquid ex se, credibile autem ex testimonio: ac per hoc si constat, aliquid esse scibile, constat, illud esse verum, necessarium &c. Si autem constat, aliquid esse credibile, non constat propterea, esse verum; sed testimonia esse talia, ut illud sit credibile: ut quotidiana experientia in judicum sententiis per testes, & propriam confessionem manifestat. Ex hoc namque, quòd fide digni testes aliquid asserunt, & reus spontè confitetur, non habetur certa evidentia, quòd ita sit (possunt enim omnes mentiri) habetur tamen evidentia, quòd ita est, est credibile, & judicabile absque alterius partis formidine.* Hæc subtiliter Cajetanus. Min. verò probabitur infra, adducendo testimonia, & motiva, quibus nostræ fidei mysteria credibilia sunt. Quare Psalm. 92. v. 5. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.*

IV. Dices primò. Si Mysteria fidei sunt evidenter credibilia, erunt evidenter vera: benè enim sequitur: *Omne evidenter credibile est verum: Deum esse unum, & Trinum, est evidenter credibile; ergo est evidenter verum;* sicut benè sequitur: *Hoc est evidenter scibile; ergo est evidenter verum.*

V. Respondeo, quòd si major præmissa intelligatur de credibili fide humanâ, falsa est: ut enim ex Cajetano vidimus, multa sunt evidenter credibilia fide humanâ, quæ tamen falsa esse possunt. Quòd si de credibili fide divinâ intelligitur, dist. maj. Est evidenter verum, quòd sit credibile, seu in ratione credibilis, con. maj. Evidenter verum in se, nego maj. Qui enim fide divinâ credit, videt quidem motiva extrinseca, quæ ipsi reddunt credibile id, quod credit; illud tamen, quod credit, non videt. Qui autem evidenter cognoscit, aliquid esse scibile, evidenter cognoscit, illud esse verum; quia evidentia scibilitatis non ab extrinseco testimonio petitur, sed à principiis intrinsecis rei: unde idem judicium fertur de evidentia scibilitatis, ac de evidentia veritatis rei in seipsa.

VI. Dices secundò. Quod est evidenter credibile, est evidenter possibile: sed mysteria nostræ fidei non sunt evidenter possibilia; ergo neque &c. Maj. prob. Quod est evidenter impossibile, est evidenter incredibile;

dibile; ergo quod est evidenter credibile, est evidenter possibile: arguitur enim ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis.

VII. Respondeo, neg. maj. Ad probat. nego conf. Neque enim proceditur ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis. Oppositum enim huius antecedentis: *Hoc est evidenter impossibile*, non est istud: *Hoc est evidenter possibile*: cùm utraque propositio sit affirmativa, sed istud: *Hoc non est evidenter impossibile*. Et oppositum contradictorium hujus: *Hoc est evidenter incredibile*, non est istud: *Hoc est evidenter credibile*, sed istud: *Hoc non est evidenter incredile*. Ex quo optimè infertur oppositum antecedentis, nempe; *Ergo non est evidenter impossibile*. Quod quidem verum est. Nam mysteria fidei non sunt evidenter impossibilia, nec tamen sunt evidenter possibilia; sed solùm non est evidens, illa esse impossibilia.

VIII. Dices tertiò. Si Mysteria Fidei essent evidenter credibilia, non esset necessaria pia affectio voluntatis ad credendum illa; quia ad credendum intellectus esset evidenter convictus: sed hoc falsum esse videbimus; ergo &c.

IX. Respondeo, dist.maj. ad credendum, ea esse credibilia, con. maj. Ad credendum, ea esse vera, neg. maj. Dupliciter ergo intellectus potest convinci ab objecto evidenter credibili. Uno modo ad judicandum evidenter, illud esse credibile: & ad hoc intellectus non eget piâ affectione voluntatis eum inclinantis ad assensum, sicut nec eâ eget ad assensum scientificum. Alio modo ad credendum, id quod judicat, esse credibile: cùm autem stante evidentiâ, quòd sit credibile, possit adhuc dissentire, imò de facto multi dissenserint, & dissentiant: ideo ad inclinandum intellectum ad assensum, cùm objectum, quia non visum, per se non sufficiat, requiritur pia motio voluntatis.

X. Dices quartò. Motiva illa credibilitatis, qualiacumque sint, nunquam efficient, veritates fidei esse tantâ certitudine credibiles, quantâ prædicantur eredendæ: alioquin unde contingeret, quòd non credantur? — Rursus: quæcumque rationes afferantur ad persuadendum, mysteria nostræ fidei esse evidenter credibilia, nunquam efficient, ut vi illarum aliquis convertatur, aut credat: quia multi, quibus illæ fuerunt propositæ, non crediderunt; ergo sunt superfluæ.

XI. Respondeo, neg. ant. Cùm enim unusquisque judicet, prout affectus est; quòd aliqui, visis miraculis, aliisve motivis ostendentibus evidenter, mysteria esse credibilia fide divinâ, nolint credere, ex eorum prava affectus dispositione procedit. — Unde ad id, quod additur, dico, solùm sequi, quascumque rationes allatas ad convincendam credibilitatem mysteriorum fidei non necessitare intellectum ad credendum; sed adhuc liberum esse, & ulteriùs requiri piam supernaturalem affectionem voluntatis: non sequi tamen, eas esse superfluas, cùm potius magnæ utilitatis sint. Tùm quia: suaviter disponunt mentem hominis ad credendum. Tùm quia: per illas argumenta contraria refelluntur. Tùm quia: justè per eas condemnantur, qui illis visis nolunt credere: & qui illis visis credunt, non leviter, & temerè, sed rationabiliter moveri ad credendum ostenduntur.

§. II.

Motiva Credibilitatis Afferuntur.

XII. Duodecim argumenta extrinseca, quibus evincitur credibilitas Religionis Christianæ, profert, & prosequitur Gonet *Disp. 1. de Objecto fidei a. 8.* Nos ea, quæ S. Thom. *1. Contragent. c. 6.* expendit primò adducemus, alia deinde subjicientes.

Primum ergo sumitur ex miraculis in confirmationem Evangelicæ doctrinæ patratis. Non enim est credibile, quòd

quòd divina potentia tot mirabilia operata fuerit in confirmationem falsitatis confictæ ab hominibus, ut ostensum est supra: sed in testimonium Evangelicæ doctrinæ multa sunt patrata miracula, omnem naturæ potestatem excedentia, à Christo, & Apostolis, ut Sacræ Litteræ testantur; & à viris sanctis, ut tradunt historiæ; ergo &c. Huc pertinet, quòd à falsarum religionum cultoribus, vel auctoribus nullum omnino miraculum inveniatur factum ad dogmatum suorum confirmationem: sed, vel mirabilia quædam naturæ potestatem non excedentia, vel prodigiosa, & falsa. De quo videndi sunt August. *l.* 10. *de Civit. Dei c.* 16. Tertull. *l. de Præscript. c.* 30. Cyrillus Hierosol. *Catechef.* 6. Gregor. Turon. *l.* 2. *Hist. Franc. c.* 3. Et Synodus sexta *Act.* 15.

Quòd si dicatur, illa miracula non fuisse verè patrata, sed conficta; dicam, quod Augustinus *l.* 22. *de Civit. Dei c.* 5. iis, qui negabant miracula facta in confirmationem Resurrectionis, ceù conficta credere nolebant, respondit: nimirum, hoc majus miraculum fuisse, quòd sinè miraculis rem incredibilem totus Orbis crederet: *Si verò,* (inquit) *per Apostolos Christi, ut eis crederetur, Resurrectionem, atque Ascensionem prædicantibus Christi, etiam ista miracula facta esse non credunt; hoc nobis unum grande miraculum sufficit, quòd eam terrarum Orbis sinè ullis miraculis credidit.* Inter miracula enim, quæ veritates fidei reddunt credibiles, non solùm computandæ sunt, illuminationes cæcorum, suscitationes mortuorum &c. sed etiam (quòd mirabilius est) ait S. August. ibi, & ex eo S. Th. citato *c.* 6. 1. *Contrag.* humanarum mentium inspirationes: ut idiotæ, & simplices dono Spiritus Sancti repleti summam sapientiam, & facundiam in instanti consequerentur: &, quod est mirabilissimum, per pauperum, & ignobilium prædicationem innumerabiles turbæ, non solùm simplicium, sed etiam sapientissimorum hominum conversæ fuerint ad fidem christianam: in qua omnem intellectum humanum excedentia prædicantur, voluptates carnis cohibentur, & omnia, quæ in Mundo sunt, contemni docentur: quibus animos mortalium assentiri, & maximum miraculum est, & manifestum divinæ inspirationis, ac potentiæ opus.

XIII. Secundum argumentum sumitur ex Apostolo, Roman. 1. *v.* 1. *&* 2. dicente: *Paulus .... segregatus in Evangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis Sanctis de Filio suo.* Et proponitur sub hac formâ. Impossibile est esse falsam religionem, quæ tot ante seculis per Prophetarum oracula fuit prænuntiata, & in qua omnia, quæ fuerunt prædicta, sunt adamussim impleta; quia certò præscire futura, solius Dei inspiratione evenire potest: sed doctrina, & Religio Evangelica fuit per Prophetarum oracula prænuntiata &c. ergo &c. Minorem probant Patres: Eusebius in libris de *Demonstrat. Evangelicâ.* Auctor libri *de Promiss, & prædict. Dei* D. Prospero olim adscripti. Et S. August. *lib.* 18. *de Civit. Dei cap.* 46. ostendit, quòd Judæi *Eradicati, dispersique per terras (quandoquidem ubique non desunt) testimonio nobis sunt, prophetias nos non finxisse de Christo.* Nimirum, ne Sectarii opponerent, prophetias de Christo à nobis esse confictas, voluit, ut Judæi per omnes Orbis terrarum partes dispersi secum ferrent Veteris Testamenti libros; ut ex concordia eorum cum nostris, testimonium suæ fidei, vel ab ipsis inimicis haberent Christiani. Unde *Serm.* 2. *de Symbolo ad Cathecumenos cap.* 4. dicit, quòd Judæi legis lucernam manibus gestant, ut aliis viam demonstrent, dum ipsi in tenebris jacent. Et in Psal. 56. *Codicem* (inquit) *portat Judæus, unde credat Christianus. Librarii nostri facti sunt, quomodo solent servi post Dominos codices ferre, ut illi portando deficiant, illi legendo proficiant.* Hinc

XIV.

XIV. Tertium argumentum sumitur ex subversione Sinagogæ, sic. Populus Judæorum quondam Deo dilectus, ac supra omnes gentes evectus (ut non solùm sacræ, sed & prophanæ historiæ testantur) quamdiu Deo fidelis fuit, non erat, qui ei posset resistere, Deo pugnante pro ipso. Et licèt aliquando, ob falsorum Deorum cultum, fuerit captivitate punitus; misertus tamen Dominus ei libertatem, ac imperium restituit. At postquam Judæi manus injecerunt in Jesum ejus doctrinam repellentes, à Deo penitus reprobati apud omnes nationes abjectissimi facti sunt. Desolatâ enim à Tito eorum Civitate, juxta Danielis vaticinium *cap. 9.* sublatis Sacerdotio, omnique specie Imperii, jam post mille, ac septingentos annos per nationes dispersi, veluti mancipia vilia omnibus odio sunt, ac contemtui: hoc ergo evidenter demonstrat, Evangelicam doctrinam esse credibilem.

XV. Quartum sumitur ab eversione Idololatriæ. Priusquam enim Christus prædicaret, Dæmonum servitus per Idololatriam totum fere subjugaverat orbem: hanc, quam nec Philosophia, nec ulla religio eradicare potuit, sola Christiana doctrina extirpavit. Vix enim prædicato Evangelio, Crux Christi adorari cæpit, Idola eversa sunt, oracula Dæmonum obmutuere. Adeo ut, ubi olim Roma omnium Deorum falsitatem admittens, omnium gentium serviebat erroribus, prædicatione Petri, & Pauli evangelicâ doctrinâ imbuta facta fuerit omnibus magistra veritatis. Et ubi, vel ipse Judæorum populus, Dei notitiâ specialiter imbutus, Idololatriam identidem suscipere non erubuit; & non obstante divino præcepto: *Non habebis Deos alienos coram me*, vestigium aliquod Idololatriæ semper retinuit: annuntiato Orbi Christo, nedum à Christianis exulaverit, sed vix apud Barbaros, ac remotissimas nationes locum invenerit. Clarum ergo est pro Christianæ fidei credibilitate argumentum.

XVI. Quartum sumitur ex Apostolicæ Sedis firmitate, sub hac formâ. Nullum Regnum, nulla Monarchia, aut Respublica habuit unquam tàm stabilem, firmamque successionem sui regiminis, legumque constantiam, sicut habuit, & habet Respublica Christiana, tàm in successione Summorum Pontificum, quàm unitate Religionis, & divini cultus; ergo credibile est, à Deo gubernationis hujus constantiam derivari. Ant. ostendit visio illa Danielis *cap. 7.* quatuor bestiarum figurantium quatuor Imperia; quorum quartum, quod fuit maximum, nempe, Romanorum, multas vicissitudines habuit, tandemque finitum est, ut prophanæ, & sacræ tradunt historiæ: Apostolica verò Sedes per mille, & septingentos annos firma permansit, & permanet continuâ successione Pontificum: & licèt impetita Tyrannorum gladiis, Idololatriæ Sacerdotum persecutionibus, argutiis Philosophorum, hæreticorum sophismatibus; non carnalibus, sed spiritualibus armis, non ferro, sed patientiâ vicit, ac triumphavit. Quòd si Augustinus *lib. contra Epist. fundamenti cap. 4.* afferens motiva, quibus in Ecclesia continebatur, inter alia recenset continuam successionem Sacerdotum in ipsa Sede Petri: *Tenet consensio populorum, atque gentium: tenet auctoritas miraculis incboata, spe nutrita, caritate aucta, vetustate firmata: tenet ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post Resurrectionem Dominus commendavit usque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum*. Hæc dixit Augustinus, cùm tamen suo tempore vix quadringentis annis Sacerdotum in Sede Petri successio continuasset: Quid ergo diceret, si mille, & septingentis annis, & supra eam continuari videret?

Hoc argumento credibilitas non solùm Ecclesiæ Christianæ, sed & Catholico-Romanæ contra hæreticos ostendi potest. Eo enim ad hunc finem utitur Augustinus, citato loco, contra Manichæos,

chæos, qui cùm hac successione carerent, nec ultra Manetem, seu Manichæum suæ Sectæ originem repetere possent, tanquam Sectarii ab Augustino rejiciuntur: qui protestatur, se Evangelio non crediturum, si Manichæi nomen præferat, illo celebri effato cap. 5. *Ego verò Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas*. Hoc eodem discursu urgebat Marcionitas, Valentinianos, aliosque suæ ætatis hæreticos Tertullianus, *lib. de Præscript. cap.* 32. his verbis: *Edant ergo origines Ecclesiarum suarum: evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverint, habuerint auctorem, & antecessorem &c.* Hoc eodem & nos usi fuimus in *Vera Ecclesia, Tom. 1. cap. 9.* §. 5. fusè ostendentes, Ecclesias Lutheranorum, & Calvinistarum defectu successionis in Sacerdotibus, & etiam in doctrina ab Apostolis, aut viris Apostolicis veræ Ecclesiæ notam non habere: quæ Studiosus poterit ibi percurrere.

XVII. Sextum simile huic sumitur ex conversione Principum, & Regnorum potentissimorum, Sapientum, Philosophorum, & Rethorum ad fidem Christi. In qua conversione tria sunt consideratione digna. Primum, quòd omnem hujus seculi potestatem absque armato exercitu sibi Christus subjecerit, quod fieri non potuit absque divina potentiâ: & prænuntiatum fuerat, Daniel. 2. *v.* 34. & 45. in illo lapide abscisso de monte sinè manibus, qui percutiens horribilem statuam in pedibus luteis, eam contrivit; qui lapis factus est mons magnus & implevit universam terram. Secundum est, quòd prioribus tercentis à Christo annis Principes, ac Imperatores ad fidem Christi admissi non sunt, imò eam toto conatu, ac furore persequi permissi sunt; ne putaretur, eorum potentiâ Christi Regnum fundatum fuisse: sed per homines pauperes, ac imbecilles, tamen patientissimos, hujus Regni fundamenta jacebantur. At Apostolorum, & Martyrum patientiâ, & sanguine fide jam stabilitâ, & Crucis Christi, quæ Judæis scandalum fuerat, gentibus autem stultitia, virtute sufficienter in infirmitate manifestatâ; tunc Principes, & potentes introierunt, ut Ecclesiæ deservirent: tunc sapientes ad fidem admissi sunt, ut Mundi hujus sapientia in ejus obsequium captiva redderetur. Quæ omnia prænuntiaverat Isaias *c.* 60. per totum, ut legenti constabit. Tertium verò est, quòd ministri Christianæ Doctrinæ non prædicabant carnales voluptates, aut veritates cuique ingenio faciles: sed è contrario homines à carnalibus voluptatibus abstinendum esse docebant, & mysteria captu difficilia, & sæpè humanæ rationi, saltem apparenter, contraria proponebant: & tamen utrumque toti Orbi persuaserunt.

Propterea D. Thom. 1. *Contragent. c.* 6. Mahumetanam præcipuè Sectam Religioni Christianæ contraponens: *Hi verò* (inquit) *qui Sectas errorum introduxerunt, processerunt viâ contrariâ, ut patet in Mahumete, qui carnalium voluptatum promissis, ad quorum desiderium carnalis concupiscentia instigat, populos illexit. Præcepta etiam tradidit promissis conformia, voluptati carnali habenas relaxans, quibus in promtu est, à carnalibus hominibus obediri.*

Documenta etiam veritatis non attulit, nisi quæ de facili à quolibet mediocriter sapiente naturali ingenio cognosci possint: quin potiùs vera, quæ docuit, multis fabulis, & falsissimis doctrinis immiscuit.

Signa etiam non adhibuit supernaturaliter facta, quibus solùm divinæ inspirationi conveniens testimonium adhibetur, dum operatio visibilis, quæ non potest esse nisi divina, ostendit doctorem veritatis invisibiliter inspirantem: sed dixit, se in armorum potentia missum,

quæ

quæ signa etiam latronibus , & tyrannis non desunt .

Et etiam non aliqui sapientes in rebus divinis , & de divinis , & humanis exercitati à principio crediderunt ; sed homines bestiales in desertis morantes , omnis doctrinæ divinæ prorsùs ignari ; per quorum multitudinem alios armorum violentiâ in suam legem coegit .

Nulla etiam divina oracula præcedentium Prophetarum ei testimonium perhibent : quin potiùs quasi omnia veteris , & novi Testamenti documenta fabulosâ narratione depravat (ut patet ejus legem inspicienti) unde astuto consilio libros veteris , & novi Testamenti suis sequacibus non reliquit legendos , ne per eos falsitatis argueretur . Et sic patet , quòd ejus dictis fidem adhibentes , leviter credunt . Ita S. Thomas .

XVIII. Septimum argumentum desumi potest ex concordia Christianæ doctrinæ . Nulla enim fuit schola , aut Secta , in qua tradenda omnes Doctores consenserint .

Hoc per se patet in tot Philosophorum opinionibus , quas Aristoteles refert . Et Tertullianus *l. de Anima c.* 2. dicit , quòd in iis etiam , quæ ex Sacris Litteris hausisse videntur , *Plus diversitatis invenias inter Philosophos , quàm societatis , cum & in ipsa societate diversitas eorum deprehendatur .* Quod ostendit etiam S. Augustinus *l.* 19. *de Civit. Dei c.* 1. dicens , quòd de summo bono , & summo malo *Marcus Varro in libro de Philosophia tàm multam dogmatum varietatem diligenter , & subtiliter scrutatus advertit ; ut ad ducentas octoginta octo sectas , non quæ jam essent , sed quæ esse possent . . . . facillimè perveniret .* Et ut advertit *l.* 18. *c.* 41. (quod pejus erat) nullâ potestate publicâ hæc opinandi libido Athenis frænabatur : ubi *etsi aliqua vera dicebantur , eâdem licentiâ dicebantur & falsa , prorsus ut non frustra talis Civitas mysticum Vocabulum Babylonis acceperit .* At in Christiana doctrinâ summa consensio est tum magistrorum , tum discipulorum . *At verò* (pergit S. August. loquens de Republica Israelis) *gens illa , ille populus , illa Civitas , illa Respublica , illi Israelitæ , quibus credita sunt eloquia Dei , nullo modo Pseudoprophetas cum veris Prophetis pari licentia confuderunt : sed concordes inter se , atque in nullo dissentientes , Sacrarum Litterarum veraces ab eis agnoscebantur , & tenebantur auctores .* Quòd si aliqua controversia fuerit exorta , sicut ad eam dirimendam in veteri lege aderat Judex , cujus sententiæ omnes stare debebant (*Deuteron.* 17. *v.* 9.) ita in Ecclesia est summus Pontifex , sunt Concilia , quorum sententiâ fuit semper composita , & veritas in plano posita . Ergo credibile est , hanc veram esse doctrinam ; impossibile enim est , tàm multos , ac diversos intellectus in tàm multa , eaque ardua convenire ; nisi ab uno aliquo dirigerentur , qui mentes hominum in unitate posset continere .

Ex his apparet etiam credibilitas fidei Catholicæ supra hæreses . In his enim mirum , quanta semper dissensio fuerit , tam inter earumdem auctores , quàm inter professores . De antiquis hoc notarunt Irenæus *l.* 3. *contra hæres. c.* 12. ex hoc arguens quòd hæretici *Non quidem Apostolorum , sed sua malæ sententiæ sunt discipuli . . . . Ecclesia verò per universum Mundum ab Apostolis firmum habens initium , in una , & eâdem de Deo , & de Filio ejus perseverat sententiâ .* Athanasius *Ep. ad Episcopos Ægypti , & Lybiæ*; Epiphanius *hæres.* 47. De novis autem , quot Sectæ ex errore Lutheri germinarunt ? Quam parum cohærenter loquitur Lutherus ipse ? Quàm à seipso diversus ? In Calvino viginti quatuor antilogias notat Covius ; & Romæus in libro , cui titulus *Calvini effigies* , ostendit , libros Institut. Calvini esse centonem contradictionum ; & numerat viginti primarias , & plusquam sexcentas consectarias . De hoc egimus in *Vera Ecclesia Tom.* 1. *c.* 8. §. 1. & §. 2. è contrario uniformitatem Catho-

licæ

licæ Ecclesiæ in doctrina demonstravimus. Ubi etiam credibilitatem Catholicæ fidei, ac veræ Ecclesiæ Christi ostendimus. *Cap.* 3. ex numero Martyrum, qui eam sanguine firmarunt. *Cap.* 5. ex infelici exitu eorum, qui eam persecuti sunt. *Cap.* 6. ex ejusdem stabilitate. *Cap.* 9. ex antiquitate fidei Catholicæ, & recentium hæresum novitate. *Cap.* 12. ex sanctitate doctrinæ in fide. Et *Cap.* 13. in moribus &c. Quò Lectorem mitto, ubi omnia, quæ ab hæreticis opponuntur, dissipata inveniet.

§. III.

A quo Principio procedat Assensus Credibilitatis Mysteriorum Fidei.

XIX. Respondeo cum distinctione. In adulto noviter accedente ad fidem, actus, quo credibilitati mysteriorum fidei assentitur, non procedit à fide divinâ; hæc enim in illo pro illo tunc non supponitur: sed procedit à virtute nativa intellectus circa præfata motiva discurrentis, vel ab auxilio supernaturali Spiritus Sancti moventis, si ejusmodi assensus initiet, & viam paret ad fidem; ne cum Semipelagianis dicatur, initium fidei esse ex nobis.

In adulto autem jam fideli, sub distinctione loquendum censeo. Dupliciter enim ab isto attingi potest evidentia credibilitatis mysteriorum fidei. Vel signatè, seu per modum objecti *quod* cogniti: vel exercitè, & *ut quo*, tanquam conditio modificans objectum cognitum, nempe, rem revelatam, & creditam; quatenùs qui credit, credendo in exercitio, & quasi reflexè cognoscit, id, quod credit, esse evidenter credibile. Si ergo Fidelis attingit evidentiam credibilitatis primo modo, sic illam non attingit per fidem divinam. Nam per fidem divinam solùm attinguntur revelata, & obscurè: sed credibilitas non est unum ex revelatis, & obscurè, sed quid evidenter cognoscibile; ergo signatè, & ut quod non attingitur à fide: sicque negans misteria fidei, esse evidenter credibilia, non esset hæreticus. Credibilitas ergo mysteriorum signatè evidenter à Fideli cognoscitur, vel per lumen naturale intellectus attentè discurrentis, vel per aliquod auxilium supernaturale, puta speciali Sancti Spiritus illustratione.

Si verò credibilitas mysteriorum evidenter cognoscatur solùm exercitè, & *ut quo*, sic procedit à fide infusâ; quatenus ille, qui credit, in exercitio credendi cognoscit, id, quod credit, esse evidenter credibile, ut dicebamus. Et prob. primò. Quia fides tendit in objectum sub omnibus suis circumstantiis, quibus modificatur; ergo sicut visus videndo coloratum, videt ejus figuram, magnitudinem &c. ita fides cognoscens rem revelatam, exercitè cognoscit ejus credibilitatem, seu, eam esse evidenter credibilem.

Secundò probo à pari. Habitus opinionis estò inclinet ad assentiendum objecto suo cum formidine alterius partis: attamen in exercitio opinandi judicat, id, quod opinatur, esse evidenter opinabile; ergo & habitus fidei, estò inclinet ad assensum obscurum, in exercitio tamen credendi judicat, id, quod credit, esse evidenter credibile. Consequ. prob. Quia tantam habet repugnantiam assensus formidolosus proprius opinionis cum judicio certo, & evidente, quantam habet assensus obscurus fidei cum judicio pariter evidente: sed assensus opinativus licèt formidolosus potest esse exercitè certus, & evidens de probabilitate rei, quam opinatur; quia formido, & evidentia estò sint in eodem actu, sunt tamen circa duo objecta invicem subordinata; ergo à pari, licèt assensus fidei sit obscurus, poterit esse assensus exercitè evidens credibilitatis rei, quam credit: quia licèt sint obscuritas, & evidentia in eodem actu, sunt tamen circa duo objecta, unum ut

quod,

quod, & signatè attactum, aliud solùm ut *quo*, & exercitè.

XX. Sed instabis primò. Fides (ut dictum est) essentialiter est obscura; ergo ab ea non potest exire assensus, qui sit evidens.

Secundò. Credibilitatis notitia habetur per discursum: sed fides non est discursiva, ut vidimus; ergo &c.

XXI. Respondeo ad primum, quòd lumen fidei est quidem obscurum circa veritatem rei, quam credit; est tamen clarum circa credibilitatem ejusdem: sicut opinio, licèt sit incerta de re, quam opinatur; est tamen certa de probabilitate ejusdem. Unde licèt per fidem cognoscantur obscurè ea, quæ sunt fidei, considerata in speciali: videre tamen facit fides ea, sub communi ratione credibilis, non signatè, sed exercitè. Unde S. Thomas hâc q. 1. a. 4. ad 2. *Ea* (inquit) *quæ subsunt fidei, dupliciter considerari possunt. Uno modo in speciali: & sic non possunt esse simul visa, & credita .... Alio modo in generali, scilicet, sub communi ratione credibilis: & sic sunt visa ab eo, qui credit. Non enim crederet, nisi videret, ea esse credenda.*

XXII. Ex quibus infero, quòd ad hoc, ut aliquis credat, debet ipsi constare evidenter, quòd mysteria fidei sint credibilia: debet enim prudenter credere; alioquin tanquam imprudens esset reprehensione dignus, si in re tanti momenti leviter crederet, juxta illud Ecclesiastici 19. v. 4. *Qui credit citò, levis corde est*. Hæc tamen evidentia credibilitatis non requiritur, ut sit æqualis in omnibus; sed sufficit, ut sit talis, quæ sufficiat ad formandum judicium prudens. Sic pueri, & adulti rudiores vident, res fidei esse credibiles, hoc ipso, quòd à fide dignis parentibus, Prædicatoribus, Catechistis accipiunt, ita esse credendum, & ita per totam Ecclesiam credi. Si verò puer baptizatus in Sylvis, absque ullo instructore externo educaretur, & crederet; iste certè talem evidentiam non experiretur, quia credenda ei non proponerentur modo humano, & exteriùs: haberet eam tamen quantùm est ex vi fidei, & per lumen gratiæ interiùs eum instruentis, vel saltem talem evidentiam supplentis.

Ad secundam instantiam dico, quòd estò fides non sit discursiva circa proprium objectum; potest tamen esse exercitè discursiva circa conditionem, vel dispositionem requisitam ad actum suum, qualis est credibilitas.

DUBIUM IX.

An Articuli Fidei progressu Temporis creverint?

§. I.

Aliqua Prænotantur.

I. ARticulus generaliter significat exiguum aliquod alicujus corporis membrum, quatenus est alteri debitè connexum, & ab eo distinctum. Inde per metaphoram translatum est ad significandam rerum credibilium aptam conjunctionem, & distinctionem. Cæterùm non omne credibile fide divinâ, esse inter articulos fidei recensendum, ostendimus fusè *Tom.* 1. *in* 1. *P.* Q. 1. *de variis Errorum gradibus. Dub.* 6. §. 2. Quæ huc revocanda sunt. Unde ille solus articulus fidei censendus est, qui est de numero eorum, quæ per se ad fidem pertinent, & principaliter: cujusmodi sunt ea, quæ directè nos ordinant ad vitam æternam, sive quorum visione in vita æternâ perfruemur, ut docet D. Tho. hâc *q.* 1. *a.* 6. *ad* 1. & *a.* 8. *in* C. & qui specialem aliquam difficultatem habeat, ut credatur, ut hoc *a.* 6. *in* C. Quare Articulus fidei describi potest: quòd sit propositio Catholica primariò ad fidem pertinens, & specialem habens ad credendum difficultatem. Fidei articulos in Symbolo recensuit Ecclesia, de quo infra dicemus aliqua.

II. Porro cùm temporum successio-

ne Ecclesia nobis multa proposuerit, ut de fide tenenda, quæ retro ante temporibus, ut de fide non tenebantur: qualia sunt Processio Spiritus Sancti à Filio, quòd animæ purgatæ visuræ sint Deum ante extremam judicii diem, & alia de virtute, ac efficacia Sacramentorum &c. propterea quæstio exoritur. Primò: An articuli fidei processu temporis numero creverint. Secundò: An Ecclesia dùm aliquid ut, de fide definit, eius definitio sit nova revelatio: an verò tantùm declaratio, & propositio revelationis jam factæ. Quæ duæ quæstiones in idem ferè coincidunt.

III. P. Suarez, cui adhærent aliqui, affirmat, quòd dum Ecclesia aliquid definit, tenendum esse de fide; Deus de novo illi revelat id, quod definit: sicut fecit olim primis Prophetis, & Apostolis nostræ fidei promulgatoribus, quibus revelabat ea, quæ in nomine suo pronunciabant, ut ab ipso revelata, esse credenda. Oppositam tamen sententiam tenet S. Tho. hâc *q. 1. a. 7.* quem sequuntur omnes ejus discipuli, & alii extranei, volentes, definitiones de fide emanatas ab Ecclesia non esse novas revelationes; sed novas propositiones, aut declarationes eorum, quæ Deus Apostolis olim revelavit, & temporum, ac errorum malitiâ apud Posteros ignorabantur.

Et procedimus de via ordinariâ, & secundùm communem cursum gubernationis, quem Spiritus Sanctus induxit in Ecclesiam. Nam si sermo sit de modo extraordinario, nulli dubium esse potest, quin dum Ecclesia accingit se ad definiendum, Deus possit illi de novo revelare id, quod definire debeat, sicut fecit primis fidei Fundatoribus.

§. II.

Resolutio Dubii.

IV. DIco. Articuli fidei quoad substantiam non creverunt, sed solùm quoad explicationem. Unde quando Ecclesia decernit, aliquid esse de fide tenendum, quod antea de fide non tenebatur; non accipit novam revelationem, neque facit esse de fide id, quod antea de fide non erat: sed solùm declarat, esse tenendum à nobis, ut revelatum, & ut de fide id, quod licèt antea esset revelatum, & de fide, à nobis tamen ut de fide non tenebatur; quia non erat propositum ut revelatum, & ut de fide tenendum. Prior pars probatur. Non dicitur crescere quoad substantiam scientia, per hoc, quòd aliquæ ejus conclusiones modò sciantur, quæ antea ignorabantur; ergo neque dicendum erit, crescere quoad substantiam fidem, seu fidei articulos, per hoc, quòd aliquo modo credantur, quæ antea non credebantur. Conseq. prob. Ideo enim primum, quia conclusiones illæ, estò ignoratæ, continebantur tamen in principiis illius scientiæ implicitè: sed omnia, quæ modo eredimus, implicitè continebantur, vel in duobus illis primis principiis ab Apostolo traditis, Hebr. 11. v. 6. *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit;* in quibus omnia, quæ de Deo, & vitâ æternâ credi possunt, implicitè continentur: vel in illis, quæ veteribus Patriarchis, & Prophetis revelata sunt: vel tandem expressius in illis, quæ Christus docuit, & à Spiritu Sancto inspirati Apostoli tradiderunt; ergo &c.

V. Confirmatur primò. Fides antiquorum Patrum, quoad substantiam, eadem fuit cum fide nostrâ, estò quoad circumstantias temporis varia: unde ait Petrus, Act. 15. v. 11. *Per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus salvari*

vari, quemadmodum & illi (& Act. 4. v. 12.) *Nec enim aliud nomen est sub Cœlo datum hominibus, in quo oportcat, nos salvos fieri*. Sicut enim nos, ita & illi per fidem Christi salvi facti sunt. Quibus subscribit Augustinus, *Epist.* 49. modò 102. *ad Deo gratias, qu.* 2. *Epist.* 157. modò 190. *ad Optatum, c.* 2. inquiens: *Eadem namque fides est & nostra, & illorum: quoniam hoc illi crediderunt futurum, quod nos credimus factum*. Et Tract. 45. in Joann. *Tempora* (inquit) *variata sunt, non fides..... mutatus est sonus, venturus est, & venit: eadem tamen fides utrosque conjungit, & eos, qui venturum esse, & eos, qui eum venisse crediderunt*. Non esset autem eadem fides Antiquorum, & nostra, si hæc aliquid addidisset quoad substantiam, & quod in illa, saltem implicitè, non contineretur.

VI. Confirm. secundò. Christus distinctè revelavit Apostolis omnia, quæ ad fidem spectant, ut patet Jo. 15. v. 15. *Omnia, quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis*. Misit in eos Spiritum Sanctum, ut doceret eos, c. 16. v. 12. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*. Unde Apostoli sive scripto, sive vivâ voce omnia, quæ ad benè instituendam Ecclesiam necessaria erant, tradiderunt; ergo fidei articulis nihil quoad substantiam addendum reliquerunt, quod in eis, quæ audierant à Christo, vel à Spiritu Sancto revelante didicerant, non contineretur. Unde hoc *art.* 7. concludit S. Thom. *Quòd quantùm ad substantiam articulorum fidei non est factum eorum augmentum, per temporum successionem: quia quæcumque Posteriores crediderunt, continebantur in fide præcedentium Patrum, licèt implicitè. Sed quantùm ad explicationem crevit numerus articulorum: quia quædam explicitè cognita sunt à posterioribus, quæ à prioribus non cognoscebantur explicitè*.

VII. Posterior verò pars ex dictis consequitur. Si enim omnia credibilia revelata sunt, saltem implicitè, & successu temporum solùm facta est explicatio eorum, quæ in jam revelatis implicitè continebantur; ergo dum Ecclesia aliquid, ut de fide, tenendum proponit, id non fit novâ revelatione ei factâ, sed novâ explicatione revelationis jam factæ, seu rei jam revelatæ. Hinc Ecclesia nihil unquam Fidelibus credendum proposuit, aut definivit, quod non esset, vel in Sacris Litteris, vel in Divinis, aut Apostolicis Traditionibus, saltem virtualiter, contentum.

VIII. Formatur autem ratio. Si quoties Ecclesia aliquid definit, ut tenendum de fide, accipit illud per novam revelationem à Deo; jam in condendis novis definitionibus non erit necesse, tanto studio perquirere revelationes factas in Scripturis, contentas in Traditionibus, & super eas communem intelligentiam Patrum consulere. Quia, si dum definit, non loquitur à semetipsa, sed Deus de facto loquitur per ipsam, sicut locutus est per Prophetas, illi noviter revelando; esto præteritas revelationes non inspiciat, timendum non erit, quòd in condendis definitionibus erret, aut contrarium præteritis revelationibus statuat: quia Deus per illam revelans, & loquens nec errare, nec sibi contradicere potest: sed hoc nemo concedet; ergo neque &c.

Min. probatur. In contrarium enim stat regula semper observata à Conciliis ab initio. Nam *Act.* 15. dum inquireretur: an observatio Legalium Fideles obligaret; ante declarationem definitivam refert S. Lucas v. 6. *Conveneruntque Apostoli videre de verbo hoc: cùm autem magna conquisitio fieret &c.* Quod novissimè in Tridentino factum est. Nam *Sess.* 5. in formandis de peccato originali definitionibus protestatur, se secutum esse *Sacrarum Scripturarum, & Sanctorum Patrum, ac probatissimorum Conciliorum testimonia, & ipsius Ecclesiæ judicium, & consensum*. Quod in omnibus præcedenti-

bus Conciliis fanctitatum, Studiosus deprehendere poterit.

IX. Quapropter naturam definitionis Ecclesiæ possumus ita describere: quòd sit declaratio, & propositio alicujus veritatis implicitè contentæ in Sacra Scripturâ, vel Divinis Traditionibus denuncians eam Fidelibus, ut credendam explicitè fide divinâ. Ex qua descriptione infero, quòd dum rei definitæ per Ecclesiam fidem damus, pro ratione formali credendi habemus revelationem antiquam; & declarationem Ecclesiæ, tanquam conditionem, eam nobis applicantem.

Ex quo infero etiam, rationem, cur etsi veritas, quæ modò ab Ecclesia definitur, fuerit ab initio revelata, non tamen pro semper nos obligaverit ad eam, ut revelatam, credendam esse, quia nondum, ut talis fuerat per Ecclesiam nobis proposita, & applicata. Etsi enim omnia fidei fuerint ab initio revelata, & tradita; insurgentibus tamen hæresibus fides fuit ita involuta, ut multorum cognitio à Fidelium mentibus exciderit: sicque, ut de facto obligarentur ea credere, Ecclesiæ magisterio indiguerimus. Ut enim docet S. August. *l.* 2. *Quæst. Evangeliorum q.* 40. Christus ad Ecclesiam remisit examen eorum, quæ ad doctrinam pertinent.

§. III.

Solutio Objectionum.

X. PRimo objicies. Vel non omnia Apostolis revelata fuerunt, vel non omnia sibi revelata Posteris tradidere; ergo dum aliquid credendum de novo proponitur, hoc fit per novam revelationem. Prior pars disjuncti prob. Non omnia primis antiquis Patribus fuerunt revelata, sed temporis successu revelabantur; ergo à pari. Posterior pars etiam prob. Non enim omnes capaces erant, ut talia mysteria intelligerent; maximè qui ex Idololatria veniebant ad fidem: quare per aliquot secula viguit disciplina arcani, quâ mysteria aliqua, præsertim Catechumenis, occultabantur.

XI. Respondeo, neg. utramque partem disjuncti. Ad probat. primæ partis dico, quòd Patres veteris Testamenti, quò antiquiores, eò remotiores erant à Christo, & ejus promissionibus: quasi *à longe eas aspicientes*, ut ait Paulus, *Hebr.* 11. *v.* 13. Quantò autem aliquid à longinquioribus videtur, tantò minùs distinctè videtur (inquit S. Tho. hoc *a.* 7. *ad* 1.) Apostoli autem, & primi Ecclesiæ Doctores Christo fuerunt viciniores, de cujus plenitudine omnes accepimus. *Et ideo* (ait D. Tho. citatus ad 4.) *illi, qui fuerunt propinquiores Christo, vel ante, sicut Jo. Baptista, vel post, sicut Apostoli, pleniùs mysteria fidei cognoverunt: quia & circa statum hominis hoc videmus, quòd perfectio est in juventute, & tantò habet homo perfectiorem statum, vel ante, vel post, quantò est juventuti propinquior.* Addo: quòd Scripturas Sacras perfectiùs intellexerunt Apostoli, qui ipsarum expressam revelationem habuerunt. Unde Paulus, *Galat.* 1. *v.* 11. & 12. notum facit, Evangelium, quod evangelizabat, non esse secundùm hominem: *Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi.* Traditiones verò per eorum manus tanquam divinum depositum Ecclesia suscepit.

Ad probationem secundæ partis dico, quòd cùm Deus ea, quæ revelabat Apostolis, non revelaret illis, ut privatis hominibus, sed ut Magistris, ac promulgatoribus sui Evangelii; neque unicè tantùm attendens ad Ecclesiam in suis primordiis, sed ad Ecclesiam usque ad consummationem seculi duraturam; voluit, ut Ecclesia omnium credibilium fidem pro omni seculo ab Apostolis addisceret. Dico, Ecclesiam in suis saltem Ducibus, & Pastoribus, non in toto corpore, & singulis ejus partibus: his enim satis erat aliqua explicitè credenda proponere,

nere, alia solùm implicitè: & in hoc sita erat arcani disciplina, quâ se usum fuisse, indicat Paulus, 1. *Cor.* 3. *v.* 2. erga Corinthios, dicens: *Lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis: sed nec nunc quidem potestis: adhuc enim carnales estis.* At posterioribus seculis fide per hæreses obscuratâ in multis, vel temporum injuriâ, de quibusdam implicitè creditis memoriâ obliteratâ; necesse fuit, ut Ecclesia, tanquam revelata, ea expressè omnibus proponeret. Unde factum est, ut qui ea negassent ante Ecclesiæ definitionem, errassent quidem in fide, sed inculpabiliter; post Ecclesiæ definitionem, qui eam negaret, erraret in fide culpabiliter, & esset formaliter hæreticus.

XII. Secundò objicies, & replicabis. Si definitio Ecclesiæ est pura declaratio veritatis antea revelatæ; ergo relinquit veritatem illam eodem modo, quo erat ante; ergo cum ante definitionem Ecclesiæ hæc veritas: *Christus habet duas voluntates*, esset solùm mediatè revelata, & solùm mediatè de fide, seu conclusio theologica: ita etiam erit post definitionem.

XIII. Respondeo, dist. primum conse. eodem modo, quoad esse revelatum, conc. consequ. Quantùm ad obligationem eam credendi, nego consequ. & etiam aliam inde illatam. Cum ergo Ecclesia definit, aliquid de novo tenendum de fide, quod antea non tenebatur; non facit id, quod erat solùm mediatè revelatum, esse immediatè revelatum: sed veritates, quæ licèt antea fuissent immediatè revelatæ Apostolis, non tamen constabat, fuisse immediatè revelatas, & proinde Ecclesia non obligabat ad credendum illas; declarat, fuisse immediatè revelatas, obligando Fideles ad eas credendas: ut tales. Ad hoc enim, ut aliquid obliget ad credendum, non sufficit, quòd sit immediatè revelatum; sed ulterius requiritur, ut proponatur tanquam revelatum. Quare oportet distinguere duo. Unum, rem esse de fide: alterum, obligare Fideles, ut de fide eam credant. Quoad primum, per definitionem Ecclesiæ nulla in illa re fit mutatio: hæc enim veritas: *Christus habet duas voluntates*, semper fuit immediatè de fide. Fit tamen mutatio quoad secundùm: quatenus id, quod erat de fide, & immediatè revelatum, ad sui tamen fidem explicitam non obligabat: positâ Ecclesiæ definitione, quòd sit de fide, incipit obligare.

XIV. Sed dices. Si Ecclesia, dum definit, non habet specialem revelationem; ergo loquitur à semetipsa; ergo non potest obligare Fideles, ut credant suæ definitioni certò certitudine fidei, tanquam rei à Deo revelatæ.

XV. Respondeo, ineptam esse hanc secundam consequentiam. Quia licèt Ecclesia à se ipsa loquatur, idest, non ut purum instrumentum Dei, quando declarat, aliquid esse à Deo revelatum; loquitur tamen, ut gubernata à Spiritu Sancto, ne erret: idque de fide certum est, ex promisso Christi, tùm facto Petro, Lucæ 22. v. 32. *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Tùm facto toti Ecclesiæ, Matth. ultimo v. 20. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* Et ideo possunt esse certi Fideles certitudine fidei, quòd Ecclesia verum dicit, dum definit; & à Deo verè fit revelatum id, quod ipsa à Deo esse revelatum, declarat.

XVI. Sed replicabis. Ex dictis, Ecclesiæ definienti Spiritus Sanctus assistit, eam illuminando: sed omnis illuminatio Dei ad homines est locutio; ergo loquitur Spiritus Sanctus, & consequenter revelat per Ecclesiam.

XVII. Respondeo, dist. majorem, eam illuminando, per modum instructionis, & doctoratus, co. maj. Per modum revelationis, quæ sit ratio formalis credendi fide divinâ, nego maj. & similiter ad min. Non enim omnis

omnis illuminatio est locutio per modum revelationis. Loquitur ergo Deus Ecclesiæ, quando definit, non quia Ecclesiæ definitio sit ipsa formalis Dei locutio; aliàs non Ecclesia, sed Deus utens Ecclesiâ, tanquam organo, eo modo, quo utebatur Prophetis, esset, qui definiret, & qui per Ecclesiam visibiliter immediatè loqueretur, & definitio esset Verbum Dei, non Ecclesiæ: sed quia licèt Ecclesia sit, quæ definit; hoc tamen non facit, nisi suppositâ directione, assistentiâ, illustratione Sancti Spiritus, ne erret: unde divina locutio non est ipsa formalis definitio, sed antecedit definitionem, eam dirigendo. Rem explico. Dupliciter potest Magister monere puerum rudem ad scribendum: vel instruendo eum de modo, quo debet scribere, & extrinsecè ei assistendo, ne aliquem errorem committat, dum scribit: vel apprehendendo manum pueri, & per illam scribendo. In primo casu puer est causa principalis scriptionis; estò ex instructione, & prævià assistentiâ Magistri scribat: in secundò verò magister solus est causa principalis, utens tamen puero, ut instrumento. Primo modo locutus est Deus Prophetis, Apostolis loquendo per illos: unde eorum locutiones sunt locutiones, verba Dei, & revelationes externæ. Secundò autem modo loquitur Ecclesiæ, dum se accingit ad definiendum: ita ut sit quidem Ecclesia quæ definit, sed Spiritu Sancto eam docente, ut Magistro, eique assistente, ne erret. Unde locutio Ecclesiæ non est locutio Dei, sed Ecclesiæ declaratio, ut tamen instructæ, & edoctæ à Deo.

XVIII. Tertiò objicies: Etsi Spiritus Sanctus docuisset Apostolos omnem veritatem, *Joan.* 14 *v.* 15. & 16. *v.* 13. nihilominus Apostoli coegerunt Concilium Hierosolymis, ut viderent, ac definirent, an oporteret, Gentiles circumcidi, & Legalia servare, *Act.* 15. ergo ex hoc, quòd Spiritus Sanctus docuerit Apostolos omnem veritatem, non colligitur, quòd simul omnia eis revelaverit; sed solùm quoties opus erat ad ædificationem Ecclesiæ.

Confirm. *Joann.* 14. v. 16. loquens Christus de Spiritu veritatis dicit: *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum;* ergo spiritus, qui datus fuit Apostolis, manet in Ecclesia ad docendum omnem veritatem, quoties opus fuerit; ergo sicut Apostolos docebat eis revelando, ita & docet Ecclesiam.

XIX. Respondeo, quosdam velle, Apostolos non statim de omnibus fuisse edoctos, sed successu temporis: ita tamen, ut ante mortem, plenam omnium mysteriorum intelligentiam habuerint, & tantam, quantam nullus post ipsos habuerit. — Verius tamen censeo, Apostolos statim in die Pentecostes fuisse à Spiritu Sancto edoctos omnem veritatem de his, quæ pertinent ad necessitatem salutis; scilicet, de credendis, & de agendis; non tamen de omnibus futuris eventibus, cum S. Tho. 1. 2. *q.* 106. *a.* 4. *ad* 2. Unde dico, Concilium illud Hierosolymis fuisse congregatum, non ad tollendam Apostolorum ignorantiam; sed ad pacandos animos Fidelium, qui ex circumcisione crediderant: hi enim hâc ignorantiâ tenebantur, putantes, Legalia simul cum Evangelio esse servanda.

Ad Confirm. dico, Spiritum Sanctum manere in Ecclesia in æternum, non ut successivè semper nova revelet; sed ut Apostolis revelata, & ab iis tradita in sua veritate conservet: Ecclesiæ, Conciliis, Pontifici assistendo, ut tanquam revelata proponant ea, quæ reverà à Deo revelata fuerunt.

XX. Quartò objicies. Quando Ecclesia definit, aliquam propositionem esse scandalosam, temerariam, piarum aurium offensivam, de fide est, talem propositionem esse, qualem Ecclesia definit: sed de hoc ante talem definitionem nihil erat revelatum à Deo; ergo

ergo ipsa definitio, seu censura talis propositionis est nova revelatio. Maj. videtur certa. Nam qui negaret, propositionem, tali censurâ notatam, esse tali censurâ dignam, esset hæreticus; & si pertinax, hæreticorum pœnis puniendus.

XXI. Respondeo (etiamsi aliqui aliter sentiant) quòd cum Ecclesia damnat aliquas propositiones, ut scandalosas, temerarias &c. non definire de fide, eas tali censurâ esse notandas; nec propterea ad sic determinandum egere revelatione divinâ speciali, sive præteritâ, sive præsenti. Et ideo, qui, factâ tali definitione, negaverit, tales propositiones esse definitâ censurâ notandas; ex hoc præcisè non erit hæreticus formaliter, erit tamen arguitivè, & ut talis habendus: eò quòd existimet, Ecclesiam in hujusmodi censuris errare posse, ac si non habeat specialem assistentiam Spiritus Sancti. Non enim quælibet determinatio Ecclesiæ, estò infallibilis, facit de fide rem, supra quam cadit; sed illa sola, quæ habet pro objecto rem immediatè à Deo revelatam: censuræ autem præfatæ à Deo revelatæ non sunt. Nam Deus non revelat censuras, sed propositiones; propositiones autem, quæ censurantur, ut temerariæ, non sunt directè oppositæ propositionibus revelatis.

Porro: qnando Ecclesia damnat aliquam propositionem, ut hæreticam, qui talem condemnationem pertinaciter rejiceret, esset formaliter hæreticus: non præcise ex hoc solo, quòd eam Ecclesia damnat, sed quia propositio, cui illa opponitur, est de fide, & à Deo immediatè revelata. Quod non contingit, quando damnat aliquam propositionem, ut temerariam: tunc enim, nec revelata est censura, nec propositio damnatæ opposita revelata est.

Verùm quot, & quales sint censurarum gradus, quibus aliqua propositio notari potest; si quis scire optaverit, adeat *Tom. 1. in 1. p. q. 1. de Variis Error. grad. Dub. 5.* ubi rem hanc pro meritis expensam inveniet.

DUBIUM X.

De Symbolis Fidei.

§. I.

Quædam Prænotantur.

I. Symbolum nomen est origine græcum habens duo significata. Primò enim significat collationem plurium simul: unde componitur ex Græco *Syn*, idest, *Simul*, & *Ballo*, idest, *mitto*, *jacio*. Secundò significat signum, vel tesseram, quâ olim veri à falsis militibus discernebantur. Utroque modo fidei nostræ summa Symboli nomen meretur: & quia Apostoli, & Patres in unum collecti, sive invicem conferentes illam ediderunt, & ad Posteros transmiserunt: & quia est signum, & tessera, quâ veri fidei Christianæ professores discernuntur à falsis. Utramque hanc significationem Symbolo fidei tribuit Rufinus in *Exposit. Symboli*, quæ ad Calcem Operum Cypriani ædit. Pamel. legitur, dicens: *Symbolum enim Græcè indicium dici potest, & collatio, hoc est, quòd plures in unum conferunt. Id enim fecerunt Apostoli in his sermonibus, in unum conferendo, quod unusquisque sensit. Indicium autem, vel signum idcirco dicitur, quia illo tempore, sicut & Paulus Apostolus dicit, & in Actis Apostolorum refertur, multi ex circumcisis Judæis simulabant, se esse Apostolos Christi; & lucri alicujus, vel ventris gratiâ ad prædicandum proficiscebantur, nominantes quidem Christum, sed non integris traditionum lineis nunciantes.* Hâc etiam ratione Symbolum *Regulam fidei* vocat S. August. *Serm. 1. de Symbolo cap. 1.* Symbolum igitur apud Catholicos est collectio, sive summa articulorum fidei, qui omnibus credendi proponuntur.

II. Conveniens autem fuit, Fidei arti-

articulos in summam collectos omnibus proponi. Primò: ut faciliùs possent omnibus proponi, innotescere, ac memoriæ mandari. Ut enim docet S. Thom. hoc a. 9. *Veritas fidei in Sacra Scriptura diffusè continetur, & variis modis, & in quibusdam obscurè; ita quòd ad eliciendum fidei veritatem ex Sacra Scriptura requiritur longum studium, & exercitium; ad quod non possunt pervenire illi, quibus necessarium est, cognoscere fidei veritatem: quorum plerique aliis negotiis occupati studio vacare non possunt. Et ideo fuit necessarium, ut ex sententiis Sacræ Scripturæ aliquid manifestum summariè colligeretur, quod proponeretur omnibus ad credendum. Quod quidem non est additum Sacræ Scripturæ, sed potiùs ex Sacra Scriptura sumtum.* Hoc antea docuerat S. Augustinus, citato *Serm.* 1. *de Symbolo cap.* 1. ubi proponens Catechumenis Symbolum: *Hoc est enim* (inquit) *Symbolum, quod recensuri estis, & reddituri. Ista verba, quæ audistis, per divinas Scripturas sparsa sunt: sed inde collecta, & ad unum redacta, ne tardorum hominum memoria laboraret, ut omnis homo possit dicere, possit tenere quod credit.*

Secundò. Ut per illud Christiani à non Christianis dignoscerentur, & per eamdem eorumdem credendorum professionem veluti colligarentur in unum. Quâ ratione ipsa quoque Sacramenta Symboli nomine nuncupari consueverunt, juxta illud Augustini lib. 19. contra Faustum cap. 11. *In nullum nomen Religionis, seu verum, seu falsum, coadunari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, vel Sacramentorum visibilium consortio colligentur.* Hinc

III. Apud Veteres mos erat, ut Catechumenis ante Baptismum traderetur Symbolum, aliquot post dies ab iis memoriter reddendum: deinde traderetur oratio Dominica, ab eisdem similiter reddenda post octo dies: Symbolum autem eo die, quo baptyzandi erant, reddi debebat. Cujus rituis testis est August. *Serm.* 58. aliàs *Homil.* 42. *inter* 50. Et *Serm.* 56. aliàs 48. *de diversis*, dicit, eis priùs tradi debuisse Symbolum, quàm orationem; quia priùs debebant scire, in quem crederent, & postea quem invocarent, juxta illud Pauli Rom. 10. v. 14. *Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt?*

IV. Tria enumerantur Symbola fidei (seu veriùs tres ejusdem fidei explicationes) Primum est Symbolum Apostolorum. Secundum Nicænum. Tertium Constantinopolitanum. Quibus addi potest quartum, nimirùm Athanasianum, de quo controvertitur, an sit vere genuinum S. Athanasii opus. Sed hoc dubium expendimus *Tom.* 4. *in* 1. *p. Tract. de Trinit. Q.* 6. *de Pers. Spirit. S Dub.* 1. §. 3. *à num.* 19. quò Studiosum remitto. Hìc solùm observo cum S. Thoma hâc *q.* 1. *a.* 10. *ad* 3. quòd cùm Symbolum nequeat condi, nisi Ecclesiæ, vel Summi Pontificis auctoritate, non ab homine privato; ideo *Athanasius non composuit manifestationem fidei per modum Symboli, sed magis per modum cujusdam doctrinæ, ut ex ipso modo loquendi apparet. Sed quia integram fidei veritatem ejus doctrina breviter continebat; auctoritate Summi Pontificis est recepta, ut quasi regula fidei habeatur.* De tribus prioribus Symbolis breviter agendum erit.

§. II.

De Symbolo Apostolorum.

V. De Symbolo Apostolorum egi in *l. de Vera Religione*, qui nondum prælò datus est; illudque Apostolis vindicavi contra Heterodoxos Calvinum, Basnagium, *Capite* 14. *&c.* Modò compendio dicam: Symbolum vulgò Apostolorum nuncupatum verè fuisse ab Apostolis editum, & Ecclesiæ consignatum. Ita senserunt ab initio Ecclesiæ Veteres. Irenæus l. 1. contra Hæref. c. 10. *Ecclesia enim* (inquit)

quit) *per universum Orbem usque ad fines terræ seminata, & ab Apostolis, & à Discipulis eorum accepit eam fidem, quæ est in unum Deum Patrem omnipotentem &c.* Tertullianus *l. de Præscriptionibus c.* 13. illud ad Christum refert; & *c.* 21. per Apostolos traditum: quod repetit *c.* 30. Et adversùs Praxeam *c.* 2. Recitato Apostolico Symbolo dicit: *Hanc regulam ab initio Evangelii decucurrisse.* Quibus autem auctoribus, nisi Apostolis, qui eam à Christo acceperunt? Ambrosius Epist. 81. *Credatur* (inquit) *Symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Romana iteratum semper custodit, & servat.* Idem dicit S. Hieronymus *Ep.* 61. modò 38. S. Leo, *Serm.* 60. qui est 11. *de Passione c.* 2. & *Epist.* 13. modò 27. & Ruffinus *in Exposit. Symboli* apud Cyprianum. Nihilominus quamvis horum Veterum non haberemus testimonia, sufficere posset continua Ecclesiæ testificatio; quæ semper hoc Symbolum, Apostolorum nominavit, & ut ab Apostolis conditum tradidit. Nam juxta regulam S. Augustini l. 4. de Baptismo contra Donat. c. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolicâ traditum rectissimè creditur.* Cum ergo hoc Symbolum semper ab Ecclesia retentum sit, nec à Conciliis institutum legatur, ab Apostolis traditum fuisse, certissimè tenendum est.

VI. Neque dicas. Ideo Apostolicum, seu Apostolorum nuncupari, quia continet doctrinam Apostolicam, vel ab Apostolis traditam, etsi Apostolos non habuerit Auctores.

Nam contra insto. Nam si puram doctrinam Apostolicam continet, quam tamen non Apostoli ita ordinaverint, quæro: quis eam collegit? Quis in hanc summam redegit? Nullum assignabis Concilium, nullum Pontificem; ergo cùm illud Ecclesia semper tenuerit, nec afferri possit post tempora Apostolorum, ejusdem initium; ab ipsis Apostolis ortum habuisse certò credendum est. Alioquin cùm cætera alia Symbola Apostolicam doctrinam contineant; ea quoque Apostolica dicenda essent, quod nemo cogitavit.

VII. Nec iterùm dicas. Quòd si ab Apostolis immediatè prodiisset, habendus esset in numero Sacrarum Scripturarum.

Nam contra est. Sacra enim Scriptura ideo talis dicitur, quia scripto tradita est, vel jussa est tradi. Symbolum verò Apostoli nec scripto tradiderunt, sed vivâ voce; nec in charta scribi mandarunt, sed penes Ecclesiam depositum, ut velut de manu in manum transiret, reliquerunt. Ita S. Hieronymus *Epist.* 38. citatâ: *In Symbolo fidei, & spei nostræ quod ab Apostolis traditum, non scribitur in charta, & atramento, sed in tabulis cordis carnalibus &c.* Imò nec Catechumenis olim scripto tradebatur, ne fidei nostræ mysteria possent Gentilibus ostendere; sed vivâ voce tantùm ab eis, qui eorum Catechismo præficiebantur. Ita sentiunt Cyrillus, *Catechesi* 5. quæ est de fide, & Symbolo; qui nec ipsis Catechumenis quædam fidei mysteria tradi solita fuisse, scribit. Ruffinus citatâ exposit. Symboli, his verbis: *Idcirco denique hæc non scribi in chartulis, atque membranis, sed retineri cordibus tradiderunt; ut certum esset, neminem hæc ex lectione, quæ interdum pervenire etiam ad Infideles solet, sed ex Apostolorum traditione didicisse sufficeret.* Consentit Augustinus, *Serm.* 212. & 214. ubi agit de traditione Symboli, & vetat, ne tradatur scripto.

VIII. Circa modum, quem in condendo Symbolo Apostoli servaverunt, S. Leo Magnus, *Epist. ad Pulcheriam Augustam*, modò 27. aliàs 13. sentire videtur, unumquemque Apostolum suum articulum contulisse. Ait enim: *Ipsa Catholici Symboli brevis, & perfecta confessio, quæ duodecim Apostolorum totidem est signata sententiis, tàm instructa sit munitione Cœlesti; ut omnes hæreticorum opiniones solo ipsius gladio possint*

sint gladio detruncari. Imò Auctor *Serm.* 115. *de Tempore*, modò 241. in Appendice *Tom.* 5. *Oper. S. August.* sigillatim exponit quemlibet Articulum, quem quilibet Apostolus (ut ipse supponit) Symbolo contulit. Sed quia iste Auctor nullius antiquioris se auctoritate munitur; hinc factum est, ut alii Scriptores, qui ipsum Symboli ordinem Apostolis tribuerunt, veriùs asseruerint, Apostolos inter se invicem contulisse; & habitâ mutuâ collatione, communi consensu Symbolum in eum ordinem, quo nunc legitur, redegisse: eâ fermè ratione, quâ Decreta, & Canones in Episcoporum Conciliis disponi, ac redigi solent. Ita Isidorus *lib.* 2. *de Ecclesiasticis Officiis cap.* 22. Hincmarus Remensis, *Epist. ad Præsbyt. Remens. Parochia. Tom.* 5. *Concil. Harduin. Column.* 416. his verbis: *Quod enim Symbolum græcè dicitur, latine indicium, vel, signum, seu collatio interpretatur..... Collatio, quia in eo Sancti Apostoli omnem fidei integritatem contulerunt. Quod autem omnes Apostoli pari fidei, sinceritate corde retinebant, ore confessi sunt, & singuli proprias sententias conferentes Symbolum, idest, totius fidei collationem ediderunt*. Idem sensit Ratbertus Paschasius, qui medio seculo nono vixit, in *Præfat. Libri de Spiritu Sancto*. Ruffinus in *sæpè laudatâ Exposit. Symboli*, ait: *Omnes ergo in uno positi, & Spiritu Sancto repleti, breve istud futura sibi, ut diximus, prædicationis indicium, conferendo in unum, quod sentiebat unusquisque, componunt; atque hanc credentibus dandam esse regulam statuunt..... Id enim fecerunt Apostoli in his sermonibus, in unum conferendo, quod unusquisque sensit*.

IX. De tempore, quo Apostoli Symbolum edidere, non consentiunt Doctores. Ruffinus citatus videtur velle, eodem ipso anno, quo Christus passus est, editum fuisse ab Apostolis Symbolum: *Tradunt* (inquit) *Majores nostri, quòd post Ascensionem Domini, cùm per adventum S. Spiritus super singulos quosque Apostolos ignea lingua sedisset ..... ab invicem normam priùs futura prædicationis in commune constituunt*. Communiùs tamen censetur cum Baronio, Symbolum fuisse ab Apostolis editum, priusquam in gentes dividerentur; nimirum anno 44. Claudii Secundo, à Christi Passione decimo, occasione natâ, quòd abituri essent in gentes ad vitandam Herodis persecutionem: quia Jacobo interemto, in carcerem conjecerat & Petrum, ut habetur *Actor.* 10. qui tamen ab Angelo liberatus fuit. Favet Isidorus supra citatus, dicens: *Discessuri ergo ab invicem, normam sibi priùs futura prædicationis in commune constituunt*. Nec dissentire videtur Ruffinus, qui editionem Symboli non ad tempus immediatum post Ascensionem Christi, sed ad tempus discessionis Apostolorum referre videtur, his verbis: *Discessuri ergo, ut diximus ad prædicandum, istud unanimitatis, & fidei suæ indicium Apostoli posuere. Non sicut Filii Noe discessuri ab alterutrum Turrem ex latere cocto, & bitumine construentes.... sed munimenta fidei, quæ starent adversùs faciem inimici, ex lapidibus vivis, & margaritis Dominicis ædificantes &c.*

X. Ex quibus apparet, Apostolos in edendo Symbolo hunc præ oculis finem habuisse; ut, nempe, in fide uniformitatem statuerent: *Ne fortè alius ab alio abducti diversum aliquid his, qui ad fidem Christi invitabantur, exponerent*, ut ait Ruffinus: cui subscripsit Isidorus *lib.* 2. *de Eccles. Off. cap.* 22. Et etiam, ut (teste eodem Ruffino) relinquerent signum, seu tesseram, quâ veri Fideles à falsis dignoscerentur, ut superius §. præced. adnotavimus.

§. III.

§. III.

De Symbolo Nicæno.

XI. Ratio, quare post Symbolum Apostolorum edita fuerint per Ecclesiam alia Symbola, traditur à S. Thom. hâc *q.* 1. *a.* 9. *ad* 2. nempe: quòd *In omnibus Symbolis eadem quidem fidei docetur veritas; sed ibi oportet populum diligentiùs instrui de fidei veritate, ubi errores insurgunt, ne fides simplicium per hæreticos corrumpatur. Et hæc fuit causa, quare necesse fuit edere plura Symbola, quæ in nullo alio differunt, nisi quòd in uno pleniùs explicantur, quæ in alio continentur implicitè, secundùm quod exigebat hæreticorum instantia.* Hinc estò tribus prioribus Ecclesiæ seculis ubique gentium solum Symbolum Apostolorum in usu esset: quarto tamen seculo Arii impietate Ecclesiam invadente, blasphemantis, Dei Verbum non esse Deum, sed creaturam, factam quidem ante omnes alias, sed tamen, ut alias, ex nihilo eductam, Patres tercenti decem & octo Nicææ in Bythinia congregati, circa annum 325. existimarunt aliud Symbolum condere, in quo expressiùs, quàm in Apostolico Verbi divinitas declararetur, quod vocatum fuit Symbolum Nicænum, quod hisce verbis constat.

Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium visibilium, nec non & invisibilium factorem.

Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei, natum ex Patre Unigenitum, hoc est, ex substantia Patris: Deum de Deo, lumen de lumine: Deum verum de Deo vero: natum, non creatum: homousion, *hoc est, ejusdem cum Patre substantiæ, per quem omnia facta sunt, cœlestia, & terrena.*

Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit, & incarnatus est, & homo factus; passus est, & resurrexit tertia die: ascendit in Cœlum, venturus inde judicare vivos, & mortuos. Et in Spiritum Sanctum.

Eos autem, qui dicunt: erat tempus, quando non erat; & priusquam nasceretur, non erat; & quia nullis existentibus factus est; aut ex alia substantia, vel essentia dicunt esse trepton, *hoc est, convertibilem, aut mutabilem Filium Dei: hos anathematizat Catholica, & Apostolica Ecclesia.*

XII. Hoc Symbolum ab Hosio, Cordubensi Episcopo, & S. Silvestri Romani Pontificis Legato conceptum, ac Synodi Patribus exhibitum, à toto Synodo receptum fuit, & approbatum, ut in Actis Concilii apparet. Contra hunc Hosium Arianos conclamantes inducit S. Athanasius, *Hist. Arian.* ad Monachos (seu Epist. ad solitariam vitam agentes) his verbis: *Hic & Synodis præesse solet, ejusque litteris ubique omnes obtemperant. Hic Nicænam fidem edidit, Arianosque ut hæreticos ubique traduxit.*

XIII. Tantæ apud Orientales fuit auctoritatis Symbolum Nicænum; ut omnes Græcorum Ecclesiæ in usum quotidianum illud assumserint, illudque Cathecumenis suis tradiderint. Quapropter Synodus Chalcedonensis ad Martianum Augustum hæc scribit: *Unam esse, veluti principali loco, trecentorum decem & octo Patrum doctrinæ confessionem lex nobis Ecclesiæ præscribit; quam velut commune Sanctorum Decretum, ad eorum, qui vocantur in adoptionem filiorum, tradimus firmitatem.* Unde Basilius Seleuciensis Episcopus (Epist. Synodicâ Concilii Seleuciæ habiti, ad Leonem Augustum) *Patres* (inquit) *qui Sanctum Concilium Chalcedonense celebrarunt, Symbolum Patrum Nicænorum pro lapide sumentes, ubique hoc solum circumferri, & prædicari ad illuminationem Fidelium sanciverunt.* Et hoc adeo, ut etiam ubi Symbolum Constantinopolitanum suffectum fuit, Nicæni tamen Symboli nomine inscriberetur: unde omnes Constantinopolitano Concilio posteriores Synodi, quoties Nicænum Symbolum nominant, Constantinopolitanum intelligunt.

XIV. Non ita tamen Orientales Ecclesias Symbolum Nicænum in communi usu habuisse existimo, ut Symbolum Apostolorum prorsus omiserint. Non enim credibile est, Ecclesiam Orientalem aliquando omisisse, Cathecumenis tradere articulos de Sancta Ecclesia, Sanctorum Communione, Remissione peccatorum, carnis Resurrectione, & Vitâ æternâ, qui, ut vidimus, in Symbolo Nicæno omittuntur: sed ita intelligendum est, ut præfati articuli, qui in Symbolo Apostolorum continentur, inserti postea fuerint Nicæno, donec Constantinopolitanum omnibus numeris absolutum prodiit.

XV. In Ecclesiis autem Occidentalibus, etiam post edita Nicænum, & Constantinopolitanum Symbola, in vulgari, & communi usu perseveravit (& adhuc perseverat) Symbolum Apostolorum purum, hoc est, absque ulla additione. Idque patet ex eo, quòd Augustinus, Petrus Chrysologus, Maximus Taurinensis, aliique Episcopi Latini solum Symbolum Apostolorum Cathecumenis tradere, & exponere continuaverint. Solam tamen Hispaniarum Ecclesiam excipias, quam cum Gothi, Wandali, aliique Ariani invasissent, Apostolorum Symbolo Constantinopolitanum, retento tamen Nicæni nomine, substitutum est, anno 589. in Concilio Toletano III. *c.* 2. his verbis: *Pro reverentia sanctissimæ fidei, & propter corroborandas hominum invalidas mentes, consultu Piissimi, & Gloriosissimi Domini nostri Recaredi Regis, Sancta constituit Synodus, ut per omnes Ecclesias Hispaniæ, vel Galliciæ secundùm formam Orientalium Ecclesiarum Concilii Constantinopolitani, hoc est, centum quinquaginta Episcoporum Symbolum fidei recitetur. Ut priusquam Dominica dicatur oratio, voce clarâ à populo decantetur &c.* An verò hic demandetur solùm publica hujus Symboli recitatio in Missa, ut etiam modò moris est, retento usu Symboli Apostolici privatim; an omnibus indiscriminatim præceptum, dubitari meritò potest.

§. IV.

De Symbolo Constantinopolitano.

XVI. Cùm in Symbolo Nicæno addita quidem fuerit clara expressio divinitatis Verbi Dei, & consubstantialitatis ejus cum Patre, & vera fides adversus Arianos exponeretur, nihil tamen de divinitate Spiritus Sancti dictum sit: propterea quod, ut ait Basilius Epist. 78 *Nondum esset mota quæstio, sed adhuc credendum mentibus securus, & nullus objectus insidiis inesset de Spiritu Sancto intellectus.* Et confirmat Hieronymus *Epist.* 65. modò 41. *ad Pammachium*, reddens rationem, cur à Nicænis Patribus de divinitate Spiritus Sancti nihil dictum sit: *De Ario (inquit) tunc, non de Origene quæstio fuit: de Filio, non de Spiritu Sancto. Confessi sunt, quod negabatur: tacuerunt de quo nemo quærebat.*

XVII. Subinde tamen exortâ Eunomianorum, & Macedonianorum hæresi; quorum primi Spiritum Sanctum alienum esse à Patre, nec à Patre immediatè procedere asserebant, sed solùm remotè, sicut nepos ab avo; secundi verò (sicut & primi) Spiritum Sanctum esse Deum negabant, ideoque nolebant, eum esse cum Patre adorandum: placuit aliud condere Symbolum, in quo divinitas quoque Spiritus Sancti exprimeretur. Hoc factam fuit circa annum 381. in Concilio Constantinopolitano primo, à centum quinquaginta Episcopis; à quibus propterea Symbolum Constantinopolitanum, seu centum quinquaginta Patrum vulgò nuncupatur. In hoc contra Eunomianos dicitur: *Spiritus Sanctus ex Patre procedens*: Contra Macedonianos autem: *Cum Patre, & Filio adorandus, & conglorificandus.* Quia tamen tunc temporis non negabatur Spiritum Sanctum procedere à Filio, nihil de hac

re

re exprimendum Patres putaverunt: sed postea in Concilio Toletano tertio, anno 589. & tandem in Lugdunensi II. sub Gregorio X. anno 1279. ab universa Ecclesiâ Symbolo Constantinopolitano addita fuit vox *Filioque*. Quod jure factum fuisse ostendimus *Tomo 4. in 1. P. Qu. 5. de Persona Spiritus Sancti*, *toto Dubio 2.* ad quod Studiosum remitto.

XVIII. Hoc Symbolum, paucis variatis verbis, illud est, quod Ecclesia Romana publicè in Missarum solemnis recitat, & canit, servato usui privato Fidelium, & instructioni incipientium Symbolo Apostolorum. Rationem autem, cur potiùs Symbolum Patrum, quàm Apostolorum Ecclesia publicè usurpet, assignat S. Tho. hâc q. 1. a. 9. ad 6. *Quia Symbolum Patrum est declarativum Symboli Apostolorum, & etiam fuit conditum fide jam manifestatâ, & Ecclesiâ pacem habente, propter hoc publicè in Missa cantatur. Symbolum autem Apostolorum, quod tempore persecutionis editum fuit, fide nondum publicatâ, occultè dicitur in Prima, & in Completorio, quasi contra tenebras errorum præteritorum, & futurorum.*

XIX. Illud fusè de verbo ad verbum explicat Christianus Lupus in suis scholiis, & notis in Canones Constantinopolitanos; ostendens, singulis illius verbis singulas hæreses extirpari. Primò ergo dicitur *Credimus*. A' fide enim Symbolum incipere debet, eo quòd non ratione philosophicâ, sed revelatione mysteria fidei non intelliguntur, juxta illud Isaiæ 7. *v.* 9. secundum lxx. *Nisi credideritis, non intelligetis.*

In unum Deum. Illa particula *in* apponitur, ut sciamus non sufficere credere, Deum esse, aut vera loqui: sed præterea requiri, ut in eo spem figamus, & ut eum super omnia diligamus. Ait enim S. August. Serm. 61. de Verb. Domini, modò Serm. 144. c. 2. *Multum interest, utrum quisque credat, ipsum esse Christum, & utrum credat in Christum. Nam ipsum esse Christum, & Dæmones crediderunt. Ille enim credit in Christum, qui sperat in Christum, & diligit Christum. Nam si fidem habet sinè spe, & sinè dilectione, Christum esse credit, non in Christum credit.* Itaque hisce vocibus *Credimus in Deum*, qui Symbolum recitat, elicit actus fidei, spei, & caritatis. Unde subdit August. *Qui ergo in Christum credit, credendo in Christum, venit in eum Christus, & quodam modo unitur in eum, & membrum in corpore ejus efficitur: quod fieri non potest, nisi & spes accedat, & caritas.* Vox illa *Unum* Marcionitas configit, Encratitas, Gnosticos, Manichæos, aliosque duplicis Dei fabulatores: inter quos Concil. Toletanum I. anno 400. in *Reg. Fidei nu.* 8. ponit Priscillianistas, dicens contra eos: *Si quis dixerit aut crediderit, alterum Deum esse priscæ legis, alterum Evangeliorum, anathema sit.*

Omnipotentem. Vox ista damnat errorem Origenis contendentis, Deum tanta fecisse, quanta potuit, tantamque materiæ quantitatem, quantam administrare, & ornare poterat (ut ex rescripto Justiniani Augusti ad Mennam Patriarcham Constantinopolitanum) & Hermogenis, qui asseruit, Deum, ut operaretur, indiguisse æternâ, & increatâ materiâ. Contra quem Tertullianus lib. adv. Hermogen. c. 8. *Jam* (inquit, Deus,) *non omnipotens, si non & hoc potens, ex nihilo omnia proferre.*

Factorem Cœli, & Terræ. Verba hæc contra Carpocratianos ex Symbolo Apostolorum inserta sunt; qui, teste August. l. de Hæres. c. 7. *Negabant, à Deo factum, sed à nescio quibus virtutibus, Mundum.*

Visibilium omnium. Verba hæc Manichæos iterum exterminant, negantes, hæc minutiora, & secundùm nos imperfecta, à Deo facta esse, ut muscas, lacertas &c. Unde S. August. *Tract. 1. in Joann.* refert: *Nescio quis tædium patiebatur ad muscas: invenit illum Manichæus tædio affectum, & cùm di-*

cere:

ceret, se non posse pati muscas, & odisse vehementer illas, statim ille: quis fecit has? Et quia tadio affectus erat, & oderat illas, non ausus est dicere, Deus illas fecit: erat autem Catholicus. Ille statim subjecit: si Deus illas non fecit, quis illas fecit? Planè, ait ille, ego credo, quia Diabolus fecit muscas. Et ille statim: si muscam Diabolus fecit, sicut te video confiteri, quia prudenter intelligis, apem quis fecit, qua paulò amplior est muscâ? Non ausus ille est dicere, quia Deus fecit apem, & muscam non fecit, quia res erat proxima. Ab ape duxit ad locustam, à locusta ad lacertum, à lacertò ad avem, ab ave duxit ad pecus, inde ad bovem, & inde ad Elephantem, postremò ad hominem: & persuasit homini, quòd non à Deo factus est homo. Ita ille miser cùm tadium passus est ad muscas, musca factus est, quem Diabolus possideret. Ita Augustinus.

Et invisibilium. Vox hæc Gnosticos ferit, qui teste Augustin. de Hæres. cap. 6. *Animarum substantiam, Dei dicunt esse naturam:* Menandrianos Simonis Magi sobolem, qui, eodem Aug. teste, cap. 2. *Mundum asserebant non à Deo, sed ab Angelis factum.* Et Hermannum Riſſuich, qui anno 1499. inter alios errores sustinuit, Angelos sive bonos, sive malos à Deo non fuisse creatos.

XX. His autem verbis: *Et in unum Dominum Jesum Christum*, damnatur Apollinaristarum calumnia, Catholicis imponentium, quòd dum duas sinè confusione naturas in Christo ponerent, duos in Christo filios distinguebant, unum ex Patre, alterum ex Matre. Quam calumniam depellens Nazianzenus Orat. 52. seu Epist. 2. ad Cledonium: *Nos (inquit) criminantur tanquam duas naturas distinctas, aut inter se pugnantes, invehamus, atque eximiam, & admirabilem unionem dividamus.* Excluditur etiam error Nestorianus in Christo duas Personas statuens.

Ex Patre natum ante omnia secula. Verba hæc Ebionem configunt, qui dicebat, Christum ante Mariam non fuisse. Item Paulum Samosatenum, Photinum, aliosque, qui Christum purum hominem esse blasphemantes, non semper fuisse dixerunt.

Verba hæc: *Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero*, Symbolo Apostolorum ad Arianam hæresim eliminandam adjecta sunt; ut omnis via ad negandam consubstantialitatem cum Patre præcluderetur. Idem exprimunt sequentia: *Natum non factum, homousion Patri, hoc est, ejusdem cum Patre substantiæ.* De quibus videri possunt quæ diximus *Tom. 4. in 1. p. Tract. de Trinit. q. 1. Dub. 3. §. 1. & 2.*

XXI. *Qui descendit de Cælis.* Vox ista *de Cælis* abest à Symbolo Nicæno, & etiam ab aliquibus Constantinopolitani Codicibus; & à Symbolo Constantinopolitano lecto in Concilio Ephesino, & Chalcedonensi: addita tamen est ab Ecclesia. Ex quo Julianus Cardinalis in Synodo Florentinâ *Sess.* 7. adversùs Marcum Ephesium probat, aliquid ab Ecclesia posse inseri Symbolo: *Nam in Constantinopolitano Symbolo, quod postea Ephesi, & Chalcedone recitatum est, non habetur vox illa: De Cælis.* Quæ tamen, fatente ipso Marco Ephesio, in Symbolis tùm Latinis, tùm Græcis modò legitur.

XXII. His vocibus: *Et Incarnatus est*, quæ ut supra in Nicæno Symbolo leguntur, Constantinopolitani Patres addiderunt: *De Spiritu Sancto ex Maria Virgine.* Hoc autem tùm ad ostendendum, Verbum veram carnem ex Maria sumsisse, non eam attulisse de Cœlo, ac verè ex ipsa conceptum, & natum; non purè per ipsius uterum transisse, sicut aqua per canalem, ut olim somniaverat Valentinus. Tum ad afferendam veram ex Virgine nativitatem, quam sinè viri operâ possibilem esse, Apollinaristæ negabant; &, ut ajunt Patres Chalcedonenses in adlocutione ad Marcianum Augustum,

ut

ut ostenderetur : *Quomodo secundùm veritatem mater dicta sit, propter carnem, quam ex se omnium Domino ministravit.*

XXIII. *Et homo factus est.* Hæ voces explicant, Verbum non solùm carnem sumsisse. quod exprimit ly *Incarnatus est*; sed veram carnem humanam, ac factum fuisse verè hominem animâ humanâ, ac mente præditum contra Apollinaristas Verbo Incarnato, aut veram carnem, aut animam, aut mentem auferentes. Unde S. Augustinus lib. de dono Persever. c. 24. *Non Deum tantùm dicimus Christum, sicut haretici Manichai; nec hominem tantùm, sicut haretici Photiniani: nec ita hominem, ut aliud minùs habeat, quod ad humanam certum est pertinere naturam, sive animam, sive in ipsa anima mentem rationalem, sive carnem non de famina sumtam, sed factam de Verbo in carnem converso, atque mutato: qua omnia tria falsa, & vana hareticorum Apollinaristarum tres partes varias diversasque fecerunt.*

XXIV. Hisce articulis: *Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato: Passus, & sepultus*, exprimitur fides de Christi vera Crucifixione, Passione, Morte, & Sepultura, prout Evangelistæ tradunt: contra Simonem Magum, qui dicebat, Christum nec venisse, nec à Judæis aliquid mali passum esse: contra Manichæos, qui Christo carnem solum phantasticam tribuentes, ipsum solùm apparenter crucifixum, mortuum, passum, quem errorem adoptavit etiam Mahometes.

XXV. *Et resurrexit tertia Die secundùm Scripturas. Et ascendit in Cœlum, sedet ad dexteram Dei Patris: inde venturus est judicare vivos, & mortuos.* His verbis confitemur, Christum verè à mortis surrexisse, contra Sadducæos, aliosque Resurrectionem negantes: in Cœlum ascendisse, non ut Deus est, sic enim à Cœlis abfuit nunquam, sed ut homo est, & secundùm corpus, & animam. Sedendo autem ad dexteram Patris, æqualitatem ejus cum Deo Patre protestamur, cum Apostolo ad Hebr. 1. v. 13. *Ad quem autem Angelorum dixit aliquando: sede à dextris meis?* Porrò quia, ut homo accepit à Patre judiciariam potestatem, fatemur quoque, post consummationem seculorum iterum descensurum ad judicandum genus humanum, quod redemit: judicabit quoque ut Deus. cum, prout est Verbum, sit sapientia Patris, & cum eo aliæ divinæ Personæ, quamvis sententiam à se, & aliis Personis conceptam, exteriùs sit prolaturus, ut homo. Judicabit *vivos*, idest, justos, *mortuos*, injustos: ut exponit August. *Serm. 1. de Symb. ad Cathecumenos, cap. 4.* Illud autem: *Cujus Regni non erit finis*, fortè sumtum est ex verbis Gabrielis ad Mariam, *Luca 1. v. 33.*

XXVI. Quæ sequuntur: *Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, ex Patre procedentem, & cum Patre, & Filio adorandum, & conglorificandum, qui locutus est per Prophetas.* Expressiones sunt additæ Symbolis Apostolorum, & Nicæno, ad profitendam divinitatem Spiritus Sancti, contra hæresim Macedonii illam negantis. Ut enim ajunt Patres Chalcedonenses in allocutione ad Marcianum Augustum, estò dicendo: *Credo in Spiritum Sanctum*, sufficiens intelligentia divinitatis Spiritus Sancti tradatur: *Si enim ut in Patrem, & Filium, ita etiam & in Spiritum Sanctum* (Nicænum Symbolum) *credere jussit, manifestum est, quòd ut in Deum spem nos habere pracipit.* Sed quia illi, qui de stirpe Arii progeniti erant, videntes se convictos de Filio, in Spiritum Sanctum blasphemiam suam transtulerunt, inter quos vexillum extulerat Macedonius Constantinopolitanus Episcopus, circa annum 359. existimarunt Patres Constantinopolitani ad pleniorem fidelium instructionem, addere, Spiritum esse *Dominum*, non servum. à *Patre procedentem*, sicut Filium, *vivificantem*, quod solius Dei est proprium, *cum Patre, & Filio* ado-

dorandum, & conglorificandum: ut hâc expressione nulla evaderet via ad dicendum, Spiritum Sanctum non esse ejusdem cum Patre, & Filio majestatis, & gloriæ.

XXVII. Et *Unam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam*. Quia multæ tunc temporis erant Ecclesiæ variis hæresibus infectæ, quæ tamen Veræ Ecclesiæ nomine gloriabantur; necesse fuit, ad discernendam veram à falsis, notas veræ Ecclesiæ Fideles edocere, quæ sunt: quòd sit Una, Sancta, Catholica, & Apostolica. De his plura diximus in *Vera Ecclesiâ Tom.* 1. *c.* 1. §. 2. 3. & 4. Modò observo, Symbolum non dicere: *In unam Sanctam &c.* sicut dicit: *In unum Deum, In unum Dominum Jesum Christum, In Spiritum Sanctum Dominum*. Quia licèt (ut notat S. Thomas hâc q. 1. a. 9. ad 5.) *Si dicatur* In Sanctam Ecclesiam Catholicam, *hoc sit intelligendum, secundùm quod fides nostra refertur ad Spiritum Sanctum, qui sanctificat Ecclesiam, ut sit sensus*: Credo in Spiritum Sanctum Sanctificantem Ecclesiam. *Meliùs* tamen (inquit idem S. Doctor) *est, & secundùm communiorem usum, ut non ponatur ibi* In, *sed simpliciter dicatur*, Sanctam Ecclesiam Catholicam. Hujus rationem, præter superiùs dicta, tradit Ruffinus *in Exposit. Symboli*, his verbis: *Non dixit, In Sanctam Ecclesiam, nec In Remissionem peccatorum, nec In Carnis resurrectionem. Si enim addidisset in præpositionem, una eademque vis fuisset cum superioribus. Nunc autem in illis quidem vocabulis, ubi de divinitate fides ordinatur*: in Deum Patrem *dicitur*, & in Jesum Christum Filium ejus; & in Spiritum Sanctum. *In cæteris verò, ubi non de divinitate, sed de creaturis, ac mysteriis sermo est, in præpositio non additur, ut dicatur*: in Sanctam Ecclesiam, *sed Sanctam Ecclesiam credendam esse, non ut in Deum, sed ut Ecclesiam Deo congregatam &c.*

XXVIII. *Confitemur unum Baptisma in remissione peccatorum*. Hic articulus definit. Primò: unicum medium à quo primò in Ecclesia dimittuntur peccata, sive adultis, sive parvulis, esse Baptisma. Secundò: esse in eadem Ecclesiâ potestatem remittendi peccata post Baptismum commissa, eâ facultate, quâ Christus. *Joan.* 20. *v.* 23. munivit Apostolos: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*, contra Novatianum hæreticè hanc potestatem Ecclesiæ denegantem.

XXIX. *Expectamus resurrectionem mortuorum, & vitam venturi sæculi*. His duobus postremis articulis profitemur fidem nostram, quâ credimus, corpora nostra mortalia aliquando ad immortalitatem surrectura: *Quamvis* (Ruffino laudato teste, qui multis Scripturarum testimoniis hanc veritatem evincit) *etiam de hoc non solùm à Gentilibus, sed etiam ab Hæreticis fides impugnetur Ecclesiæ. Nam Valentinus resurrectionem carnis omnimodo negat, & Manichæus*.

Profitemur tamen, post resurrectionem, futuram vitam æternam, quam Fideles, qui bona egerunt, consequentur: & additur ly *æternam*, ne putaret quis, vitam, ad quam resurgemus, fore sicut illam, ad quam resurrexit Lazarus, nempe, iterum amittendam, sed fore æternam, idest, nunquam amittendam.

XXX. De Descensu Christi ad Inferos nihil in Symbolis Patrum credendum proponitur. Non quia tunc inter fidei articulos locum non haberet, ut ineptè putat Calvinus *l.* 2. *Inst. c.* 16. §. 8. cùm in Symbolo Apostolorum longè antiquiori exprimatur: sed quia, ut ait S. Tho. hâc q. 1. a. 9. ad 4. *De Descensu ad inferos nullus error erat exortus apud hæreticos; & ideo non fuit necessarium aliquam explicationem circa hoc fieri. Et propter hoc non reiteratur in Symbolo Patrum, sed supponitur tanquam prædeterminatum in Symbolo Apostolorum. Non enim Symbolum sequens abolet præcedens, sed illud exponit*. Protestamur ergo, nos credere

dere

dere descensum Christi ad Inferos; non tantùm secundùm virtutem divinitatis, sed substantialem præsentiam, non corporis, quod jacebat in sepulcro, sed animæ Verbo hypostaticè unitæ. Ad Inferos, inquam: non tetrum illum carcerem, quo Dæmones cum Damnatis concluduntur; multò minùs descendisse Damnatorum cruciatus sustinendo, ut blasphemat Calvinus citatus §. 10. 11. 12. &c. volens, Christum omnes Damnatorum diros cruciatus sustinuisse, cum, tanquam reus, stetit ante tribunal Dei nostrâ causâ. Non ad locum Purgatorii, quo detinentur animæ, quibus Deo pro peccatis superest aliquid persolvendum: sed ad receptaculum illud, in quo animæ Patriarcharum, aliorumque Sanctorum expectabant Salvatoris mortem; per quam deleretur chirographum decreti, ac Cœlorum portæ, illucusque eis clausæ, aperirentur. Eas ergo Justorum animas summâ lætitiâ perfudit præsentia Christi, à quo donatæ sunt visione beatificâ: quo facto probavit Christus id, quod Latroni pendenti in Cruce promiserat Lucæ 23. v. 43. *Hodie mecum eris in Paradiso*.

QUÆSTIO II.

De Actu Interno Fidei, ejusque Necessitate.

Actus fidei divinæ alius est internus, quo quis interiùs credit, & assentitur Deo revelanti: alius exterior, quo quis verbo, vel facto fidem exteriùs actu protestatur. De priori hìc agemus cum S. Thom. hàc *quæst.* 2. de Posteriori acturi in sequentibus.

DUBIUM I.

An ad Actu Credendum requiratur Pia Affectio Voluntatis.

§. I.

Quid sit Credere, & Quotuplex.

I. Credere, inquit S. Tho. hoc a. 1. ex S. Augustino lib. de Prædest. Sanct. c. 2. *Est, cum assensione cogitare*. Non ita tamen, ut sola cogitatio de credendis sufficiat ad actum fidei constituendum; multæ enim cogitationes præcedunt fidem, imò aliquando quis de credendis cogitat, qui tamen non credit, & interdum cogitat, ne credat: sed cogitatio de credendis conjuncta cum assensu, seu adhæsione firmâ intellectus rebus revelatis, est propriè actus fidei. *Quis enim non videat* (inquit S. August. citatus) *priùs esse cogitare, quàm credere? Nullus quippe credit aliquid, nisi priùs cogitaverit, esse credendum. Quamvis enim raptim, quamvis celerimè credendi voluntatem quadam cogitationes antevolent; moxque illa ita sequatur, ut quasi conjunctissima comitetur: necesse est tamen, ut omnia, quæ creduntur, præveniente cogitatione credantur. Quamquam & ipsum credere nihil aliud est, quàm cum assensione cogitare. Non enim omnis, qui cogitat, credit, cùm ideo cogitent plerique, ne credant: sed cogitat omnis, qui credit, & credendo cogitat, & cogitando credit*. Cogitare ergo ad credere se habet, ut genus; assentiri autem credendis se habet, ut differentia, cùm non valeat: cogitat; ergo credit: benè tamen: credit; ergo cogitat.

II. Quia tamen ad assentiendum revelatis, seu ad credendum, intellectus moveri non potest ab evidentia rationis eum convincente, sicut movetur ad assentiendum conclusioni ex visione principiorum: propterea aliquid aliud assignari debet movens, & incli-

clinans intellectum ad assentiendum potiùs, quàm dissentiendum; & hoc, ut dicemus, aliud esse non poterit, nisi voluntas. Unde S. Thomas hoc *a.* 1. *ad* 3. ait: *Quòd intellectus credentis determinatur ad unum, non per rationem, sed per voluntatem: & ideo assensus hîc accipitur pro actu intellectus, secundùm quòd à voluntate determinatur ad unum*. Sed de hoc infra.

III. Actus fidei, ut docet D. Tho. hîc *art.* 2. convenienter distinguitur in hoc, quod est credere Deum, credere Deo, & credere in Deum: non quòd per ista tria designentur diversi actus fidei, sed unus, & idem actus habens diversam relationem ad fidei objectum. Vel enim respicit objectum materiale, quod credit, quod est Deus; & sic dicitur: *credere Deum*; quia nihil proponitur ad credendum, quod non sit, vel Deus, vel ordinatum ad Deum. Vel respicit rationem formalem, seu medium, propter quod tali credibili assentitur; & sic dicitur: *credere Deo*; quia ratio formalis, cui inhæret homo, & propter quam rebus revelatis assentit, est veritas prima. Vel respicit objectum tendendo, ac se movendo in illud ex voluntatis impulsu; & sic dicitur: *Credere in Deum*, juxta illud Augustini Tract. 29. in Joan. *Quid est ergo credere in eum? Credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire, & ejus membris incorporari*. Recolantur ea, quæ de hoc dicta sunt *Quæst. praced. Dub.* 10. §. 4. *nu.* 27. Nunc ad præsens quæsitum

§. II.

Resolutio Dubii.

IV. Nomine piæ affectionis, ex jam observatis, intelligitur motio, seu actus voluntatis moventis, & inclinantis intellectum ad credendum ea, quæ à Deo revelata, & ut talia ab Ecclesia proposita sunt. Sicut enim in humanis movemur ad credendum ex pia affectione, & credulitate, quam habemus, vel erga personam testificantem, vel rem testificatam: ita movemur ad credendum divina, quia voluntas nostra est piè affecta, vel ad Deum testificantem, vel ad bona nobis revelata, & repromissa.

V. Dico. Ad actum internum fidei divinæ, seu ad credendum divina simpliciter requiritur pia affectio, seu motio voluntatis inclinantis intellectum ad assensum. Colligitur ex illo Pauli, ad Rom. 10. v. 10. *Corde enim creditur ad justitiam*, idest (ut notat S. Thom. ibi lect. 2.) *voluntate. Nam catera, qua ad exteriorem Dei cultum pertinent, potest homo nolens, sed credere non potest, nisi volens. Intellectus enim credentis non determinatur ad assentiendum veritati ex necessitate rationis, sicut intellectus scientis, sed ex voluntate: & ideo scire non pertinet ad justitiam hominis, quæ est in voluntate, sed credere*. Ex quibus conficitur prima ratio, sic. Intellectus non sufficienter determinatur ad credendum ab ipso objecto; ergo indiget piâ voluntatis motione ipsum inclinante. Ant. prob. Objectum non determinat sufficienter ad assensum, nisi videatur, vel in se immediatè, ut sunt prima principia, & ea, quæ experimur; vel mediatè, nempe, per necessariam & evidentem illationem ex principiis visis, ut sunt conclusiones scientificæ: sed objectum fidei nullo ex his modis præsentatur intellectui, sed prorsus obscurè proponitur, ut dictum est; ergo &c.

VI. Secunda ratio est. Positis omnibus motivis ex parte objecti ad credendum, non solùm non necessitatur intellectus ad exercitium actus circa credibile sibi propositum; quia absolutè potest cessare ab omni exercitio circa illud; sed neque quamvis eliciat actum, necessitatur ad ponendum determinatè assensum: potest enim liberè dissentire. Quare Christo, Apostolis prædicantibus, nec non miracula facientibus, quidam quidem rebus prædica-

dicatis assentiebant; quidam verò, & plerique assentire nolebant, & de facto dissentiebant, ut Evangelia, & Apostolica scripta testantur; ergo objectum credibile, quamvis propositum, non determinat sufficienter ad assensum.

VII. Tertia ratio est. Quando credimus, actus, quo credimus, non solùm liber est. quia, ut vidimus, possumus credere, & non credere, imò & discredere; sed etiam si adsint omnes conditiones requisitæ ad meritum, meritorius est: talis fuit actus, quo Abraham *credidit Deo, & reputatum est illi ad justitiam*. Gen. 15. v. 6. & Rom. 4. v. 3. Sed omnis actus liber, & meritorius dependere debet à voluntate, ejusque motione: tunc enim liberè, & meritoriè agimus, quando per electionem voluntariè declinamus in unam partem magis, quàm in aliam; ergo &c.

§. III.

Respondetur Objectionibus.

VIII. Primò objicies. Esto pia voluntatis affectio movere possit ad exercitium actus, puta, ad actu credendum; non tamen ad speciem actus, puta, ad credendum potiùs, quàm discredendum. Unde docet D. Thom. 1.2. *q.* 9. *a.* 1. quòd movere quoad exercitium, seu quoad usum, proprium est voluntatis; movere autem quoad speciem actus, proprium est intellectus: quod autem unius potentiæ proprium est, nequit alteri tribui; ergo &c.

IX. Respondeo explicando ant. Non tamen ad speciem actus motione objectivâ, nimirum, præsentando objectum, conc. ant. Hoc enim, ut docet S. Th. citatus, solius intellectus proprium est. Motione subjectivâ determinando indifferentiam intellectus, nego ant. Movere igitur ad speciem actus, aliter proprium est intellectus, aliter convenit voluntati in præsenti. Intellectus enim movet motione tantum objectivâ, proponendo voluntati objectum, quod prosequatur. Voluntas verò movet intellectum motione subjectivâ, hoc est, determinando intellectum, ut assentiatur objecto credibili, quod sibi proposuit. Cùm enim credibile non determinet intellectum ad sui assensum, sed relinquat illum indifferentem ad assensum, vel dissensum: hinc est, quòd determinatio, quam intellectus habere non potest ab objecto, suppleri debet à voluntate. Quapropter esto quando intellectus sufficienter determinatur ab objecto ad speciem actus, ut accidit in scientiis, non indigeat voluntate determinante ipsum ad assensum potiùs, quàm ad dissensum, & proinde non ad speciem, sed solùm ad exercitium actus: quando tamen objectum, quia non visum, non sufficit ex se ipsum determinare, ut hìc contingit; subrogatur voluntas, quæ suâ affectione det determinationem, quam objectum dare non potest.

Hinc licèt Intellectus proposito sibi objecto scibili, non egeat motione voluntatis, ut eliciat assensum præ dissensu; quia objectum, utpote evidenter cognitum, ratione sui convincit, & necessitat intellectum ad assensum. Proposito tamen sibi objecto credibili, hoc non contingit; quia cùm sibi obscurè proponatur, non potest vi suâ exigere assensum præ dissensu, nec indifferentiam intellectus tollere, sed hæc tollenda est per voluntatem: quæ, si bene affecta sit, & complacens erga objecta credibilia proposita, reddat intellectum complacentem, benè affectum, & consequenter assentientem, & quasi captivatum in obsequium fidei. Neque enim ad hoc sufficiunt motiva, quamvis evidentia, credibilitatis: hæc enim, cùm, ut dictum est, relinquant rem revelatam obscuram, & non visam; non possunt ita determinare intellectum ad assensum, quin dissentiat, nisi accesserit pia affectio voluntatis.

X. Secundò objicies. Assensus opi-

 nionis,

nionis, & fidei humanæ non requirit motionem voluntatis; ergo neque assensus fidei divinæ: cùm in utroque casu objectum, utpote inevidenter propositum, non possit inclinare intellectum ad sui assensum. Ant. pro prima parte traditur ab Arist. 3. *de Anima text.* 173. dicente: Imaginamur, cum volumus; opinari autem non est in nostra potestate. Pro secunda verò parte probatur. Nam quantumcumque velit quis dissentire huic dicto: *Roma est*, non potest, neque assensum suspendere, si apprehendit testimonia ipsum certificantia, Romam esse.

XI. Respondeo, neg. ant. pro utraque parte. Ad probat. primæ partis dico, Arist. mentem non esse, opinionem nullo modo subesse nostræ potestati; sed non subesse eodem modo, quo subest phantasia. Liberum enim est phantasiari quod volumus, absque ullo fundamento: at, ut credamus, debemus habere sufficiens testimonium, & ut opinemur, rationabile motivum, præter motionem voluntatis. — Ad secundam probat. dico, non posse quidem aliquem prudenter non credere, Romam esse, cum tot testimoniis eam esse, credibile sit; absolutè tamen liberum est ei credere, & ideo eget voluntatis impulsu, & motione.

XII. Tertiò objicies. Si Deus auferret ab homine voluntatem, posset ponere fidem in ejus intellectu, & ipsum obligare ad eliciendum actum fidei ejusdem speciei cum nostro: at tunc non esset motio voluntatis; ergo &c.

Rursus: potest quis habere fidem, & simul odium omnium supernaturalium: at tunc non esset in eo pia affectio ad res fidei; ergo &c.

Præterea: actus fidei aliquando non elicitur liberè, ut cum elicitur sinè deliberatione; sicut & aliquando eliciuntur actus infidelitatis: sed tunc non est pia affectio voluntatis; ergo &c.

XIII. Respondeo ad primum, neg. absolutè maj. Casu enim, quo Deus auferret ab homine voluntatem, estò posset in eo ponere habitum fidei, non tamen posset ipsum obligare ad actum fidei, qui in illo esset impossibilis, ob carentiam voluntatis, à qua essentialiter dependet. Nisi fortè Deus seipso suppleret defectum voluntatis, immittendo specialem motionem, quâ moveretur intellectus ad assentiendum credibili sibi proposito.

Ad secundum, nego similiter maj. Cum enim homo credat fide infusâ, ex pia affectione ad supernaturalia; implicat, habere fidem infusam, & simul odium totale omnium supernaturalium. Quare, propter defectum piæ affectionis, fides infusa nec est in Dæmonibus, nec in Damnatis, ut dicetur.

Ad tertium dico, actum fidei, si absque deliberatione eliciatur, pendere à motione voluntatis per actum subitum, & indeliberatum movente intellectum ad assensum. Unde semper verificatur, fidei assensum à motione voluntatis pendere: si fuerit liber, à motione liberâ, si necessarius, à necessaria.

§. IV.

Aliqua pro Pleniori Notitia Piæ Affectionis.

XIV. Ex dictis infero primò: Præfatam piam affectionem inclinantem intellectum ad actum fidei divinæ debere esse actum voluntatis supernaturalem. Tùm quia: hoc statuit Conc. Arausicanum II. *cap.* 5. damnans: *Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsumque credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui justificat impium .... non per gratiæ donum, idest, per inspirationem Spiritus Sancti, corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, sed naturaliter nobis inesse dicit.* Tùm quia: præfatus pius affectus est initium fidei supernaturalis; ergo nisi cum Semipelagianis

nis sentiamus, debemus asserere, eum esse ordinis supernaturalis, & non naturaliter nobis inesse.

XV. Infero secundò: Quòd si præfata pia affectio est supernaturalis, etiam judicium illam regulans debet esse supernaturale: quia actus merè naturalis nequit regulare actum supernaturalem, ut idem Conc. Arausicanum II. *cap* 7. statuit ex illo Pauli, 2. ad Cor. 3. v. 5. *Non quod sufficientes simus, cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis*.

XVI. Quæro igitur primò: A quo principio eliciatur illa pia affectio? — Respondeo, quòd pia affectio, quia ex dictis supernaturalis, non elicitur à voluntate nudè sumtâ; sed ut elevatâ aliquo principio supernaturali, non per modum auxilii transeuntis, sed per modum qualitatis habitualis, cui debetur hìc & nunc auxilium. Cum enim voluntas debeat esse permanenter disposita, & habitualiter benè affecta erga res fidei; debet habere aliquid habitualiter in ipsa permanens, quo sit disposita. Huiusmodi tamen qualitas habitualis non habet modum habitus, sed dispositionis; quia datur ad actum imperfectum, & per modum viæ, & inchoationis: & ideo ex se non habet firmitatem, etiamsi eam fortiatur ex influxu caritatis. Ex quo sequitur, qualitatem hanc habitualem datam ad piam affectionem, non esse quartam virtutem theologicam; cùm sit quid imperfectum in genere virtutis, & spectans reductivè ad fidem, sicut inchoatio eius.

XVII. Quæro secundò: Quodnam sit judicium regulans piam affectionem? — Respondeo, piam affectionem, ad actum fidei infusæ requisitam, non regulari à judicio credibilitatis mysteriorum fidei: quia cum huiusmodi judicium sit entitativè naturale, non potest per se regulare piam affectionem, quæ, ut diximus, est entitativè supernaturalis. Neque regulatur à judicio fidei: quoniam fides non præcedit piam affectionem, sed ad eam sequitur, utpote inclinantem intellectum ad actum fidei. Regula igitur piæ affectionis erit judicium supernaturale antecedens fidem, quod practicè proponit voluntati ipsum credere, ut consonum, & conveniens ad adipiscenda bona repromissa: ex hac enim propositione excitatur in voluntate pia affectio erga res fidei, quâ inducitur intellectus ad assentiendum mysteriis fidei.

XVIII. Sed dubitabis. Hoc judicium, cùm sit de rebus supernaturalibus, non potest esse clarum: quia de his, dum sumus in hac viâ, non possumus formare judicium evidens; ergo erit obscurum, sicut est judicium fidei; ergo sicut ad hoc requiritur pia affectio, ita & ad illud: & sic in infinitum.

XIX. Ad hanc dubitationem respondeo, judicium illud regulans piam affectionem esse obscurum; elicitivè procedens ab intellectu illustrato à Spiritu Sancto movente illum ad considerationem bonorum, quæ Deus repromisit credentibus in eum: applicativè autem à pio affectu voluntatis indeliberato, excitato in illa ab ipso Deo. Unde non est abeundum in infinitum.

Rem pono in praxi. Vult Deus, ut ego liberè credam mysteria suæ fidei: quid ergo facit? Primò movet intellectum meum ad cogitandum de illis: hæc cogitatio excitat in mea voluntate affectum indeliberatum credulitatis circa illa. Voluntas, facta in actu per hunc pium indeliberatum affectum, excitat in intellectu judicium practicum de convenientia, & utilitate credendi: & vi huius voluntas deliberatè, ac piè affecta se movet ad inclinandum intellectum, ut eredat; & tandem intellectus credit. Ecce omnia in plano posita.

DU-

DUBIUM II.

An ad Juſtificationem, & Glorificationem ſit neceſſaria Fides neceſſitate Medii, & qualis Fides?

§. I.

Reſolutio Primæ Partis.

I. Fidem, eamque in Chriſtum, eſſe, ac fuiſſe ſemper unam, imò primam inter diſpoſitiones ad juſtificationem requiſitas, alibi oſtendimus, & præcipuè *Tom. 3. in 1. 2. in Tract. de Juſtificatione*. Modò quærimus: An ita ſit neceſſaria tùm ad juſtificationem, tùm ad glorificationem, ut ſit neceſſaria neceſſitate medii. Pro quo ſciendum, dupliciter dici aliquid neceſſarium: neceſſitate medii, & neceſſitate præcepti. Neceſſitas præcepti eſt, quando aliquid, etſi non ſit ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem, quia tamen eſt præceptum, eſt obſervatu neceſſarium: ita ut ejus defectus impediat ſalutem, ſi quando erat adhibendum, non adhibeatur, ut Communio in Paſchate. Neceſſitas medii dicitur, quando aliquid tale eſt, ut ſinè eo finis, puta, ſalus, ullo modo haberi non poſſit.

II. Dico primò. Fides divina ſupernaturalis eſt neceſſaria neceſſitate medii, tùm ad juſtificationem, tùm ad glorificationem. Prob. primò. Neceſſariam eſſe ad Juſtificationem, docet Paulus, Rom. 1. v. 17. *Juſtus autem ex fide vivit*. Rom. 3. v. 28. *Arbitramur enim, juſtificari hominem per fidem*. Cap. 10. v. 10. *Corde enim creditur ad juſtitiam*. Ad Epheſ. 2. v. 8. *Gratia enim eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt*. Hoc etiam docet Trident. *Seſs. 6. cap. 7.* ubi dicens, Sacramentum Baptiſmi eſſe Sacramentum fidei, ſubdit: *Sinè quâ nulli unquam contigit juſtificatio*. Et cap. 8. *Fides* (inquit) *eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis juſtificationis; ſinè quâ impoſſibile eſt placere Deo, & ad filiorum ejus conſortium pervenire*. Secundò. Neceſſariam eſſe fidem ad glorificationem, ſententiâ Domini definitum eſt, Marci ultimo v. 16. *Qui verò non crediderit, condemnabitur*. Quæ explicans Bernardus, *Epiſt. 77.* (nunc *Tract. de Baptiſmo cap. 2.*) notat, quòd Chriſtus *Cautè, & vigilanter non repeticrit: Qui verò baptizatus non fuerit: Sed tantùm*, qui verò (inquit) non crediderit, condemnabitur: *nimirum, innuens, ſolam interdum fidem ſufficere ad ſalutem, & ſinè ipsâ ſufficere nihil. Quapropter etſi martyrium vicem Baptiſmi poſſe implere conceditur, non planè hoc facit pœna; ſed ipſa fides. Nam abſque ipſa, quid eſt martyrium, niſi pœna?* Quod Chriſtus pronuntiavit. *Joan. 3. v. 18.* his verbis: *Qui credit in eum, non judicatur. Qui autem non credit, jam judicatus eſt, quia non credit in nomine Unigeniti Filii Dei*. Et quidem cùm juſtificatio ſit medium neceſſarium ad glorificationem, in quam nihil coinquinatum intrabit (*Apoc. 21. v. 27.*) ſi fides eſt neceſſaria neceſſitate medii ad juſtificationem, etiam erit neceſsaria eâdem neceſſitate ad glorificationem.

III. Quòd autem fides, quæ ſive ad juſtificationem, ſive ad glorificationem neceſsaria eſt, debeat eſse ſupernaturalis, non ſolum objectivè, quia ſcilicet rem ſupernaturalem attingat; ſed etiam intrinſecè, & entitativè in hoc ſenſu, quòd principia actus, quo credimus, ſupernaturalia ſint: ſtatuit olim Eccleſia contra Pelagianos, & Semipelagianos, & noviſſimè in Tridentino *Seſs. 6. Can. 3.* his verbis: *Si quis dixerit, ſinè præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio hominem credere .... poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur: anathema ſit*. Si ergo fides neceſſaria ad juſtificationem, & ſalutem debet provenire ex præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, debet eſse ſupernaturalis entitativè:

illa

illa enim, quæ ſupernaturalis eſt tantùm extrinſecè, & objectivè, ut in hæreticis, ex Spiritus Sancti inſpiratione non eſt.

IV. Ratio autem D. Tho. hîc 2. 2. *q.* 2. *a.* 3. eſt: Quia creatura rationalis, cuius finis in aliqua ſupernaturali perfectione, nempe, in viſione Dei conſiſtit, nequit ad illam pervenire, niſi priùs ut diſcipula edoceatur à Deo Doctore, juxta illud Joan. 6. v. 45. *Omnis, qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me:* omnis autem ſic addiſcens, oportet, ut priùs credat Deo Magiſtro ſuo eum docenti ea, quæ ſunt ſupra naturam, antequam ad perfectam ſcientiam perveniat; unde Philoſophus docuit lib. 1. Elench. cap. 2. *Oportet, addiſcentem credere;* ergo neceſse eſt, ut homo ad viſionem ſupernaturalem perveniat, quòd priùs credat Deo Doctori, & ideo fide ſupernaturali, quâ ſolâ Deo credimus.

§. II.

Solutio Objectionum.

V. PRimò obiiciunt aliqui ſentientes, fidem neceſsariam ad juſtificationem, & ſalutem, non eſſe entitativè ſupernaturalem. Apoſtolus *ad Roman.* 1. *v.* 20. & 21. dicit, Philoſophos gentiles eſse inexcuſabiles, quia, *Cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt.* Quibus duo habentur: unum, quòd Philoſophi gentiles habuerint cognitionem ſufficientem ad juſtificationem: alterum, quòd illa cognitio fuerit merè naturalis, utpote cognitio gentilis ſinè fide; ergo cognitio naturalis ſufficit, aliàs ſi non ſufficeret, non dicerentur inexcuſabiles.

VI. Confirm. primò. Idem Apoſtolus, *Hebr.* 11. *v.* 6. dicit, accedentem ad Deum per fidem *Oportet credere, quia eſt, & quia inquirentibus ſe remunerator ſit.* Hæc autem duo ratione naturali cognoſci poſsunt; nam Deum eſse, ratione naturali cognoſci poteſt; cognito autem, Deum eſſe, ſtatim cognoſcitur, eum eſſe juſtum, ac proinde remuneratorem.

VII. Confirmatur ſecundò. *Rom.* 2. *v.* 13. & 14. dicit, quòd *Factores legis iuſtificabuntur:* & quòd *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt:* & quòd *ipſi ſibi ſunt lex;* ergo cognitione naturali, & naturalibus viribus poteſt lex impleri, & homo juſtificari.

VIII. Reſpondeo, negando, Philoſophos gentiles habuiſse cognitionem ſufficientem ad juſtificationem: dicuntur tamen inexcuſabiles, quia malè utendo cognitione naturali, quam habebant de Deo, non glorificando illum, ſicut eum cognoſcebant; indigni facti ſunt, ut illuminarentur per fidem.

IX. Ad primam Confirm. dico, Apoſtolum non velle, ut accedens ad Deum per fidem, teneatur credere, Deum eſſe, præciſe ut auctorem naturæ, & remuneratorem, in præſenti vitâ bona temporalia largiendo; ſed ut auctorem ſupernaturalem, ac proviſorem præmii etiam in alia vitâ, ac æterni. Cum enim dicit: *Oportet credere,* loquitur de fide, quam ſuperiùs definierat, eſſe ſubſtantiam ſperandarum rerum argumentum non apparentium: & deinceps loquens de fide veterum Patrum dicit, quòd à longe expectabant repromiſſionem Civitatem, nempe, meliorem, ideſt Cœleſtem, propter quam multi multa in hâc mortali vitâ paſſi ſunt. Unde *cap.* 12. *v.* 2. concludit: *Aſpicientes in auctorem fidei, & conſummatorem Jeſum.* Loquitur ergo de fide, quâ credi debet, Deum eſſe auctorem gratiæ, & remuneratorem in Patria Cœleſti; & proinde de fide infusâ, ac ſupernaturali.

X. Ad ſecundam Confirm. Jam ſuperiùs agentes de neceſſitate gratiæ diximus, ſinè gratiâ, & conſequenter ſinè fide, non poſse totam legem impleri: & propterea obſervo, Apoſtolum non dicere abſolutè: *Gentes, quæ legem*

legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, quasi omnia, quæ legis sunt, faciant; sed: *Cùm Gentes, quæ legem non habent &c.* ideſt; quando Gentes, quæ legem ſcriptam non habent, aliqua, quæ legis ſunt, faciunt, naturâ duce, ut honorare parentes, dare eleemoſynam, reddere mutuum; hoc faciunt lege ſibi naturaliter inſitâ: ex quo ſequitur quidem, aliquod opus legis ſinè fide fieri poſſe, nec omnia Infidelium opera eſſe peccata, ut contra Janſenium oſtendimus, non tamen omnia; aut ſinè fide poſſe aliquem juſtificari. Quando autem Paulus dicit: *Factores legis juſtificabuntur*, intelligendus eſt de illis, qui totam legem faciunt, quod ſinè fide, & Dei gratiâ contingere nequit. Dici etiam poteſt cum S. Auguſt. *de Spiritu, & litt., cap. 27.* S. Proſpero *contra Collatorem cap. 22.* Et D. Tho. 1. 2. *quæſt. 109. art. 4. ad 2.* Paulum loqui de Gentibus jam ad fidem converſis, quæ per naturam gratiâ reformatam, & adjutam omnia, quæ legis ſunt, facere poſſunt: *Hoc enim agit ſpiritus gratiæ, ut imaginem Dei, in qua facti ſumus, inſtauret in nobis* (ait S. Auguſt. apud S. Tho. citatum.)

XI. Utramque hanc ſolutionem probat S. Thomas *in c. 2. ad Rom. Lect. 2.* his verbis: *Sed quod dicit*, naturaliter, *dubitationem habet. Videtur enim patrocinari Pelagianis, qui dicebant, quòd homo per ſua naturalia poterat omnia præcepta legis ſervare. Unde exponendum eſt*, naturaliter, *ideſt, per naturam gratiâ reformatam. Loquitur enim de Gentibus ad fidem converſis, quæ auxilio gratiæ Chriſti cæperant moralia legis ſervare. Vel poteſt dici*, naturaliter, *ideſt, per legem naturalem oſtendentem eis, quid ſit agendum, ſecundùm illud Pſalm. 4.* Multi dicunt: quis oſtendit nobis bona? Signatum eſt &c. *Quod eſt lumen rationis naturalis, in qua eſt imago Dei: & tamen non excluditur, quin neceſſaria ſit gratia ad movendum affectum. Sicut etiam per legem eſt* cognitio peccati, *ut dicitur infra, cap. 3. & tamen ulteriùs requiritur gratia ad movendum affectum.*

XII. Secundò objiciunt. In lege naturæ nullum fuit præceptum, niſi naturale: ex hoc enim vocatur lex naturæ; ergo tunc nullum erat præceptum credendi fide ſupernaturali: ac proinde credere non erat medium ad ſalutem neceſſarium.

XIII. Reſpondeo, neg. ant. Lex enim naturæ non ideo talis dicebatur, quia nullum haberet præceptum ſupernaturale: ſed dicebatur lex naturæ, ad differentiam legis ſcriptæ. Quia ſcilicet præcepta ſive naturalia, ſive ſupernaturalia, quæ tunc dabantur, erant in natura, ideſt, in cordibus hominum ſcripta: naturalia quidem per lumen naturalis rationis: ſupernaturalia verò per internam illuſtrationem, non verò in tabulis lapideis, ſicut poſtea.

XIV. Tertiò objiciunt. Homo enutritus in ſylvis, ſemotus ab hominum conſortio, vel in remotis regionibus apud barbaros, ubi nihil unquam audivit de fide, nec audire potuit viâ ordinariâ, ſalvari poteſt; ergo poſſibilis eſt ſalus ſine fide.

XV. Reſpondeo, neg. conſ. Ut enim alibi dictum eſt: ſi talis homo faceret, quod in ſe eſt (tamen per gratiam Dei moventis) ſequendo rationis ductum, & legem naturalem obſervando, abſque aliquo miraculo, ſolâ Providentiâ Dei ordinariâ, ad quam pertinet, dare neceſſaria ſaltem remota ad ſalutem, ſalvari poſſet. Daret enim illi Deus, vel internam inſpirationem, & illuſtrationem de fide; vel mitteret ad eum prædicatorem aliquem, qui ipſum in fide, & neceſſariis ad ſalutem inſtrueret, ſicut miſit Petrum ad Cornelium. Ita docet S. Thom. *q. 14. de Verit. a. 11. ad 1.* Quòd ſi talis homo legem naturæ non obſervaret, damnaretur; non quidem ob infidelitatem, quæ in eo eſſet inculpabilis; ſed ob peccatum originale, & alia peccata actualia contra legem naturæ ab eo commiſſa.

XVI.

XVI. Quartò objiciunt. Unicuique rei ex conditione suæ naturæ provisa sunt illa, quæ sufficiunt ad ultimum finem consequendum: sed homo ex conditione suæ naturæ non habet fidem rerum supernaturalium; ergo illa non est necessaria homini ad suum ultimum finem, nempe, salutem, consequendum.

Confirmatur. Perfectius est, quod potest per seipsum consequi finem, quàm quod non potest per seipsum: sed alia animalia possunt ex principiis naturalibus consequi fines suos; cùm ergo homo sit eis perfectior, videtur, quòd cognitio naturalis sit ei sufficiens ad consequendum suum finem, & sic non egeat fide à Deo infusâ.

XVII. Huic objectioni cum sua confirmatione respondimus *Tom. 2. in 1. p. Tract. de Visione Dei Qu. 1. Dub. 3. §. 3. num. 17. & 18.* ex S. Thom. *1. 2. q. 5. a. 5. ad 1. & 2.* Modò iterum respondeo ex eodem S. Doctore *q. 14. de Verit. a. 10. ad 1.* quòd loquendo de fine non excedente facultatem naturæ, vera est major: loquendo autem de fine excedente facultatem naturæ, sufficit, ut habeat capacitatem ad principia, per quæ ad illum finem pervenire possit. Unde S. Thom. *Dicendum* (inquit) *quòd homini in conditione sua naturæ perfectè providetur, inquantùm ad illum finem consequendum, qui est in potestate naturæ, dantur principia sufficientia, quæ sunt causa illius finis. Ad finem autem, qui facultatem naturæ excedit, dantur principia, non quæ sunt causa finis, sed quibus homo est capax eorum, per quæ pervenitur ad finem: ut enim dicit Augustinus, posse habere fidem, & caritatem, naturæ est hominum; habere autem est gratiæ Fidelium.*

XVIII. Ad Confirmat. Respondeo ex eodem ibi ad 5. *Quòd homo perfectior est aliis animalibus, nec tamen determinata sunt sibi ab ipsa naturâ, quæ sunt necessaria ad finem consequendum, sicut aliis animalibus, propter duas rationes. Primò. Quia homo ad altiorem finem ordinatur: & ideo etiamsi pluribus auxiliis indigeat ad ipsum consequendum, & sibi naturalia principia non sufficiant, nihilominus perfectior erit. Secundò. Quia hoc ipsum est in homine perfectionis, quia multiplices vias potest habere ad consequendum finem suum. Unde non poterat ei una via naturalis determinari, sicut aliis animalibus; sed loco omnium, quæ natura aliis animalibus providit, data est homini ratio, per quam, & necessaria hujus vitæ sibi parare potest, & disponere se ad recipienda auxilia divinitùs futuræ vitæ.*

§. III.

Resolutio Secundæ Partis.

XIX. Viso, ad justificationem, & glorificationem requiri fidem, & hanc supernaturalem, superest modo quærere: an hæc fides debeat esse actualis, an sufficiat habitualis: & quæsitum procedit, tàm de parvulis, quàm de adultis.

Circa parvulos turpiter erravit Lutherus, dum in parvulis, qui ante usum rationis baptizantur, requirit actualem fidem, seu fiduciam, quâ justificentur. Quod certè est reddere impossibilem justificationem parvulorum, cum talis actus in eis impossibilis sit. Hic autem error fundatur in alio, quem suprà *Tom. 3. in 1. 2.* refutavimus, nempe, quòd sola fides sit, quæ justificet.

S. Augustinus *l. 10. de Genes. ad litt. c. 14.* estò in parvulis qui baptizantur, non requirat, ut justificentur, actum proprium, & personalem ipsorum; videtur tamen requirere actum fidei eorum, qui eos offerunt. Attamen

XX. Dico secundò. Ut infans in Baptismo justificetur, non indiget fide actuali propriâ, vel eorum, qui eum afferunt, vel parentum; indiget tamen applicatione fidei Ecclesiæ. Quòd non indigeant fide actuali propriâ,

Iam patet ex dictis, cùm hæc sit in eis impossibilis. Quòd nec requiratur fides parentum, vel aliorum, qui eos Baptismo afferunt, prob. Nam etiamsi parentes, & Patrini, imò & qui baptizat, hæretici, imò & Infideles essent; dummodo baptizans intentionem habeat verè baptizandi, & verba dominica proferat, infans valide baptizatur, & à culpa originali mundatur: & tamen Infideles non habent fidem, nec actualem, nec habitualem supernaturalem; ergo nulla præcedente fide in parentibus &c. potest infans justificari: ita ut, si ante usum rationis eum mori contingat, salvetur.

XXI. Quòd verò indigeat applicatione fidei Ecclesiæ, probatur. Cùm enim Baptismus sit Sacramentum fidei, ut validè, & fructuosè conferatur, requirit indispensabiliter fidem Redemtoris, juxta illud Marci 16. v. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit &c.* ergo in eo, in quo non potest esse fides actualis propria, requirit fidem Ecclesiæ, quæ deficere non potest, etsi in aliis deficiat. Ant. probatur. Quia, ut Baptismus fructuosè conferatur, debent applicari merita Christi: merita autem Christi solùm applicari possunt credentibus in Christum; In parvulis autem nequeunt applicari per fidem actualem, vel habitualem propriam; ergo per fidem Ecclesiæ.

Quomodo autem fides Ecclesiæ eis applicetur, & per quem actum; dico, eis applicari illa voluntate, quâ Minister vult, verum Baptismum conferre parvulo: hoc enim ipso pia mater Ecclesia accipit illum tanquam suum, credit pro illo, ejusque fide merita Christi parvulo applicantur: & Sacramentum remissivum peccati originalis simul cum gratia justificante ei confertur.

XXII. Circa adultos verò, certum est, ut justificentur, & salventur, requiri fidem actualem necessitate præcepti. Dubium est: an requiratur etiam necessariò necessitate medii; ita ut, qui in infantia habitum fidei unà cum gratia recipit, & paulò post adventum usus rationis moritur absque ulla gratiæ interruptione, indigeat, ad salutis æternæ consecutionem aliquem actum fidei elicuisse: an verò fides habitualis accepta in Baptismo, absque ullo actu, sufficiat. In hoc, quidquid aliqui sentiant

XXIII. Dico tertiò. Ut adultus salutem æternam consequatur, necessarius est necessitate medii actus fidei supernaturalis ita, ut habitualis non sufficiat. Probo primò ex Christi verbis, Marc. 16. v. 15. *Qui verò non crediderit, condemnabitur*. Secundò. Quia, in sententia S. Thomæ, homo perveniens ad usum rationis debet indispensabiliter se convertere ad Deum tali conversione, ad quam sequatur justificatio: sed ad hanc conversionem necessariò requiritur fides actualis, quæ est initium, fundamentum, & radix justificationis; ergo &c. Tertiò. De lege ordinaria à Deo statutâ, cùm adultus nequeat ingredi gloriam per modum hæreditatis, sed per modum coronæ, requiritur indispensabiliter, ut in illam ingrediatur per meritum: sed meritum præmii supernaturalis non est finè influxu caritatis; influxus autem caritatis, non est finè influxu actualis fidei, quæ sit, vel actu, vel virtute; ergo &c.

Dixi secundum legem ordinariam, quâ Deus statuit, ut adultus nec justificetur, nec glorificetur finè motu liberi arbitrii, juxta illud Zachariæ 1. *Convertimini ad me, & convertar ad vos*. Et juxta illud Augustini Serm. 169. aliàs 15. de Verb. Apost. cap. 11. *Qui fecit te finè te, non te justificat finè te*. Cæterum de lege extraordinaria Dei aliter evenire posse, non negamus.

XXIV. Sed dices. Potest quis adultus, absque actuali Baptismo in re, cum solo voto ejusdem justificari, & salvari; ergo pariter finè actuali fide.

Respondeo, neg. cons. Si enim adultus non potest salvari finè voto Baptismi,

tismi, nequit salvari sinè actuali fide: nam sinè istâ nequit habere votum Baptismi. Deinde dico: qui non recipit Baptismum in re, habet tamen votum Baptismi, quo justificatur, & meretur. At si non habeat fidem actualem in re, non habebit ullum meritum. Quis autem audivit in Ecclesia Catholicâ, posse adultum salvari absque ullo merito? Magis ergo est necessaria fides, quàm Baptismus realiter susceptus; quia fides est omnino primum salutis initium, & totius meriti radix: Baptismus autem, in re susceptus, est consequens initium salutis, & fide posterior.

DUBIUM III.

Quæ Credibilia Necessitate Præcepti credenda sint Explicitè.

§. I.

Certa Præmittuntur.

I. Præmittendum censeo, quid sit, explicitè aliquid credere, quid verò illud credere solùm implicitè. Explicitè enim aliquid credere, est illud in particulari, & secundùm proprios terminos cognitum credere. Implicitè autem aliquid credere, est, illud credere solùm in universali, & ut contentum in alio, velut principio universali, explicitè cognito. Eo modo, quo cognoscens principia universalia, nec descendens ad cognoscendas conclusiones, quæ ex illis principiis possunt deduci; dicitur habere cognitionem solùm implicitam conclusionum: qui verò conclusiones ipsas secundùm proprios terminos cognoscit, dicitur habere cognitionem explicitam non solùm principiorum, sed etiam conclusionum. Sic qui ex animo credit totum id, quod Ecclesia credit; explicitè quidem totum hoc pronunciatum credit: implicitè verò credit, septem esse Sacramenta, & alia, quæ in illo generali credito continentur. Qui autem etiam crederet distinctè, & sigillatim secundùm proprios terminos singula particularia credibilia, quæ credit Ecclesia; explicitè crederet, non solùm illud credibile generale, sed omnia, & singula credibilia in particulari.

II. Præmittendum etiam est, seu potiùs recolendum ex dictis Dub. præcedenti, quid sit necessarium credere necessitate præcepti, quid verò etiam necessitate medii. Illud enim est credendum necessitate præcepti, de quo est præceptum, ut credatur: cæterùm præcisò præcepto, sinè tali fide, saltem explicitâ, posset homo justificari, & salvari. Id verò est credendum necessariò necessitate medii, sinè cujus fide absolutè nemo potest justificari, & salvari; ita ut nec ignorantia excuset.

III. Suppono, ut certum ex D. Tho. hâc *q. 2. a. 5.* quovis tempore fuisse necessarium homini, aliquid explicitè credere, & præsertim illa duo, quæ Paulus ad *Hebr. 11. v. 6.* proponit, nempe: *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Hæc enim, cum sint principia, & fundamentum omnium credibilium, non possunt credi implicitè, nimirum, in aliis explicitè cognitis, in quibus contineantur: quia ex quo prima credibilia sunt, non continentur in alio credibili, sed omnia credibilia continentur in ipsis. Unde S.T. loco citato concludit: *Quantùm ergo ad prima credibilia, quæ sunt articuli fidei, tenetur homo explicitè credere, sicut tenetur habere fidem. Quantùm autem ad alia credibilia, non tenetur homo explicitè credere, sed solùm implicitè, vel in præparatione animi, inquantùm paratus est credere, quidquid divina Scriptura continet. Sed tunc solùm hujusmodi tenetur explicitè credere, quando hoc ei constiterit, in doctrina fidei contineri.*

K 2 §. II.

§. I I.

Resolutiones Dubii.

IV. Dico primò. Modò in lege gratiæ necessarium est necessitate præcepti credere non solùm in communi id, quod credit Ecclesia, sed etiam alia fidei mysteria explicitè. Probatur primò. Quia, ut refert Eimericus, *Direct. Inquis. p.* 2 *q.* 10. oppositum hujus auctoritate Gregorii XI. damnatum fuit ab Archiepiscopo Tarraconensi. Secundò. Quia hoc docet D. Thom. tùm verbis supra relatis. Tùm Q. 14. *de Verit. a.* 11. ubi hæc habet: *Quòd oporteat aliquid explicitè credi ab omni fideli, ex hoc apparet, quòd acceptio fidei se habet in nobis respectu ultimæ perfectionis, sicut acceptio discipuli de his, quæ sibi primò à Magistro traduntur, per quæ in anteriora dirigitur: non autem posset dirigi, nisi actu aliqua consideraret. Unde oportet, quòd discipulus aliquid actualiter considerandum accipiat; & similiter oportet, quòd Fidelis quilibet aliquid explicitè credat.* Sicut ergo discipulus, ut ad ulteriora procedat, debet à Magistro accipere consideranda prima principia scientiæ; ut ex illis possit ad ulteriora, nempe, conclusiones particulares procedere: ita Fidelis debet à Deo accipere prima credibilia, eaque explicitè credere; ut ex inde ad alia particularia credibilia procedat. Et hæc maximè sunt duo illa credibilia, quæ Apostolus dicit, Hebr. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, &c.*

V. Dico secundò. Quilibet homo tenetur ulteriùs credere explicitè omnes articulos fidei, qui per se pertinent ad fidem catholicam: utpote articulos contentos in Symbolo Apostolorum pertinentes ad divinitatem, & humanitatem Christi, ad finem vitæ æternæ, & media ad illam perveniendi. Probo primò ex D. Thom. *in* 3. *dist.* 25. *q.* 2. *a.* 2. *quæstiunc.* 3. Fides explicita ad hoc necessaria est, ut Fidelis intentionem suam in finem ultimum dirigat: sed credere solum in communi, quod credit Ecclesia, præsertim modò in lege gratiæ, in qua sunt peracta, & instituta multa ad finem ultimum consequendum necessaria, non sufficit ad dirigendum intentionem in finem ultimum; ergo. Min. docetur ab eodem S. Doct. ibi quæst. 4. ad 2. *Ad dirigendum* enim *in finem, non solùm oportet cognoscere finem, sed etiam ea, sine quibus in finem iri non potest.* Quia verò à fine, ad quem sumus creati, fuimus per peccatum aversi, & ad illum reparati per Christum Filium Dei Patris; qui assumendo carnem nostram Passione suâ, ac Morte Deo nos reconciliavit, nobisque reditum ad amissam beatitudinem aperuit, ac media, quibus ad eam introduceremur, præscripsit: ideo cognoscere, & credere debemus non solùm in Deum creatorem, sed in Filium ejus Redemtorem, & consequenter non solùm in Deum unum, sed etiam Trinum. Et proinde per invocationem Trinitatis fidem primò profitemur, quia per missionem divinarum Personarum, Filii, & Spiritus Sancti reparatio nostra consummata est: nempe, per Filii Passionem, & Mortem, & gratiæ S. Spiritus effussionem in Sacramentis, aliisque mediis ad nostram justificationem, & glorificationem institutis.

VI. Quamvis autem quovis tempore necessarium fuerit credere mysterium Incarnationis Filii Dei, & consequenter mysterium Trinitatis; quia in mysterio Incarnationis Christi hoc continetur, quòd Filius Dei carnem assumserit, quòd per gratiam Spiritus Sancti Mundum renovaverit, & iterum quòd Spiritu Sancto conceptus fuerit: & ideo eodem modo credi debeat unum, ac alterum, ut docet D Thom. hâc *q.* 2. *a.* 8. attamen, ut tradit ibidem *a.* 7. diversimodè oportuit credi secundùm diversitatem temporum, & personarum.

VII. *Nam* (inquit S. Doct.) *ante-*

statum

statum peccati homo habuit explicitam fidem de Christi Incarnatione secundùm quòd ordinabatur ad consummationem gloriæ; non autem secundùm quòd ordinabatur ad liberationem à peccato: quia homo non fuit præscius peccati futuri. Videtur autem Incarnationis Christi præscius fuisse, per hoc, quod dixit: Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ, *ut habetur Genes. 2. Et hoc Apostolus ad Ephes. 5. dicit:* Sacramentum magnum esse in Christo, & Ecclesiâ. *Quod quidem Sacramentum, non est credibile, primum hominem ignorasse.*

VIII. *Post peccatum autem fuit explicitè creditum mysterium Incarnationis Christi, non solùm quantùm ad Incarnationem, sed etiam quantùm ad Passionem, & Resurrectionem, quibus humanum genus à peccato, & morte liberatur: aliter enim non præfigurassent Christi Passionem quibusdam Sacrificiis, & ante legem, & sub lege. Quorum quidem Sacrificiorum significatum explicitè Majores cognoscebant: minores autem sub velamine illorum Sacrificiorum credentes, ea divinitus esse disposita de Christo venturo, quodammodo habebant velatam cognitionem Et.... ea, quæ ad mysteria Christi pertinent, tantò distinctiùs cognoverunt, quantò Christo propinquiores fuerunt.*

IX. *Post tempus autem gratiæ revelatæ tàm Majores, quàm minores tenentur habere fidem explicitam de mysteriis Christi; præsertim quantùm ad ea, quæ communiter in Ecclesia solemnizantur, & publicè proponuntur,* sicut Christi Incarnatio, seu Conceptio, Nativitas ejus ex Virgine, Passio ejus, Mors, & Sepultura, Descensus ejus ad inferos, Resurrectio, Ascensio in Cœlum, Adventus ejus ad judicium, Sancti Spiritus descensus in Apostolos. *Alias autem subtiles considerationes circa Incarnationis articulos, tenentur aliqui magis, vel minùs explicitè credere, secundùm quòd convenit statui, & officio uniuscujusque.* Hoc etiam docet Q. 14. *de Verit. a.* 11. Quare minoribus sufficit credere generales articulos: Ut Deum esse unum, & Trinum: Filium Dei esse incarnatum, & mortuum, & resurrexisse. Quomodo autem Filius procedat à Patre, & Spiritus Sanctus à Patre, & Filio: quomodo facta sit Incarnatio, an in natura, an in supposito, & similia: non tenentur explicitè minores credere, sed in fide Majorum.

X. Omnium præfatorum articulorum fides explicita, saltem quoad substantiam, adeo cuique necessaria est; ut ex veteri Ecclesiæ præscripto, nemo admittendus sit ad Baptismum adultus, nisi priùs Symbolum memoriter tenuerit. Quare Concil. Bracarense II. *cap.* 1. *relatum*, *dist.* 4. *de Consecrat. cap.* 55. statuit: quòd *Ante viginti dies Baptismi ad purgationem exorcismi Catechumeni concurrant: in quibus viginti diebus omnino Symbolum, quod est Credo in Deum Patrem omnipotentem, spiritualiter doceantur*, idest, ut explicat Glossa, *sensum retineant*. Quod repetitur cap. *Baptizandos*, ex Concil. Laodicensi *cap.* 45. Et cap. *Non liceat* ibidem. Et S. Augustinus *Epist.* 67. modò 227. refert, quemdam à Deo graviter percussum paralysi; quia ante Baptismum Symbolum non tenuerat, aut fortasse tenere recusaverat, & se non potuisse, excusaverat: à qua liber non extitit, nisi postquam peccatum suum scripto confessus est, ac Symbolum didicit. Constat ergo, præcepto Ecclesiæ teneri omnes Symboli articulos explicitè credere.

XI. Dico tertiò. Omnes tenentur etiam explicitè credere Sacramenta à Christo instituta: Baptismum quidem, Pœnitentiam, & Eucharistiam absolutè: Alia autem, quando volunt ea suscipere. Probatur generaliter ex dictis cum S. Thoma. Quia, ut quis sit benè dispositus circa finem, debet esse instructus de mediis, quibus perveniitur ad finem: hæc autem sunt Sacramenta. Specialiter autem probatur: De Baptismo quidem, & Pœnitentia.

Quia

Quia sunt Sacramenta necessaria ad salutem, ut docet D. Tho. 3. *p. q. 65. a.* 4. Baptismus quidem, absolutè, & simpliciter: Pœnitentia verò, supposito peccato mortali post Baptismum. De Eucharistiæ verò Sacramento specialis ratio est. Nam cum in illo realiter, & substantialiter contineatur Christus, illud expressè credere tenemur; ut in illo Christum veneremur, & ad illum, qui sic nobiscum esse voluit, nostra dirigatur intentio, & de tanto beneficio debitas ei gratias agamus. Alia verò Sacramenta tunc explicitè credenda esse, quando ea suscipimus, patet: quia hoc requiritur, ut debitâ reverentiâ ea suscipiamus, dum cognoscimus effectus, quos nobis præstant, & finem, ad quem dantur.

XII. Dico quartò. Illa dogmata explicitè credi debent, quæ contra modò grassantes hæreses sæpiùs à Pastoribus inculcantur. Cujusmodi sunt, his seculis, veritas Corporis Christi in Eucharistia, necessitas Confessionis, Invocatio Sanctorum, Purgatorium, usus, ac utilitas Indulgentiarum, cultus Imaginum: quia hâc fide Catholici à modernis hæreticis secernuntur. Alia verò, quæ nec expressè impugnantur, nec per se pertinent ad finem, tanquam media, quamvis sint fide tenenda, quia à Deo revelata: non tamen tenetur quilibet ea explicitè credere, sed solùm implicitè, & in præparatione animi, inquantùm paratus est credere, quidquid divina Scriptura continet: sed tunc solùm ea explicitè credere tenetur, quando hoc ei constiterit, in doctrina fidei contineri, ut docet D. Tho. hâc *q.* 2. *art.* 5.

§. III.

Aliqua Obstantia Proponuntur.

XIII. Contra dicta objici potest primò. Homines rudes nesciunt, quid sit Deus Auctor supernaturalis; ergo non tenentur habere fidem explicitam existentiæ illius, sed sufficit implicita.

Respondeo, quod licèt homines rudes nesciant in actu signato, & doctrinaliter, Deum esse auctorem supernaturalem; sciunt tamen, & credere explicitè tenentur, dari Deum conferentem gratiam, & gloriam tanquam aliquid indebitum, & naturæ vires excedens: ad hoc enim nulli deest lumen sufficiens.

XIV. Objici potest secundò. Eo ipso, quòd quis cognoscat bonitatem Dei, potest Deum supernaturaliter diligere, etsi non credat, eum esse bonorum supernaturalium remuneratorem; ergo licèt ad justificationem necessarium semper fuerit credere, Deum esse, non tamen Remuneratorem esse.

Respondeo, neg. ant. Licèt enim ad amandum Deum super omnia sufficeret credere, eum esse infinitè bonum: tamen hoc solùm credere non sufficeret ad justificationem. Cùm enim homo rationaliter justificetur, debet explicitè cognoscere finem, propter quem justificetur; qui est, ut ab eo, qui modò justificat, & in filium adoptat, accipiat hæreditatem filiorum, quæ est gloria. Unde ex ipsa justificationis naturâ semper necessarium fuit credere, quòd is, qui hîc justificat per gratiam, sit futurus remunerator per gloriam.

XV. Objici potest tertiò. Non fuisse semper necessarium, Incarnationem explicitè credere. Primò. Quia Angeli eam ignorarunt. Unde *Psalm.* 23. *v.* 8. quærebant: *Quis est iste Rex Gloriæ?* Secundò. S. Jo. Baptista testimonio Christi major inter natos mulierum, *Matth.* 11. explicitè mysterium Incarnationis non cognovit; cùm à Christo quæsierit, Matth. 11. *Tu es, qui venturus est, an alium expectamus?* ergo &c.

XVI. Respondeo, neg. ant. Ad primum cum S. Thom. hâc *qu.* 2. *art.* 7. *ad* 1. & *Qu.* 14. *de Verit. a.* 11. *ad* 4. dico, quòd Angelos non omnino latuit mysterium Regni Dei, ut August. dicit, *lib.* 5. *de Genes. ad litt. cap.* 19.

cùm

cùm de ipso, per Angelos, etiam Prophetæ sint instructi: quasdam tamen rationes particulares perfectiùs cognoscebant, Christo revelante. Vel quia dum Apostolis jam prædicantibus mysterium salutis Gentium implebatur, videbant præsens, quod jam futurum antè præviderant. Videantur, quæ diximus *Tom. 5. in 1. p. Q. 5. de Objecto cognit. Ang. Dub. 4. §. 2. num. 9.*

Ad secundum, nego antec. cum D. Tho. hâc *q. 2. a. 7. ad 2.* Joannes enim Baptista de adventu Christi in carne non quæsivit; cùm ipse hoc expressè confessus fuerit, dicens, Joan. 1. v. 34. *Et ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est filius Dei.* Et insuper eum passurum dixerat v. 29. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Quòd si hoc multò ante prænoverant Prophetæ, inter quos Isaias *cap.* 53. eò magis noverat Joannes, qui, teste Christo, fuit plusquam Propheta. Quæsivit ergo, vel, ut dicit Greg. *Homil. 6. in Evangelia*, non de adventu in carne, sed adventu, vel descensu ad inferos: an in propria personâ esset ad Limbum descensurus: hoc enim cum nondum esset impletum, non tenebatur explicitè scire. Vel, ut dicit Ambrosius *in Lucam cap.* 7. non inquisivit ex dubitatione, vel ignorantiâ, sed ex quadam pia admiratione. Vel tandem quæsivit, non quia ipse ignoraret: sed ut dicit Chrysost. *Homil. 27. in Matth.* ut per Christum satisfieret suis discipulis. Unde & Christus ad discipulorum instructionem respondit, signa operum ostendens.

XVII. Objici potest tertiò. Omnes æqualiter ad credendum teneri, sive Majores, nempe, Magistros, sive minores, nempe, rudes.

Primò. Unusquisque tenetur ad vitandum omnes errores, qui sunt contra fidem: sed hoc facere non potest, nisi explicitè cognoscat omnes articulos, contra quos sunt errores; ergo &c.

Secundò. Sicut mandata dirigunt in operandis: ita articuli in credendis, sed quilibet tenetur scire omnia mandata Decalogi: non enim excusaretur, si per ignorantiam aliquid eorum omitteret; ergo &c.

XVIII. Confirmantur hæc. Sicut per præcepta legis vitantur peccata mortalia, ita per articulos vitantur errores hæresis: sed aliquis tenetur servare omnia præcepta legis, ut omnia peccata vitet; ergo tenetur credere omnes articulos fidei, ut omnes errores, & hæreses vitet. Sed hoc non potest facere, nisi qui habet fidem explicitam de omnibus articulis: qui enim scit aliquid implicitè, & in universali, potest errare in particulari; ergo tenetur quilibet habere fidem explicitam de omnibus articulis.

XIX. Respondeo, neg. ant. Ad primam probat. respondet D. Thom. Q. 14. *de Verit. a. 11. ad 2.* neg. min. *Ille* enim, *qui non credit explicitè omnes articulos, potest omnes errores vitare; quia ex habitu fidei retardatur, ne consentiat contrariis articulorum, quos solùm implicitè novit: ut scilicet, cum sibi proponuntur quasi insolita, suspecta habet, & assensum differat, quousque instruatur per eum, cujus est, dubia in fide determinare.* — Sed quid, si ille, cujus est instruere, doceat contrarium articulo fidei? Respondeo, quòd errabit quidem; & si illi assentiatur, assensus ille non erit actus fidei infusæ: non tamen erit hæreticus, nec culpabilis, si diligentiam, quam debet, adhibeat, ut dubium, si fortè manet, à se tollat: nam ideo ita credit, quia putat, licèt falsò, hanc esse fidem Ecclesiæ.

XX. Ad secundam probat. Respondet D. Thom. citato loco *ad* 3. con. præmissis, neg. conf. Nam *mandata Decalogi sunt de his, quæ naturalis ratio dictat; & ideo quilibet tenetur ea explicitè cognoscere: nec est similis ratio de articulis fidei, qui sunt supra rationem.*

XXI. Ad Confirmat. respondeo ex S. Thom. in 3. *dist.* 25. *q.* 2. *a.* 1. *quæstiunc.* 2. *ad* 3. dist. conf. Quando urget

urget præceptum eos credendi, con. conf. Semper, nego conf. *Ad præcepta negativa* (inquit S. Doct.) *tenemur semper, & ad semper; & per hoc vitantur peccata transgressionis. Sed ad præcepta affirmativa tenetur homo semper, sed non ad semper, sed loco, & tempore determinato. Præcepta autem affirmativa sunt de actibus virtutum; ergo ad actum virtutis semper exercendum homo non tenetur, nec quantùm ad omnes modos, quibus potest ille actus exerceri; sed sufficit, quòd homo tempore debito operetur. Et ideo etiam non oportet, quòd homo habeat explicitam cognitionem de omnibus articulis fidei, sed de aliquibus, qui sunt necessarii secundùm tempus illud: & per hoc sufficienter vitantur omnes errores, & dubitationes. Quia sicut habitus temperantiæ inclinat ad resistendum luxuriæ: ita habitus fidei inclinat ad resistendum omnibus, quæ sunt contra fidem. Unde in tempore, quando emergit necessitas explicitè cognoscendi, vel propter doctrinam contrariam, quæ imminet, vel propter motum dubium, qui insurgit: tunc homo fidelis ex inclinatione fidei non consentit his, quæ sunt contra fidem, sed differt assensum, quousque pleniùs instruatur.*

XXII. Objici potest quartò, eos, qui in Ecclesia sunt Majores, non teneri explicitè plura credere, quàm minores. Primò. Nam habitus fidei est idem specie in omnibus Fidelibus; ergo, si aliqui tenerentur explicitè credere omnia, quæ sunt fidei, ad hoc tenerentur omnes.

Secundò. Minores examinantur de omnibus articulis, etiam difficilibus, & damnantur ut hæretici, si malè respondeant: hoc autem non esset, nisi eos scire tenerentur; ergo omnes, etiam minores, tenentur explitè scire &c.

XXIII. Respondeo, neg. ant. Ad primam probat. nego conf. Ut enim docet S. Thom. Q. 14. *de Verit. a.* 11. *ad* 2. non est ex differentia habitus fidei, quòd aliqui teneantur explicitè credere, & quòd alii teneantur credere solùm implicitè, sed propter diversitatem officii. Nam qui ponitur, ut Doctor fidei, debet explicitè nosse ea, quæ debet, vel tenetur docere: & quò altior est in officio, eò perfectiùs debet nosse. Quamvis autem omnes articuli æqualiter spectent ad fidem; non tamen omnes omnibus æqualiter sunt necessarii ad dirigendum ipsum in finem ultimum.

Ad secundam probat. neg. min. cum S. Thom. loco citato *ad* 5. Nam *Quòd aliquis simplex, qui accusatur de hæresi, non examinatur de omnibus articulis, quia teneatur omnes explicitè credere: sed quia tenetur, non assentire pertinaciter contrario alicujus ex articulis.* Qui plura cupit, adeat S. Thom. locis citatis ex Q. 14. *de Verit. a.* 11. & 3. *Sent. dist.* 25. *q.* 2. *a.* 1.

DUBIUM IV.

An aliquorum Credibilium Fides Explicita Necessaria sit Necessitate Medii?

§. I.

Sententia Negans, ejusque Fundamenta.

I. Difficultas est de fide explicitâ Christi, & Trinitatis: an ita sit de necessitate salutis omnibus, ut nemo prorsus sinè illâ possit salutem consequi.

Tres sunt de hoc Doctorum opiniones. Prima negat, Fidem explicitam Christi, & Trinitatis, esse ita necessariam; ut quis sinè illâ non possit justificari, aut glorificari. Secunda affirmat, eam necessariam esse necessitate medii; ut sinè illâ nemo justificationem, & salutem consequi possit. Tertia media asserit, neminem posse quidem salutem consequi sinè fide explicitâ Christi, & Trinitatis; posse tamen in aliquo casu aliquem sinè illa justificari. Priorem tenent Scotus, Soto, Suarez, aliique ex Societate. Posterio-

steriorem communiùs amplectuntur Nostrates. Tertiam sequuntur Cano, Bannez, & alii.

II. Dico primò. Sententia negans, fidem explicitam Christi, & Trinitatis esse ita necessariam, ut sinè eâ nemo justificari, aut salvari queat, valdè probabilis est. Eam enim videtur docere S. Thomas, tùm hâc 2. 2. *q.* 10. *a.* 4. *ad* 3. Tùm 3. *p. q.* 69. *a.* 4. *ad* 2. ubi de Cornelio Centurione, ait: *Ante Baptismum Cornelius, & alii similes consequuntur gratiam, & virtutes per fidem Christi, & desiderium Baptismi implicitè, vel explicitè.* Ex quibus sic arguo. Quando Cornelius justificatus fuit, jam erat, saltem in illa Provinciâ, Evangelium sufficienter promulgatum: & tamen quia ipse illud audierat, per fidem implicitam Christi justificatus fuit; ergo saltem ad justificationem in eo, qui invincibiliter Christum ignorat, sufficiet fides implicita Christi.

III. Secundò. Homo instructus fide supernaturali Dei justificatoris, & remuneratoris, invincibiliter ignorans Christi adventum, & Incarnationem, potest nunc converti ad Deum per actum contritionis, illumque super omnia diligere; ergo etiam potest justificari: Tales enim actus, ut vidimus in Tractat. *de Justificatione*, sunt ultimæ dispositiones ad gratiam justificantem. Ant. prob. Homo sic instructus habet sufficientem cognitionem, quâ ejus voluntas ad ejusmodi actus eliciendos dirigatur.

IV. Confirmatur. Semel habitâ fide Christi, ut Christianus, qui lapsus est in peccatum, per actus præfatos disponatur ad justificationem, non requiritur necessariò, ut cogitet de Christo, & actualem, explicitamque fidem de illo habeat, sicut nec de mysterio Trinitatis; ergo etsi fide Christi, & Trinitatis non fuerit instructus, vel quia inter Infideles habitans, vel quia educatus apud parentes desides, poterit converti ad Deum absque fide explicitâ Christi, & Trinitatis. Si enim non possent elici tales actus absque fide explicitâ Christi, nemo posset justificari absque actuali cogitatione de Christo, & Trinitate.

V. Tertiò. Fides est ex auditu: sed qui invincibiliter ignorat fidem Christi, & Trinitatis, quia illi non est prædicatum Evangelium, non habet fidei auditum; ergo non tenetur ad fidem Christi explicitam.

Confirm. Qui nihil audivit de lege Evangelii, in nullo differt ab his, qui erant ante promulgationem legis Evangelicæ: at isti solâ fide implicitâ Christi &c. salvabantur; ergo & iste, qui nihil audivit.

VI. Quartò proponunt tres casus. Primus est: pueri nutriti in sylvis. Secundus est hominis rudis, cæci, surdi, & muti, qui non sit capax instructionis. Tertius Catechumeni morientis in ipso initio expositionis mysteriorum Incarnationis, & Trinitatis. Profectò attentâ suavitate divinæ providentiæ de illorum salute non est desperandum: & tamen supponimus, fidem Christi explicitam non habere; ergo &c. Eò vel maximè: quòd cùm lex gratiæ suavior sit lege Mosaicâ, si ad illam sat erat fides implicita &c. cur non ad istam?

§. II.

Sententia Affirmans præfertur.

VII. Dico secundò. Probabilior, & tutior videtur sententia afferens, fidem explicitam Christi, & Trinitatis esse in statu gratiæ necessariam necessitate medii ad salutem: ita ut sinè illâ nemo possit in præsenti providentiâ justificari, & salvari. Moveor ad hoc asserendum primò. Quia, qui justificari debent in lege gratiæ, debent necessariò explicitè credere unicum medium necessarium adultis ad suam salutem: sed unicum medium est Jesus Christus, dicente Petro Act. 4. v. 12. *Et non est*

est in alio aliquo salus: nec enim aliud nomen est sub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat, nos salvos fieri. Et Paulo, 1. Cor. 3. v. 11. *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus.*

Ex quibus arguo primò sic. Sicut fundamentum omnium credibilium universaliter est existentia Dei auctoris supernaturalis; ita fundamentum omnium credibilium in lege Evangelica est existentia Christi: sed nemo potest in universum justificari sinè fide explicitâ Dei auctoris supernaturalis; ergo nec in lege Evangelica sinè fide Christi — Quod sic confirmo. Eàdem necessitate nunc est necessaria fides Christi, ac fides Dei auctoris gratiæ; eodem enim modo de utraque loquitur Christus, Joan. 14. v. 1. *Creditis in Deum, & in me credite;* & Paulus 1. ad Timoth. 2. v. 5. *Unus enim Deus, unus & mediator Dei, & hominum homo Christus Jesus:* sed sinè fide explicitâ unius Dei nequit quis justificari, aut salvari; ergo sine fide explicitâ unius Mediatoris Christi nemo potest &c. — Secundò arguo. Sicut in lege veteri Christus in umbris, & figuris apparuit Patribus, & Prophetis; ita post Incarnationem corporaliter, & visibiliter sese ostendit, ut ait Paulus, *Hebr. 1. v. 1.* &c. sed in lege veteri necessarium erat, credere in illum, saltem implicitè, & hoc necessitate medii; ergo eàdem necessitate in lege nova necesse est, in eum credere explicitè, & distinctè.

VIII. Hæc ratio est D. Tho. in 3. *dist. 25. q. 2. a. 2. qu. 2.* ubi hæc scribit: *In secundo autem statu post peccatum, ante adventum Christi, quidam habebant fidem explicitam de Redemtore, quibus revelatio facta erat, qui Majores dicebantur. Quidam autem, ut minores, fidem implicitam habebant in fide Majorum: unde & eis Sacramentum Redemtionis sub signis Sacrificiorum proponebatur. In tertio autem statu, post adventum Christi, quia jam mysterium Redemtionis impletum est, & corporaliter, & visibiliter, & prædicatum, omnes tenentur ad explicitè credendum. Et si aliquis instructorem non haberet, Deus ei revelaret, nisi ex sua culpà remaneret.* Ex quibus arguo sic. Si fides explicita Christi non esset necessaria necessitate medii, sed solùm præcepti, ille, qui instructorem non haberet, ut pote invincibiliter ignorans Christum, posset sinè fide in illum salvari; ergo non oporteret, quòd Deus eum per se instrueret. Cùm ergo sentiat S. Thom. Deum talem instructorum missurum, signum est, quòd sinè tali fide salvari nequit. Quare S. August. *l. de Prædest. SS. c. 7.* loquens de Cornelio, ait: *Si posset sinè fide Christi esse salvus, non ad eum ædificandum mitteretur architectus Apostolus Petrus.*

IX. Confirmo hoc. Deus ita se gerit, ut invincibiliter ignorantem fidem Christi modo extraordinario doceat; ut patet non solum exemplo Cornelii, ad quem misit Petrum, *Act. 10.* sed exemplo Eunuchi Reginæ Candacis, ad quem misit Philippum, *Act. 8.* Macedonum, ad quos misit Paulum, *Act. 16.* & D. Dionysius *c. 5. de Cœlest. Hierarch.* dicit, multos Gentilium adeptos esse salutem per illustrationem, & illuminationem Angelorum, qui eis mysteria fidei revelarunt: cui accedit S. Thom. *in 3. dist. 25. q. 2. ad 2. quæstiunc. 2. ad 3.* Si autem esset necessarium, Christum explicitè credere solâ necessitate præcepti; quid hæc miracula facere, si jam sinè illâ salvari poterant?

X. Rursus: Si promulgato Evangelio fides explicita Christi non foret omnibus adultis ita necessaria; frustra SS. Apostoli tot, tantosque labores circumeundo totum Orbem suscepissent, ut Evangelium, nomenque Christi promulgarent. Sic quia in lege veteri pro justificatione sat erat fides implicita Mediatoris; Prophetæ, & Patriarchæ, quibus utrumque mysterium fuerat revelatum, non curarunt

runt explicitè proponere populo, eique exponere hæc mysteria.

Aliis etiam rationibus suadetur hæc opinio. Primò. Quia nullus salvari potest in lege gratiæ, sine Baptismo, aut in re, aut in voto suscepto: sed Baptismus est professio explicita Christi, & Trinitatis, & votum Baptismi includit fidem explicitam Christi; ergo &c. Quare S. Bernardus *Ep.* 77. modò *Tract. de Baptismo c.* 2. dicit, fidem Evangelii *solam interdum sufficere ad salutem, & sinè ipsâ sufficere nihil*.

Secundò. Nemo Catholicus audebit concedere, aliquem non Christianum posse salvari: sed Christianus nemo est sinè fide explicitâ Christi; nam in hoc differt Christianus à Judæo: secus Judæus dici posset Christianus, quia fidem implicitam Christi habet.

XI. Denique: Ratio, cui opinio contraria innititur, non placet. Intantùm enim vult, sinè fide explicitâ Christi homines, etiam in lege gratiæ posse justificari, & salvari, quia fides explicita Christi ex natura rei non requiritur ad justificationem, & salutem; cùm in lege veteri sinè illâ cum sola fide implicitâ justificarentur, & salvarentur: sed hæc ratio non convincit; ergo &c. Min. prob. Neque Baptismus, sive in re, sive in voto ex natura rei requiritur ad justificationem, & salutem; cùm in lege veteri sinè illo justificarentur, & salvarentur: & tamen sine Baptismo, sive in re, sive in voto nemo in lege gratiæ potest justificari, & salvari; ergo à pari, cùm eâdem lege, & statuto jusserit Christus, prædicari Evangelium, & fidem suam: *Prædicate* (inquit Marci 16. v. 15.) *Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit. Qui verò non crediderit* (ea scilicet, quæ sunt in Evangelio) *condemnabitur*. Quid autem est in Evangelio, nisi fides Christi explicata?

§. III.

Respondetur Fundamentis Sententiæ Negantis.

XII. UT major probabilitas sententiæ affirmantis necessitatem fidei explicitè clariùs appareat, fundamentis oppositis occurrendum est. Ad primum ergo ex D. Thoma dico, non concludere contra nos. Antequam enim Cornelius instrueretur à S. Petro, fides Christi non erat sufficienter illi manifestata; nec Evangelium promulgatum in illa Provinciâ, ut omnes obligaret ad fidem Christi explicitam: aliàs non oportuisset, ad eum instruendum mittere Petrum. Unde antequam Petrus accederet, poterat Cornelius solâ fide implicitâ justificari. Quia tamen apud aliquos fortè erat sufficienter promulgatum, propterea D. Thom. disjunctivè loquitur dicens, quòd poterant consequi gratiam per fidem Christi *implicitè*; quantùm ad eos, quibus non erat sufficienter annunciata: *vel explicitè*, nimirum, quantùm ad eos, quibus annunciata sufficienter fuerat.

XIII. Ad secundum, dist. ant. Diligere, prout oportet, nego ant. absoluiè, con. ant. Diligere enim Deum, ut modò oportet ad justificationem, non est merè complacere in bonitate divinâ; sed est illam respicere efficaciter, & ut consequibilem: non est autem consequibilis à viro Christiano, nisi per Christi redemtionem; ergo, ut prædictus amor sit perfectus, & disponens ad justificationem, debet dicere ordinem ad Christum, ut Redemtorem, tanquam ad medium unicum, per quod ultimus finis assequibilis est. Unde Tridentinum, *Sess.* 6. *c.* 4. docet, neminem post Evangelium promulgatum justificari posse absque Baptismo, aut ejus voto: votum autem Baptismi præsupponit fidem Christi. Quapropter *c.* 6. recensens dispositiones ad justificationem requisitas di-

cit, illud *in primis* credi oportere: *A Deo justificari impium per gratiam ejus, per Redemtionem, quæ est in Christo Jesu*.

XIV. Ex his ad Confirm. respondeo. Si enim quis nihil cogitet, nec actu, nec virtute de Christo, non justificabitur: quia ex statuto Dei nemo potest justificari, nisi per Redemtionem Christi; imò nisi credat, se justificandum per ipsum. — Licèt autem actus contritionis, & dilectionis Dei, ex natura rei, non petant includere fidem explicitam Christi, ut sint dispositiones ad gratiam: hoc tamen petunt ex statuto Dei pro præsenti statu, quo nullus justificandus est, neque salvandus, nisi per Christum, & fidem ejus. Sicut licèt, ut amor Dei sit dispositio ad justificationem, ex natura rei, non requirat ordinem ad Christum; quia si Adam non peccasset, homo non indiguisset Christo, nec ordine ad Baptismum: quia sinè ordine ad ipsum justificabantur in lege veteri. Ita sicut Adversarii volunt, ad justificationem in statu gratiæ requiri, ut medium, ordinem ad Baptismum, & fidem saltem implicitam Christi: cur, ut distinguatur status gratiæ à statu legis, non erit necessaria necessitate medii fides explicita Christi?

XV. Ad tertium, conc. præmissis, nego conf. Solùm enim infertur ex illis, quòd non tenebitur credere explicitè, quia ignorantia invincibilis excusat à peccato: non tamen evincunt, posse justificari sinè fide explicità Christi. Quia suppositâ promulgatione Evangelii, fides explicita Christi requiritur ad salutem necessitate medii; à qua non liberat ignorantia Evangelii etiam invincibilis, Deo sic instituente. Aliàs sequeretur, quòd qui nihil audivisset de Evangelio, posset justificari etiam sinè voto Baptismi, & sinè fide in Christum etiam implicitâ.

XVI. Ad Confirmat. dico, quòd is, qui modò invincibiliter ignorat Evangelium, convenit cum eis, qui ante Evangelium gentiles erant, in hoc, quòd sicut illi non tenebantur ad fidem Christi, de qua nihil audierant, ita nec iste.

Differt tamen ab illis statu: quia iste est in statu, in quo fides explicita Christi est instituta, ut medium necessarium, in quo statu non erant, qui præcesserunt adventum Christi. Et noto: idem dici posse de eo, qui invincibiliter ignorat Baptismum; & de eo, qui ante Christum invincibiliter caruisset notitiâ etiam implicitâ Christi.

XVII. Sed instas. Hæc institutio non habet vim, nisi mediâ promulgatione Evangelii; ergo non habet vim, nisi in his, quibus est Evangelium prædicatum: sed Evangelium non est prædicatum his, qui nihil audierunt de illo; ergo respectu illorum prædicta institutio non habet vim, & pro eis censebitur quasi non facta. Sicut tempore, quo Cornelius justificatus fuit per solam fidem implicitam Christi, hæc institutio jam erat: & tamen in Cornelio vim non habebat, quia Evangelii lex nondum perfectè illi promulgata erat.

XVIII. Respondeo, dist. ant. Nisi mediâ promulgatione Evangelii factâ toti Mundo, conc. antec. Factâ huic, vel illi particulari personæ, nego ant. Institutio ergo divina, quòd fides explicita Christi (sicut & Baptismus) requiratur, ut medium ad salutem, cæpit habere vim in omnes, quando Evangelium toto Orbe per Apostolos diffusum fuit. Et ratio est: quia factâ tali promulgatione homines transierunt à lege veteri ad legem novam. Per hoc autem, quòd talis promulgatio non fiat huic, vel illi particulari personæ, sicut non tollit, quin ista persona pertineat ad legem novam: sic non tollit, quin illi sit medium necessarium, ut sinè fide explicitâ Christi, sicut sinè Baptismo, salvari non possit. Cornelius verò potuit solâ fide implicitâ justificari: quia cùm nondum facta esset promulgatio Evangelii

gelii per totum Orbem, nondum perfecte factus erat transitus à lege veteri ad legem novam.

XIX. Ad quartum, quod continet tres Casus, sigillatim respondeo. Ad primum de puero nutrito in sylvis respondeo, ex dictis cum D. Tho. *q. 14. de Verit. a. 11. ad 1.* in *3. dist. 25. q. 2. a. 1. quæst. 1. ad 2.* & alibi, quòd puer ille nutritus in sylvis ad usum rationis perveniens, vel per gratiam, quæ tunc illi conceditur, convertitur in Deum; vel non. Si non, peccat; & si in tali statu moriatur, justè damnatur: estò in Inferno solum de aliis peccatis puniatur, non de infidelitate, quæ in eo fuit solùm negativa. Si se convertat, vel secundùm naturæ legem benè vivat; tunc ad suavem Dei providentiam pro præsenti statu gratiæ pertinebit, vel internè ipsum illuminare, vel mittere prædicatorem, aut etiam Angelum, qui eum instruat de Christo, & aliis fidei mysteriis, sicut aliis fuisse factum, supra ostendimus.

Ad secundum casum, nego, aliquem, ob ingenii hebetudinem, non posse percipere terminos Incarnationis, & Trinitatis quoad substantiam; estò non quoad omnes subtilitates, quæ circa illas à Majoribus creduntur. — De mutis etiam, & surdis dico, capaces esse disciplinæ per nutus, & signa, seu picturas; ideoque illis Sacramenta concedimus. Quòd si hi possunt instrui de fide explicitâ Dei auctoris gratiæ, & remuneratoris bonorum operum; cur non poterunt instrui de mysteriis Incarnationis, & Trinitatis: maximè Deo supplente suâ internâ inspiratione defectum exterioris disciplinæ? Quòd si fingatur homo prorsus incapax externæ disciplinæ, dicam: quòd sicut de hoc dicent Adversarii esse incapacem Sacramentorum, ob defectum fidei Dei auctoris gratiæ; ita dicam, esse incapacem ob defectum fidei explicitæ Christi Redemtoris: deberet tamen baptizari eo modo, quo parvuli baptizantur.

Ad tertium casum, in quo Adversarii vim faciunt, respondeo proponendo illis alios similes casus solvendos. Quæro ergo primò: Puer promulgato Evangelio ante usum rationis sinè Baptismo decedens, salvatur? Non. Sit ergo casus, in quo, dum minister assumit aquam ad baptizandum, vel incipit proferre verba, iste puer moriatur: quid dicendum? salvabitur? Nequaquam secundùm omnes. — Secundò: Attritio sinè Sacramento in re, sufficit ad justificationem? Non dices, si es Catholicus. Sit ergo casus, in quo attritus, dum disponitur ad Sacramentum suscipiendum, moriatur: quid dicendum? Ille certè salvus non erit. — Tertiò. Constituatur adultus adeo nescius, ut totaliter ignoret Deum auctorem gratiæ: iste poterit salvari? Non: quia secundùm omnes cognitio Dei auctoris gratiæ requiritur. At sit casus, in quo dum à ministro disponi cæpit ad suscipiendam illuminationem de existentia Dei auctoris gratiæ, ille nescius moriatur: quid dicent adversarii? Clariùs: secundùm omnes ad justificationem adulti requiritur motus liberi arbitrii. Sit ergo casus, quòd adultus peccator sit adeo rudis, ut penitus ignoret, quid ex parte sui requiratur, ad hoc, ut se præparet ad justificationem; & quòd dum iste incipit à ministro instrui, moriatur. Salvabitur? Puto non affirmabunt. Quod ergo auctores Catholici circa casus propositos sentire tenentur, sentimus & nos in casu ab ipsis allato. Si ergo in compendiosæ instructionis de Incarnatione, & Trinitate progressu, vel initio moriatur catechizandus, & talis instructio, vel ad ipsum pervenit, vel non. Si pervenit; justificabitur, & salvabitur. Si non pervenit; non erit salvus.

DIS-

DUBIUM V.

An Actus Fidei Theologicæ possit esse Moraliter Malus ex depravata Intentione Finis inhonesti?

§. I.

Resolutio Dubii.

I. UT explicetur status quæstionis suppono, objectum inhonestum, puta, inanis gloriæ dupliciter immisceri posse assensui, & confessioni fidei circa mysteria supernaturalia. Uno modo, ita ut inanis gloria vel merè concomitanter se habeat cum assensu, & confessione fidei: ut si dum elicit actum, vel confessionem fidei, talem actum concomitetur actus inanis gloriæ, non tamen fit causa actus fidei. Vel ita, ut actus, seu confessio fidei se habeat veluti antecedenter, & inanis gloria veluti consequenter: puta, si quis de assensu, & confessione fidei à se factâ, & consummata gaudeat, & quodammodo superbiat. Secundò: adeo ut inanis gloria se habeat antecedenter, idest, ut motivum, & causa eliciendi actum, vel confessionem fidei: ita ut ex affectu, & fine inanis gloriæ comparandæ moveatur ad eligendam, ut medium, fidei confessionem. In primo casu actus, & confessio fidei remanet in sua puritate, nec vitiatur malitiâ inanis gloriæ. In secundo verò casu ejusmodi actus vitiantur à depravata intentione finis inhonesti, nempe, inanis gloriæ. Quare præsens dubium restringitur ad secundum casum: An scilicet assensus fidei, tali pravo fine vitiatus, procedat à virtute theologicâ fidei. In quo discordes invenio etiam Nostrates.

II. Dico tamen: Probabilius videri, quòd assensus, & confessio fidei circa mysteria supernaturalia, si eliciantur ex motivo pravi finis, puta, inanis gloriæ, non erunt actus fidei theologicæ, neque fides virtus theologica influit in illos. Probo primò sic. Actus fidei procedens à fide theologicâ essentialiter requirit piam affectionem inclinantem intellectum ad credendum, ut vidimus: sed pia affectio essentialiter requirit finem honestum; tùm quia est à Spiritu Sancto movente voluntatem: tùm quia dicitur pia ex affectu boni, vel honesti finis; ergo &c.

Confirmatur. Si quis ex affectu naturali ad temporalia moveatur ad credendum, is non credet fide verè theologicâ; ergo multò minus si moveatur ex affectione vitiosâ, & depravatâ intentione.

III. Secundò prob. Ut ostendimus *Tom. 1. in 1. 2 Qu. 3. de Act. human. Moralit. Dub. 4.* Actus ex fine malus, totus est malus, nec à vera virtute prodire potest. Unde Arist. in libris Ethic. constituens differentiam inter veram, & fucatam virtutem dicit, quòd illa respicit honestum; ista vel propriam utilitatem, vel aliud citra honestum; hinc elargitio pecuniæ ex motivo proprii commodi, sive inanis gloriæ adscribitur fucatæ liberalitati, non veræ, quemadmodum si procedat ex motivo honestatis; ergo à fortiori virtus theologica fidei ita debet respicere honestum, ut actus credendi à motivo non honesto procedens, sit actus, non veræ, sed fucatæ fidei theologicæ.

IV. Tertiò probatur. Licèt fides informis non sit virtus perfecta, seu habens statum perfectæ virtutis: est tamen dispositio ex natura suâ tendens ad esse perfectum virtutis: sed nemo potest malè uti habitu virtutis, puta, prudentiæ, quæ essentiam virtutis habeat, estò non statum perfectum virtutis, quia est dispositio ad statum perfectum; ergo &c.

V. Confirmatur. Si fide informi potest quis malè uti, peccando venialiter; ergo & peccando mortaliter, ut si constituat ultimum finem in vanagloria: & sic credere Deum esse U-

num,

num, & Trinum ex dono Dei. & fide infusâ, esse poterit peccatum mortale, quod videtur absurdum. Maj. pat. Ex quo enim potest quis malè uti scientiâ, venialiter peccando, potest etiam eâ malè uti, peccando mortaliter.

Rursus: Si fide informi potest quis malè uti, peccando venialiter, poterit malè uti fide formatâ, peccando venialiter; quia habitus caritatis non repugnat esse cum peccato veniali: sed hoc est falsum, quia actus fidei formatæ actu formali, vel virtuali refertur in Deum; ergo &c.

§. II.

Fundamenta Contraria.

VI. PRimò arguunt. Idem actus moralis potest esse bonus, & malus: bonus ex objecto, malus ex circumstantiis, puta, ex fine; ergo idem actus potest esse actus virtutis fidei, & ex objecto bonus, & malus ex fine.

VII. Respondeo, neg. ant. Oppositum enim docuimus citato *Tom.* 1. *in* 1. 2. *quæst.* 4. *de Act. human. moralit. Dub.* 4. §. 2. quò Studiosum remitto. Interim dico, quòd actus vitiatus ex fine, totaliter vitiatus evadit; & ipsum objectum amissâ propriâ bonitate, hîc, & nunc malitiâ finis inhonesti inficitur. Ut enim ex lib. 2. de Lib. arb. cap. 19. repetit, & probat Augustinus lib. 1. Retract. cap. 9. *Virtutibus nemo malè utitur: cæteris autem bonis, idest mediis, & minimis, non solùm benè, sed etiam malè quisque uti potest. Et ideo virtute nemo malè utitur, quia opus virtutis est bonus usus istorum, quibus etiam non benè uti possumus: nemo autem benè utendo malè utitur.* Et sane: si enim habitus vitiosus ita est determinatus ad malum, ut illo non possimus uti ad bonum: ita habitus virtuosus ita erit determinatus ad bonum, ut illo non possimus uti ad malum.

VIII. Sed instant. Hoc est quidem verum de virtutibus moralibus, quæ respiciunt appetitum rectum: non autem de fide, quæ est habitus intellectualis datus ad benè cognoscendum, non ad benè operandum.

IX. Huic instantiæ respondimus *Tom.* 1. *in* 1. 2. citatis locis, *Dub.* 4. §. 3. *num.* 27. quæ recoli possunt. Modò dico ad min. Fidem esse virtutem intellectualem, non merè speculativam, sed & practicam, à Deo infusam; non ut merè cognoscamus, sed ut tali cognitione, quâ credimus, ad bona repromissa per spem, & caritatem tendamus: unde ad credendum non ab evidentia objecti, sed à pia affectione per Spiritum Sanctum infusâ movemur, & consequenter ad credendum ex fine, & appetitu recto. Quare D. Tho. *Qu. unicâ de Virtutibus a.* 7. *ad* 5. ait: *Per actum scientiæ, aut alicujus talis habitus potest homo mereri secundùm quod imperatur à voluntate, sinè quâ nullum est meritum. Tamen scientia non ad hoc perficit intellectum.... Non enim ex eo, quòd homo habet scientiam, efficitur bene volens considerare, sed solummodo bene potens. Et ideo mala voluntas non opponitur scientiæ, vel arti, sicut prudentiæ, vel fidei, aut temperantiæ.* En quomodo S. Thomas eodem modo quoad voluntatem rectam loquitur de fide, ac de prudentia, ac temperantiâ.

X. Secundò arguunt. Qui ex motivo inhonesto inanis gloriæ præbet assensum, vel confitetur aliquod mysterium, verè assentitur, & confitetur propter auctoritatem divinam: quia si non esset divina auctoritas, nec assentiretur, nec confiteretur; ergo assentitur, & confitetur fide divinâ.

XI. Respondeo, dist. ant. Propter auctoritatem divinam tanquam quid præsuppositum, conc. antec. Tanquam rationem formalem credendi, & confitendi, nego ant Quando enim intentio finis se habet antecedenter, & est causa voluntatis mediorum, non est

est diversum objectum voluntatis à fine intento; sed finis, seu ordo ad finem accipitur, ut ratio formalis objecti: cùm ergo quis, ob finem vanæ gloriæ, eligit tamquam medium confessionem fidei, ratio formalis confitendi finem est ipsa vanagloria; auctoritas autem divina se habet solùm ut quid præsuppositum ad talem actum. Ex quo fit, ut talis confessio, non ex pia affectione erga Deum, sed ex inordinato affectu erga propriam gloriam procedat; & consequenter non à fide theologica, sed naturali: quamvis ipse existimaret, & diceret, se credere ob auctoritatem divinam. Sicut dicemus de hæretico, qui licèt dicat, se assentiri articulo, quem credit, ob auctoritatem divinam, revera tamen non assentitur.

XII. Tertiò arguunt. Sacerdos ex depravata intentione finis inhonesti consecrans, verè consecrat. — Item suscipiens Baptismum ex depravata intentione finis turpis, verè suscipit Baptismum; ergo Fidelis assentiens mysteriis fidei, vel eorum confessionem palam emittens ex depravata intentione finis, elicit actum veræ fidei theologicæ.

XIII. Respondeo *ad* 1. quòd character Sacerdotalis, quo Sacerdos consecrat, secundùm doctrinam S. Thomæ est in specie potentiæ. Potentiâ autem, utpote indifferente ad bonum, & malum, potest quis benè, vel malè uti. Unde Sacerdos ex prava intentione consecrans, sacrilegè quidem consecrat, sed verè, ac validè. At fides est virtus, vel tendens ad perfectionem virtutis; virtus autem, utpotè pertinens ad speciem habitus, est determinata ad bonum, sicut vitium ad malum. Unde, sicut non potest quis uti vitio, faciendo, ut influat in actum bonum: ita nec potest uti virtute, faciendo, ut influat in actum malum.

Ad secundum jam respondi citato *Tom.* 1. *in* 1. 2. *Qu.* 3. *de Act. hum. moral. Dub.* 4. §. 3. *nu.* 29. quòd depravata intentio in suscipiente Baptismum, puta, vanagloria, vel solùm concomitanter se habet; & sic non impedit, nec validitatem, nec fructum Baptismi. Vel se habet antecedenter, ita ut ex intentione inanis gloriæ moveatùr ad suscipiendum Baptismum; & sic cum excludat debitas dispositiones, impedit fructum Baptismi, validè tamen esset baptizatus: quia ad Baptismum validè recipiendum sufficit voluntas illum suscipiendi, & debita materia, & forma cum intentione Ministri.

XIV. Quartò arguunt. Prophetia est gratia gratis data ordinis supernaturalis, & innixa divinæ revelationi: sed prophetare potest quis ex mala intentione, ut patet in Balaam, Cayphâ &c. ergo etiam credere.

XV. Respondeo ex D. Tho. *lect.* 7. super *cap.* 11. *Joann.* quòd in prophetico dicto Balaam, & Cayphæ duo sunt consideranda, nempe, mens, & imaginatio intenta ad malum; & exterior denunciatio, sive locutio per linguam. Quantùm ad primum, nec Balaam, nec Cayphas donum prophetiæ habuerunt; quia mens, & imaginatio eorum non movebatur à Spiritu Sancto per claram illuminationem, quâ solet movere Prophetas, ut videant, quod annuntiant: & ideo eorum mens, & imaginatio ad malum intenta mansit. Quantùm autem ad secundum, habuerunt actum propheticum; quia Spiritus Sanctus movit eorum linguam, ut proferrent modum, quo benedictio, & salus populi impleretur. Unde concludit: quòd non dicuntur Prophetæ, nisi inquantùm habuerunt propheticum actum in denuntiatione, imaginatione, & ratione eorum in contrarium existente. Ex quo patet, quòd non magis possunt dici Prophetæ, quàm Asina Balaam. Ex hàc doctrinâ, dist. min. Spiritu Sancto movente os, & linguam ad externam denuntiationem contrariam menti, & pravæ intentioni, conc. min. Movente mente ad malum intentam, nego min.

Aliter

Aliter respondet Mag. Bannez, quòd prophetia, & aliæ gratiæ gratis datæ dantur in utilitatem aliorum, ut docet D. Tho. 1. 2. *q.* 111. *a.* 1. *&* 4. unde bona, vel mala intentio ejus, qui cooperatur, dummodo faciat exterius id, quod ad salutem aliorum ordinatur, nihil nocet. At fides datur unicuique ob suam ipsius salutem: & ideo nemo potest illâ malè uti, sicut nec habitibus virtutum etiam imperfectis. Estò autem fides informis ex parte subjecti possit compati cum affectu habituali ad peccatum: ex suâ tamen specie, & naturâ nequit moveri ex actuali affectu ad malum.

XVI. Quintò arguunt. Potest Deus facere præceptum alicui, ne credat, seu ne eliciat actum fidei; & homo ille frangere hoc præceptum, & elicere actum fidei theologicæ: sed in tali casu actus ille esset peccaminosus, & tamen à fide theologicâ procedens; ergo &c.

XVII. Respondeo, hoc argumentum nihil concludere. Nam simile posset etiam formari de actu Spei, & caritatis: qui tamen in communi sententia depurati esse debent ab omni malitia, ex quocumque capite provenientе. — Nego igitur, possibile esse præceptum divinum prohibens bonum supernaturale, præcipuè internum. Actus enim supernaturales fidei, spei, & caritatis nunquam possunt impedire opera sublimiora, propter quæ ejusmodi actus prohiberi debeant; sed potius ad illa maximè conducunt. Ideoque nequit cogitari præceptum rationabile, quale debet esse præceptum divinum, quo instante, ejusmodi actus cessare debeant; ut si eliciantur evadant mali, & peccaminosi.

QUÆSTIO III.

De Subjecto Fidei.

De subjecto habente fidem procedit quæstio præsens, in qua examinabimus: an fides fuerit in homine in sui primâ conditione, in Angelis pro statu viæ: an modò sit in Dæmonibus, in Damnatis, in animabus Purgatorii, & tandem in hæreticis.

DUBIUM I.

An Homo in sui Conditione, & Angeli pro Statu Viæ habuerint Fidem Theologicam?

§. I.

Quædam Referuntur.

I. Suppono ex dictis *Tom.* 5. *in* 1. *p. Tract. de Angel. q.* 7. *Dub.* 3. §. 1. *&* 2. Angelos, qui modò sunt beati, non fuisse à sui conditione beatos; sed de facto meruisse beatitudinem, & pro aliquo tempore fuisse viatores, antequam beatitudine supernaturali donarentur. Quanto autem tempore via bonorum Angelorum duraverit, ibibem ostendimus.

II. Probabile judicavit Durandus, in Angelis non fuisse fidem: motus ex eo, quòd habuerint evidentiam divinæ revelationis, cum qua, inquit ipse, nequit stare fides de re revelatâ. Evidentiam autem divinæ revelationis eos habuisse, ostendit: quia Angeli tunc evidenter cognoscebant, se de mysteriis supernaturalibus edoceri: & insuper evidenter cognoscebant, se non ab alio edoceri posse, quàm à Deo. Evidenter enim sciebant, (maximè supremus Angelus) nullam esse creaturam superiorem, à qua edoceri possent: cum evidentia autem divinæ attestationis nequit (inquit ipse) stare fides.

III. Ludovicus autem Vives in Comment. *lib. 9. de Civitate Dei c. 22.* id certum putat ex S. August. ibi, ubi dicit, quòd Angeli *certiùs etiam temporalia, & mutabilia ista noverunt, quia eorum principales causas in Verbo Dei conspiciunt, per quod factus est Mundus*. Hoc autem Angelos vidisse ab initio suæ conditionis, videtur affirmare idem S. August. ibi *l. 11. c. 9.* ubi ait, Angelos nunquam esse peregrinatos. Et *l. 2. de Genes. ad litt. c. 8.* dicit, quòd Angeli, ex quo facti sunt, vident res in Verbo. Quam opinionem quosdam etiam suo tempore fuisse amplexatos, testatur S. Tho. hâc 2. 2. *q. 5. a. 1.* his verbis: *Quidam dicunt, quòd in Angelis ante confirmationem, & lapsum, & in homine ante peccatum non fuit fides, propter manifestam contemplationem, quæ tunc erat de rebus divinis*. Cum communi tamen sententia, sit

§. II.

Resolutio Dubii.

IV. Dico. Certum est omnino, quòd Angeli boni ante confirmationem, & mali ante lapsum & primi Parentes ante peccatum habuerunt fidem theologicam: & hanc in sui conditione acceperunt. Priorem partem docet S. Thom. citatus, & probat primò ex celebri Pauli dicto, Hebr. 11. v. 6. *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit:* sed Angelus, & homo in sui prima conditione erant in statu accedendi ad Deum; ergo fide indigebant.

V. Secundò probat. *Illa sola manifestatio excludit fidem de re revelatâ, per quam redditur apparens, vel visum id, de quo principaliter est fides: principale autem objectum fidei est veritas prima, cujus visio nos beatos facit, & fidei succedit*. Sed Angelus, dum erat viator, & homo ante peccatum non habuit illam beatitudinem, quâ Deus per essentiam videtur; ergo non habuit sic manifestam cognitionem, quòd excluderetur ratio fidei. Majorem probat. Quia ex Apostolo, Hebr. 11. v. 1. fides *est sperandarum substantia rerum argumentum non apparentium*. Et ex August. Tract. 40. in Joann. & l. 2. QQ. Evangel. c. 39. *Per fidem creduntur ea, quæ non videntur*.

VI. Tertiò probat. Quòd in aliquo non sit fides, evenire potest, vel quia ignotum ei est illud, de quo est fides, utpote supernaturale, & excedens vires naturæ; vel quia ejus via jam consummata est: fides enim est inchoatio vitæ æternæ in intellectu, sicut spes, & caritas sunt inchoatio ejusdem in voluntate: unde in eo, in quo vita consummata est, non potest esse ampliùs fides, ut in Beatis: sed in Angelo, aut primo homine nulla ex his rationibus militabat; ergo &c. Min. prob. Ut suo loco docuimus, Angeli, & homo fuerunt creati in gratia; ergo in illis erat vis, & lumen ad cognoscenda mysteria supernaturalia. Ex alia autem parte Angeli, aut homo non fuerunt creati in beatitudine, quæ est gratia consummata, ut pariter ostendimus; ergo in illis erat locus fidei.

VII. Notat tamen S. Doctor: quòd cùm in objecto fidei unum sit quasi formale, *scilicet, veritas prima super omnem naturalem cognitionem creaturæ existens; & aliquid quasi materiale, sicut id, cui assentimus inhærendo primæ veritati. Quantùm ergo ad primum horum, communiter fides est in omnibus habentibus cognitionem de Deo, futurâ beatitudine nondum adeptâ, inhærendo primæ veritati. Sed quantùm ad ea, quæ materialiter credenda proponuntur, quædam sunt credita ab uno, quæ sunt manifestè scita ab alio, etiam in statu præsenti ..... & secundùm hoc etiam potest dici, quòd Angelus ante confirmationem, & homo ante peccatum, quædam de divinis mysteriis manifestâ cognitione cognoverunt, quæ nunc non possumus cognoscere, nisi credendo*. Quia, ut

ut ait ibi ad 1. *Eorum contemplatio erat altior, quàm nostra; per quam magis de propinquo accedentes ad Deum, plura manifestè cognoscere poterant de divinis effectibus, & mysteriis, quàm nos possumus: unde non inerat eis fides, quasi quæreretur Deus absens, sicut à nobis quæritur. Erat enim eis magis præsens per lumen sapientiæ, quàm sit nobis: licèt nec eis esset ita præsens, sicut est Beatis per lumen gloriæ.* Quæ tamen intelligenda sunt de illis, quæ per accidens ad fidem pertinent, cum per se scientificè cognosci possint: non de iis, quæ per se ad fidem pertinent, nec possunt ratione demonstrari.

VIII. Secunda etiam pars, quòd Angelus, & homo fidem habuerint in sui conditione eis infusam, constat. Quia, ut ostendimus *Tom. 5. in 1. p. Tract. de Angelis Q. 7. Dub. 2. §. 2. & Tom. 6. de Homine Q. 3. Dub. 3.* tàm Angelus, quàm homo creati fuerunt in gratia sanctificante: sed gratiam sanctificantem, nondum consummatam, comitatur fides; ergo &c.

IX. Ex his respondeo ad rationem Durandi, juxta duplicem sententiam, quæ etiam inter Thomistas versatur. Vel enim evidentia attestationis stare potest cum obscuritate rei revelatæ, & consequenter cum fide, ut plures volunt: & in hac sententiâ quamvis Angelus supremus evidentiam haberet, quòd Deus erat, qui ei revelabat mysterium, puta, Trinitatis; adhuc tamen illud manifestè non videbat, & sic poterat habere fidem de illo. Vel, ut alii volunt, evidentia attestationis cum obscuritate, & fide rei revelatæ stare nequit: & sic dico, quod Angelus etsi esset certus, quòd revelatio illius mysterii sibi fieret à Deo, hoc tamen non erat illi evidens: non enim evidenter sciebat, se à nulla creatura edoceri, seu nullam creaturam esse supra ipsum, saltem in ordine ad supernaturalia, sive ob aliam causam.

X. Ad fundamenta Ludovici Vives dico, S. Augustinum primo loco allatum non loqui de cognitione, quam Angeli habuerunt antequam in gratia essent confirmati: sed de ea, quam modò habent Angeli beati, condistinctâ ab ea, quam habent Dæmones. Unde concludit: *Itaque non solùm æterni, verùm etiam beati sunt. Bonum autem, quo beati sunt, Deus illis est, à quo creati sunt. Illius quippe indeclinabiliter participatione, & contemplatione perfruuntur.*

Ad aliud ex eodem August. dico, eum velle, Angelos nunquam fuisse peregrinatos, non quia nunquam habuerint fidem: sed, vel quia nunquam fuerunt extra statum gratiæ, sed ab initio æternæ lucis participes facti sunt; ut ibidem asserit in fine capitis: vel quia, estò fidem habuerint, non ita tamen, ut eâ quæreretur Deus absens, sicut à nobis quæritur; ut ex D. Tho. nuper dictum est.

Ad tertium ex eodem S. Doctore respondeo, Angelum habere duplicem cognitionem rerum in Verbo: unam naturalem, quâ cognoscit res in Verbo, idest, per rationes rerum à Verbo in eorum natura participatas: Verbum enim rationes rerum, quas in se habet, priùs effudit in cognitionem Angelorum, quàm in se ipsis eas produceret; & hanc cognitionem in Verbo, nimirum, in sua natura participato, habuit Angelus ab initio: & de hac loquitur August. Alteram gloriæ, quâ cognoscit res in Verbo intuitivè, & in se ipso: & hanc non habuit ab initio, aliàs ab initio fuisset beatus.

M 2 DU-

DUBIUM II.

An in Dæmonibus, & Damnatis, Animabus in Purgatorio existentibus, & tandem in Beatis sit Fides Theologica?

§. I.

De Dæmonibus, & Damnatis.

I. DUrandus tenet, quòd si Dæmones, dum fuerunt viatores, habuerunt fidem, eam adhuc conservant quoad habitum, estò non quoad actum; quia non credunt propter auctoritatem Dei, sed propter signa, quæ vident: quod etiam sentit de Damnatis. Communis tamen sententia est negativa: nec desunt, qui oppositam censeant periculosam, & errori proximam.

II. Dico. In Dæmonibus, aut Damnatis, etiam qui fidem habuerunt in hac vitâ, non manet fides infusa theologica, neque quoad habitum. Ita S.Th. hâc 2. 2. *q.* 5. *a.* 2. in 3. *dist.* 23. *q.* 3. *a.* 3. *quæstiunc.* 1. *ad* 2. ubi ait: *Fides, quæ est in eis* (Dæmonibus) *non est habitus infusus, sed ex naturali cognitione procedit*. Et Q. 14. de Verit. *a.* 9. ad 4. *Credere* (inquit) *æquivocè dicitur de hominibus fidelibus, & de Dæmonibus: nec est in eis fides ex aliquo lumine gratiæ infuso, sicut est in fidelibus*. Rationem autem citatis locis dat: quia credere, ut est ab habitu fidei infusæ, est credere voluntariè, non coactè; nimirum, ex evidentia signorum convincentium intellectum, quòd ea, in quorum contestationem fiunt, sint dicta à Deo: sed Dæmones non voluntariè credunt, sed ad credendum inducuntur convicti, & territi evidentiâ signorum, quæ in confirmationem fidei viderunt, & in dies fieri vident: unde *Jacobi* 2. *v.* 19. dicitur: *Et Dæmones credunt, & contremiscunt*; ergo &c.

III. Confirmatur. Ex D. Thom. hâc *q.* 5. *a.* 2. *ad* 2. habitus fidei infusæ debet procedere ex pia motione voluntatis, inclinantis intellectum ad assentiendum revelatis ex affectu ad bona credentibus repromissa: est enim teste Apostolo, Hebr. 11. v. 1. *Sperandarum substantia rerum argumentum non apparentium*: atqui in Dæmonibus, aut Damnatis, utpote firmatis, & obstinatis in malo, & jam incapacibus consequendi, imò & sperandi bona repromissa, locum non habet præfata pia motio, & affectio; ergo &c. *Unde* concludit S. Thom. *Fides, quæ est in Dæmonibus, non est donum gratiæ: sed magis coguntur ad credendum ex perspicacitate naturalis intellectus*. Scilicet, ut ait in 3. dist. 23. q. 3. a. 3. quæstiunc. 1. *Inquantùm ex ipsa naturali cognitione simul, & ex miraculis, quæ vident, supra naturam esse, multò subtiliùs, quàm nos, coguntur ad credendum ea, quæ naturalem ipsorum cognitionem excedunt*.

IV. Dices pro Durando, ex hoc solum inferri, in Dæmonibus & damnatis non dari actum fidei infusæ, cujus pro illo statu sunt incapaces; non autem non remanere in eis habitum fidei: quemadmodum in Sacerdote damnato remanet character sacerdotalis, estò illi sit impossibilis actus consecrationis.

V. Sed contra. Status æternæ damnationis, non solum pugnat cum actu fidei, sed etiam cum habitu ejusdem, quamvis informis. Nam habitus fidei informis, estò non habeat statum, habet tamen essentiam virtutis theologicæ; ergo petit esse in subjecto capaci actus laudabilis: hoc autem nequit esse, nisi subjectum sit proximè potens moveri ad credendum, ex pia affectione ad bona divina credentibus repromissa, & ad Deum ea testificantem, & promittentem: at, qui sunt in statu damnationis, incapaces sunt, ut moveantur ex pia affectione ad bona repromissa, quia immobilitati in malo, & sciunt se talium bonorum incapaces: quare potiùs moventur ex odio,

odio, & averfione circa Deum, ac res revelatas, ac proinde convicti ea credere, maximè triftantur, ac torquentur; ergo &c.

Quare apparet difcrimen inter habitum fidei, & characterem facerdotalem. Is enim non eft virtus, nec quoad ftatum, nec quoad effentiam; unde non inclinat per fe in actum bonum, & laudabilem: ideoque non repugnat manere in Damnato: maximè quia character eft per modum potentiæ, & confequenter indelebilis, et non fic habitus fidei.

VI. Secundò probatur affertio. Qui fic effet difpofitus, ut nollet credere, nifi evidentiâ fignorum convictus; eique difpliceret, quòd adeò evidentia fint, ut ipfum credere compellant, is non crederet fide infufa; imò à fe reiiceret rationem formalem credendi, quæ eft divinum teftimonium: fed Dæmones, & Damnati ita funt difpofiti, ut nollent credere, nifi ad credendum cogerentur evidentiâ fignorum, & difplicet eis, quòd ab ea cogantur credere; ergo &c. Quare Bannez rectè comparat fidem Dæmonum, & Damnatorum voluntati mercatoris, qui metu naufragii, quafi invitus, & coactus projicit merces in mare, quas, fi poffet, non projiceret.

VII. Tertiò probatur. Nullus Damnatus poteft affequi finem fidei infufæ, qui eft falus æterna, juxta illud 1. Petri 1. v. 9. *Reportantes finem fidei veftræ, falutem animarum;* ergo fruftra in illis relinqueretur fides. Etenim in peccatoribus Chriftianis utiliter manet fides; habent namque principium aliquod fe convertendi ad Deum cum fpe veniæ: nullum autem horum habent Damnati. Addo, quòd fides eft viatorum adjumentum, fecundùm illud Apoftoli, 2. Corint. 5. v. 7. *Per fidem enim ambulamus:* at Dæmones, & Damnati non funt in via, fed in termino infeliciffimo; ergo &c.

VIII. Reftat ergo ex dictis, quòd Damnatorum fides non fit infufa, & fupernaturalis, fed acquifita, & naturalis; parta in eis ex manifeftis indiciis, & perfpicacitate intellectus eorum: quia, ut dicebamus, iis vifis, velint, nolint, coguntur affentiri, doctrinam Ecclefiæ effe à Deo. Quia tamen *hoc ipfum Dæmonibus difplicet, quòd figna fidei funt tàm evidentia, ut per ea credere compellantur: ideo in nullo malitia eorum minuitur per hoc, quòd credunt.* Ita D. Tho. hàc *q.* 5. *a.* 1. *ad* 3.

IX. Dices primò. Fides non amittitur, nifi per peccatum infidelitatis: fed Dæmones, & multi ex Damnatis non inciderunt in peccatum infidelitatis; ergo in eis remanet fides informis, fed infufa. Unde S. Thomas hàc 2. 2. *q.* 18. *a.* 3. *ad* 2. ex S. Auguftino in *Enchirid. c.* 8. dicit: quòd *magis poteft effe fides informis in Damnatis, quàm fpes.*

X. Refpondeo, quòd dato, hominem, dum eft in via, nunquam amittere fidem, nifi per infidelitatem: dummodo tamen funt in termino, quemadmodum Beati eam amittunt, quia eis fit impoffibile objectum fidei; ita Damnati amittunt fidem infufam, & laudabilem, quia eis fit impoffibilis pia affectio erga bona fupernaturalia, & finis fidei, qui eft falus. — Deinde dico, quòd Damnati habent affenfum contrarium fidei, afferentes, fe nolle credere, nifi evidentiâ miraculorum ad credendum cogerentur.

Ad id, quod additur ex S. Thom. & Auguftino refpondeo, fenfum S. Thomæ non effe, quòd fides infufa informis fit in Damnatis, non autem fpes: fed, quòd licèt neutra in Damnatis effe poffit, magis tamen repugnat fpes. Nam Damnati, faltem fide acquifitâ, credunt, & tamen nec fpe acquifitâ fperant; quia certi funt, nullum bonum effe eis poffibile.

XI. Dices fecundò. Fides non repugnat ftatui, in quo funt Dæmones, & Damnati: neque enim Deum vident, ut evacuetur, quod ex parte eft, neque habent evidentiam talem, quæ fidem deftruat.

Ref-

Respondeo, neg. ant. Quamvis enim Dæmones, & Damnati nec Deum videant, nec evidentiam habeant mysteriorum, eis tamen repugnat fides infusa. Tùm quia: sunt in statu æternæ damnationis, in quo omni dono supernaturali privati sunt. Tùm quia: incapaces sunt cujuscumque pii voluntatis affectus, sive ad credibilia, sive ad Deum.

XII. Dices tertiò. Qui ex Fidelibus damnantur, debent distingui à Damnatis, qui nunquam crediderunt; ergo debent retinere habitum fidei.

Respondeo, neg. conf. In primis enim baptizati à non baptizatis damnatis distinguuntur charactere baptismali, quem superiùs diximus in eis manere, sicut & Sacerdotalem. Deinde tàm illi, quàm qui sinè charactere crediderunt, distinguuntur diversitate meritorum, ac suppliciorum.

§. II.

De His, qui olim fuerunt in Limbo, & modò sunt in Purgatorio.

XIII. Dico. In animabus, quæ olim fuerunt in Limbo, & quæ modò in Purgatorio sunt, fides infusa ponenda est. Probatur. Cùm enim fides sit fundamentum spei, atque, ut loquitur Paulus, *Hebr.* 11. substantia sperandarum rerum, non potest in aliquo esse spes, nisi in eo sit fides: atqui in talibus animabus remanet spes, ut inferius *q.* 18. *a.* 3. docet S. Tho. ergo, & remanet fides cùm impossibile sit, sperare beatitudinem, nisi credatur, esse possibilem. — Rursus: animæ Patrum in Limbo Deum non videbant, nec in Purgatorio modò vident; ad ipsum tamen videndum anhelabant, & modò anhelant, quæ in Purgatorio sunt; erant, & sunt in caritate, ac donis supernaturalibus præditæ, ac nondum in termino: quid ergo illis deerat, ac deest, ut fidem infusam habeant?

XIV. Confirmatur fides habitualis solùm auferri potest: vel per hoc, quòd aliquis sit in termino simpliciter: vel ratione alicujus dispositionis contrariæ ei, quam requirit fides, ut naturaliter conservetur: at animæ sive in Limbo, sive in Purgatorio, non sunt in termino, quia nondum Deum viderunt; non deest illis debita dispositio: nam hæc, vel est habitus piæ affectionis, quo piè quis afficitur ad credendum: vel perfecta obedientia, quâ quis paratus est, in omnibus obedire fidei: at nihil horum eis deficit, quia sunt confirmatæ in bono virtutis; ergo &c.

XV. Dices. Animas Purgatorii esse extra statum merendi; ergo extra statum fidei, quæ non ambulat, nisi per meritum.

Si respondeas, neg. conf. Fides enim dupliciter ambulat, vel merendo beatitudinem, vel disponendo ad illam. Primum quidem non habetur in animabus Purgatorii, habetur tamen secundum. Disponuntur enim animæ illæ, nedum igne purgante, sed etiam verâ fide caritate formatâ, cujus fervore ad gloriam tendunt.

XVI. Contra instabis. Ergo Patres, qui erant in Limbo, fidem non habebant; quia non ambulabant, neque per meritum, neque per dispositionem.

Respondeo, neg. conf. Nam Patres in Limbo ambulabant per dispositionem, non quidem removentem maculam, à qua mundati erant; sed præparantem eos ad ingressum in Regnum Cœlorum: diligebant enim Deum, sperabant, & liberatorem credebant Christum, qui suâ Passione, & Morte Cœlum illis aperiret; ideoque egebant fide.

§. III.

De Beatis.

XVII. Dico. In Beatis non remanet fides infusa, nec quoad habitum. Est contra Alensem, & Durandum, communis tamen apud Theologos.

logos. Eam enim tradit Paulus 1. Cor. 13. v. 10. *Cùm autem venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est.* Atqui per fidem ex parte, idest, imperfectè, & obscurè cognoscimus; ergo adveniente cognitione perfectâ, qualis est clara Dei visio, evacuabitur fides. Unde subdit, v. 12. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.* Quod verò addit: *Nunc autem manent fides, spes, & caritas*, ly *autem* facit sensum adversativum, nimirum, *nunc* in statu viæ manent hæc tria; in statu autem Patriæ manebit sola caritas; de qua dixerat, v. 8. quòd, cùm cætera evacuabuntur, *caritas nunquam excidit*.

Confirmatur. Causa cur *quamdiu sumus in corpore, peregrinamur à Domino* (ut ait Paulus, 2. *Cor.* 5. *v.* 6.) est, quia *per fidem ambulamus, & non per speciem* (ut ait ibi, v. 7.) ergo quando non amplius peregrinabimur à Domino, sed videbimus eum per speciem, non cognoscemus eum per fidem.

XVIII. Probatur ulterius. Beatis Deum videntibus non convenit definitio fidei assignata per Apostolum, *Hebr.* 11 ergo neque fides. Ant. prob. Fides est *Sperandarum substantia rerum*. Beati autem, qui Deum in se vident, eumque habent sibi intimè præsentem, imò eum possident, Deum sperare non possunt: ait enim Paulus, Rom. 8. v. 24. &c. *Spes autem, quæ videtur, non est spes: nam quod videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus.* Beati autem, qui Deum possident per visionem, nihil ulterius expectant, cum omne bonum possideant. Rursùs: fides est *Argumentum non apparentium*; idest (ut exponit S. Tho. in c. 11. ad Hebr. lect. 1.) *certa apprehensio eorum, quæ non videt*. Beati verò, qui Deum vident, nihil est, quod non videant, & illis sit non apparens. de iis, quæ hic fide divinâ credimus: sed impossibilitatem fidei cum clara Dei visione jam superiùs ostendimus *Qu.* 1. *Dub.* 7. quò Lectorem remitto.

XIX. Objici solet Irenæus *l.* 4. *c.* 25. modò 12. dicens: *Omnibus cæteris evacuatis manere fidem, spem, dilectionem:* & Tertullianus *lib. de Patientia c.* 12. ubi ait: *Exhauriuntur linguæ, scientia, prophetiæ: permanent fides, spes, dilectio.*

Sed quantum conjicere potui, mens horum Patrum non est asserere, in futura gloria mansuras fidem, & spem: sed contraponere legem novam veteri, nimirum, quòd cæteris evacuatis, quibus lex vetus gloriabatur, maneant, tanquam fundamentalia legis novæ præcepta, fides, spes, caritas.

XX. Objici solet. D. Paulus, & Moyses, ut probabiliter diximus, *Tom.* 2. *in* 1. *P. Tract. de Visione Q.* 2. *Dub.* 1. Deum clarè viderunt: & tamen in eis mansit habitus fidei.

Sed ibidem §. 3. *num.* 9. respondimus, eos vidisse quidem clarè Deum, transeunter tamen, non permanenter, nec habuisse statum beatitudinis, sed solum actum: & ideo in eis potuisse habitum fidei permanere. Videantur ibi dicta.

XXI. Objici solet, Beatis multa à Deo revelari, ac proinde in eis manere fidem.

Sed respondetur, multa quidem à Deo revelari, sed non ea, de quibus modò est fides theologica, ut sunt Deus, & mysteria Deum concernentia: hæc enim omnia Beati clarè vident. Solùm revelantur Beatis aliqua, quæ ad eorum beatitudinem essentialem non pertinent: & quidem revelatione non obscurâ, sed clarâ, & propheticâ.

DUB-

DUBIUM III.

An in Hæretico discredente unum Articulum Fidei maneat Fides Theologica circa alios, quos credit?

§. I.

Resolutio Dubii.

I. DUrandus sentire videtur, in hæretico pertinaciter negante unum fidei articulum, adhuc manere habitum fidei, saltem informis, circa alios. Sententia tamen D. Thom. hâc *q. 5. a. 3.* & communis est, hæreticum negantem unum articulum, non habere fidem supernaturalem de aliis, imò nec naturalem, sed meram opinionem. Unde

II. Dico. Qui vel unum articulum fidei pertinaciter discredit, & negat, nequit credere alios fide divinâ: unde uno actu infidelitatis habitum fidei divinæ amittit. Adeò certa reputatur hæc assertio, ut opposita videatur censurâ digna. Opponitur enim Sacræ Scripturæ, *1. ad Timoth. 1. v. 19.* ubi dicitur: *Quidam.... circa fidem naufragaverunt, ex quibus est Hymeneus & Alexander.* Super quæ S. Jo. Chrysostomus Homil. 5. *Sicut* (inquit) *ille, qui naufragium facit, amissis omnibus, nudus evadit: ita is, qui ex fide excidit, nihil sibi ex Dei donis ac virtutibus amplius retinet.* Ibidem *c. 6. v. 4.* De homine hæretico loquens, ait: *Superbus est, & nihil sciens.* Et *v. 21.* hortans Timotheum, ut evitet *Oppositiones falsi nominis scientiæ*, adjicit, *quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt.* Ex quibus testimoniis sequitur, hæreticos circa fidem naufragare, seu fidei naufragium, seu jacturam facere, sicut naufragantes solent facere jacturam suorum bonorum temporalium. Item: nihil scire, ideſt nihil credere per veram fidem Christianam. Denique: circa fidem excidere, ideſt, fidem amittere, vel à fide aberrare. Quare Concil. Trident. *Sess. 6. cap. 15.* docet, gratiam amitti, *Non modò infidelitate, per quam & ipsa fides amittitur, sed etiam quocumque alio mortali peccato.*

III. Deinde probatur. Hæretici hoc ipso, quòd sunt hæretici, extra Ecclesiam sunt, nec sunt ampliùs membra Christi: hæreticus autem est, qui negat unum articulum, etsi alios non neget. Quo supposito sic arguo. Si negans unum articulum haberet fidem divinam circa alios, non esset extra, sed intra Ecclesiam, essetque actualiter membrum Christi: sed hoc dicendum non est; ergo &c. Min. probatur. Ratio constituens aliquem intra Ecclesiam, & faciens membrum Christi, est conjunctio cum Christo per fidem, secundùm quam Christus, ut caput, influit in membra: unde peccatores, etsi caritatem non habeant, quia tamen habent fidem, licèt informem, sunt actu intra Ecclesiam, & membra Christi. Ergo &c.

IV. Confirm. Si discredens unum articulum, & non alios, haberet fidem divinam circa istos, esset simul intra Ecclesiam, & extra illam, membrum Christi, & non membrum, Fidelis, & Infidelis; imò absolutè dici deberet Fidelis: sicut is, qui plures conclusiones philosophicas novit; etiamsi circa unam, vel alteram erret, nihilominus absolutè dicitur Philosophus: sed hæc omnia absurda esse, nemo non videt; ergo &c.

V. Prob. Secundò à pari. Si aliquis, antequam suscipiat fidem, sit ita affectus, ut nolit credere unum certum articulum, dispositus tamen credere cæteros, hic nunquam erit fidelis fide divinâ, quamvis alios credat; ergo si post susceptam fidem quis similiter pravè afficiatur, fidem, quam susceperat, amittet. Conf. prob. Tùm quia: ut docet S. Thom. *2. 2. q. 4. a. 4. ad 3.* non minus est donum gratiæ fidei conservatio, quàm infusio: quo sit

fit, ut dispositio, quæ repugnat infusioni, repugnet etiam conservationi fidei. Tùm à simili: sicut enim aliquis unum hominem odio prosequens, quamvis omnes alios diligat, non potest recipere, nec conservare habitum caritatis: ita qui pravè afficitur circa unum articulum credendum, etsi alios credere velit, nec recipere, nec conservare habitum fidei potest. Quia sicut caritas movet ad amandum omnes omnino homines: ita & fides ad credendum omnia omnino à Deo revelata.

VI. Prob. tertiò. Ratione D. Thom. hâc *q.* 5. *a.* 3. sublatâ ab aliquo ratione formali, & simul conditione objecti alicujus habitus, ille habitus perseverare non potest: sed ab eo, qui discredit unum articulum, quamvis non discredat alios, aufertur ratio formalis habitus fidei; ergo &c. Min. prob. Ratio formalis fidei divinæ est divina revelatio, regula autem discernendi revelata à non revelatis est doctrina, & propositio Ecclesiæ: sed qui Deo revelanti omnes articulos, & per Ecclesiam attestanti omnes à se revelatos, alios crederet, unum tamen credere nollet; eos, quos credit, non crederet ex ratione formali fidei, nempe, ex auctoritate divinâ, sed crederet ex propria voluntate, & existimatione: aliàs cùm divina auctoritas omnes revelaverit, & revelaverit etiam, Ecclesiam in eis proponendis errare non posse, deberet Ecclesiæ æqualiter proponenti omnes, æqualiter omnes credere; ergo &c. Sicut ergo si Fabius mihi diceret: quæcumque Titius tibi proposuerit, ut à me dicta, accipito ut talia; ego Titio mihi poponenti plura, ut à Fabio dicta, aliqua crederem, alia credere nollem, non solùm auctoritatem Titii, sed & Fabii contemnerem: ita si Deo dicente: quæcumque tibi Ecclesia proposuerit, ut à me revelata, accipito ut talia; ego unum credo, ut à Deo revelatum, aliud non credam, non solùm auctoritatem Ecclesiæ, sed & auctoritatem Dei contemno.

VII. Ex his precluditur responsio quorumdam dicentium, hæreticum discredentem unum articulum, non dubitare de auctoritate Dei revelantis, quasi fallax sit; sed dubitare, an articulus ille à Deo revelatus sit: si enim existimaret, à Deo revelatum esse, illum statim crederet. Nam cùm Deus revelaverit, quòd quoties Ecclesia proponit aliquid ut revelatum, illud ut revelatum certò credendum sit: qui Ecclesiæ attestanti, ut revelatum, credere non vult, esse revlatum, negat, non solùm auctoritatem Ecclesiæ, sed auctoritatem Dei, qui testimonium Ecclesiæ esse infallibile in doctrina fidei revelavit. Credit ergo, non Deo revelanti, non Ecclesiæ proponenti, sed propriæ phantasiæ, ac existimationi. Unico verbo credit sibi, præsumens, sibi datum esse spiritum discernendi revelata à non revelatis, quem negat, datum fuisse Ecclesiæ: contra quem spiritum privatum locuti fuimus supra *Qu.* 1. *Dub.* 2. §. 2.

VIII. Rem hanc in praxi pono. Si quæras à Catholico, cur credat, omnes libros in Sacra Scripturâ contentos esse à Deo revelatos? Respondebit: quia Ecclesia Catholica omnes ut à Deo revelatos proponit. Si autem quæras à Lutherano, vel Calvinista: cur credat, aliquos Sacræ Scripturæ libros esse à Deo revelatos: aliquos, ut *Sapientiæ*, *Ecclesiasticum &c.* esse à Deo revelatos neget; certè non respondebit, propter auctoritatem Ecclesiæ. Quia cum hæc omnes æqualiter proponit ut revelatos, aliquos credit, alios non credit. An propter auctoritatem Dei? At unde illi constat, hos divinam continere auctoritatem, illos non? Non aliud respondere poterit, nisi quia ad hoc ipsum movet proprium judicium, propria phantasia, persuasio, seu veriùs superbia, quâ sibi arrogat judicium infallibile, quod negat Ecclesiæ.

Rectè igitur S. Thomas hâc q. 5. a. 3. *Manifestum est* (inquit) *quòd ille, qui inhæret doctrinæ Ecclesiæ tanquam infal-*

infallibili regula, omnibus assentit, quæ Ecclesia docet, alioquin, si de his, quæ Ecclesia docet: quæ vult, tenet, & quæ non vult, non tenet, non iam inhæret Ecclesiæ doctrinæ, tanquam infallibili regulæ, sed propriæ voluntati... Unde manifestum est, quod talis hæreticus circa unum articulum, fidem non habet de aliis articulis, sed opinionem quamdam secundùm propriam voluntatem.

§. II.

Occurritur Fundamentis Contrariis.

IX. Opponunt primò. Qui labitur in hæresim circa unum articulum, eamdem facilitatem, & firmitatem experitur circa alios, ut habebat ante; ergo eos verè credit, quia Deus eos revelavit, & fide divinâ, ut priùs.

X. Respondeo, negando in primis ant. Qui enim deficit à fide unius articuli, pertinaciter, viam sibi parat facilem ad negandum alios, ut experientia testatur, & maximè in Luthero: qui à negando valore indulgentiarum initium hæresis sumens, ad negandos alios articulos sensim præceps ruit — Deinde dico, falli hæreticum, dum putat, facilitatem, ac firmitatem, quam experitur circa alios articulos, esse à fide theologicâ, & eamdem, ac priùs. Est enim in eo relicta ex pristina consuetudine, & assuefactione eos credendi, vel ex ratione, ac judicio humano. *Si enim* (inquit S. Thom. in 3. dist. 23. q. 3. a. 3. quæstiunc. 2.) *habitu fidei ad hæc credenda inclinaretur, contraria fidei refutaret: sicut omnis habitus renititur eis, quæ contra illum habitum sunt.* Simile aliquid est in eo, qui demonstrativè aliquid cognovisset, & per morbum, sive aliâ ex causa oblitus esset medii demonstrationis: is teneret quidem firmiter illam conclusionem; sed tamen non teneret illam, per scientiam, nec assentiretur illi eodem modo, quo priùs, sed diverso.

XI. Opponunt secundò. Sicut sub fide continentur multi articuli; ita sub unâ scientiâ continentur multæ conclusiones: sed homo aliquis potest habere scientiam, puta, Geometriæ, circa aliquas conclusiones, & errorem circa alias; ergo homo potest habere fidem circa aliquos articulos, & non circa alios.

XII. Respondet S. Thom. hâc q. 5. a. 3. ad 2. *Quod in diversis conclusionibus unius scientiæ sunt diversa media* (materialia) *per quæ probantur, quorum unum potest cognosci sine alio. Et ideo potest homo scire quasdam conclusiones unius scientiæ, ignoratis aliis. Sed omnibus articulis fidei inhæret fides propter unum medium* (tàm formale, quàm materiale) *scilicet, propter veritatem primam propositam nobis inScripturis; secundùm doctrinam Ecclesiæ intelligentis sanè. Et ideo qui ab hoc medio decidit, totaliter fide caret.* Sicut qui in scientia decederet à medio, non solùm materiali, sed formali, & specifico illius scientiæ, totaliter habitu scientiæ careret. Unde Aristoteles Parmenidem, & Melissum negantes motum, qui est medium formale, & specificum physicæ, appellat non physicè loquentes. Cùm ergo in fide sit unicum medium, & hoc formale ex dictis; qui decidit ab isto, quomodo decidit qui unum articulum negat, totaliter decidit a fide.

XIII. Sed instas. Sicut homo obedit Deo ad credendum articulos fidei; ita etiam ad servanda præcepta legis: sed potest esse obediens circa quædam mandata, & non circa alia; ergo potest habere fidem circa quosdam articulos, & non circa alios.

XIV. Respondeo, dist. min. relatè ad motiva proxima, & materialia, conc. min. Relatè ad motivum formale, & primum, nego min. *Diversa præcepta legis* (inquit S. Thom. laudatus ad 3.) *possunt referri, vel ad diversa motiva proxima, & sic unum sine alio servari potest: vel ad unum motivum primum, quod est perfectè obedire Deo, à quo decidit,*

cidit, qui unum praeceptum transgreditur, secundùm illud, Jacobi 2. Qui offendit in uno, factus est omnium reus: Et in hoc stat paritas cum fide.

XV. Opponunt tertiò. Qui ex pia affectione movetur ad credendum, credit fide divinâ: sed potest quis piè affici circa aliquos articulos, & non circa alios; ergo &c.

Respondeo neg. absolutè min. Pia enim affectio voluntatis ad credendum fide divinâ est desiderium boni repromissi credentibus, non hunc, vel illum articulum, sed omnia, quæ fides dictat; & captivantibus intellectum in obsequium ejus, quoad omnia, quæ Ecclesia, ut à Deo dicta, proponit. Quare non stat, intellectum piè affici, ut requiritur ad fidem divinam, circa unum articulum, & malè affici circa alios.

XVI. Opponunt quartò. Theologus incidens in hæresim conservat Theologiam; ergo & incidens in hæresim servat fidem. Conf. prob. Quia Theologia essentialiter supponit fidem, & ab ea dependet, cùm ab ea accipiat sua principia.

Ant. verò prob. Tùm quia, Theologus hæreticus circa unum articulum, aliquando conscribit Tractatus optimos circa alios. Tum quia: Theologus per multos actus comparavit Theologiæ habitum; ergo non potest per unum actum contrarium illum amittere.

XVII. Respondeo neg. ant. Theologus enim incidens in hæresim circa unum articulum, non potest retinere habitum veræ Theologiæ: non enim potest manere habitus scientiæ, destructo principio formali. Manet tamen in eo aliquid simile Theologiæ æquivocè, sicut homo mortuus dicitur homo, & manus abscissa dicitur manus, quamvis per experientiam hoc nequeat dignosci: hinc est, quod tractatus Theologicos in aliis materiis possit benè conscribere, sicut priùs. Esto autem unus actus contrarius nequeat tollere habitum acquisitum, quando non tollit rationem formalem illius, vel principium, cum quo essentialiter connectitur: secus tamen, quando actus contrarius tollit rationem formalem habitus, vel aliquid, cum quo essentialiter connectitur; sicut unus actus hæresis tollit rationem formalem fidei, cum qua essentialiter connectitur habitus Theologiæ.

XVIII. Opponunt quintò varia. Primò. Apostoli tempore Passionis Christi amiserunt fidem in Christum: nec tamen dicendum est, eos amisisse fidem Trinitatis, vitæ æternæ, & similium.

Secundò. Tàm Judæi, quàm hæretici asserentes, se recipere, vel libros propheticos, vel Evangelia tanquam verbum Dei, non sunt arguendi mendacii; ergo circa eas Scripturas veram habent fidem divinam.

Tertiò. Hæreticus ad Ecclesiam rediens non corrigitur in assensu verorum articulorum, quos credidit; ergo eos credidit, sicut oportet.

Quartò. Habitus fidei humanæ, quo quis homini credit, non amittitur per hoc, quòd in aliquo ei non credat; ergo nec habitus fidei divinæ.

Quintò. Si cognitio recta, quam habet hæreticus de rebus aliis, ac mysteriis divinis non esset à fide infusâ, non esset donum gratiæ, sed liberi arbitrij viribus tribuenda: quod tamen negat August. *lib. de Patientia*, dicens, *cap.* 27. quòd donum Dei est, cum Schismaticus patitur: *Non pro errore, qui eum separavit, sed pro veritate Sacramenti, seu Verbi, quæ apud eum remansit.*

XIX. Respondeo ad hæc. Ad primum nego, Apostolos tempore Passionis amisisse fidem internam in Christum, quamvis exteriùs illam, vel negaverint, vel confiteri erubuerint. Unde S. August. *lib. contra Mendacium cap. 6.* dicit: quòd Petrus *in illa negatione intùs veritatem tenebat, & foris mendacium proferebat.* Quòd si velut increduli de Christi Resurrectione arguun-

guuntur; hoc est, non quia infideles eam credere nollent, sed quia infirmi, & tardi ad credendum.

XX. Ad secundum nego conf. Ex quo enim hæreticus, vel Judæus asserens, se hos, vel illos libros recipere tanquam divinos, non fit arguendus mendacii; solùm sequitur, quòd ita mente sentiat, ut dicit, non verò quòd ita sentiat fide divinâ: aliàs non solùm aliquos, sed omnes divinos esse sentiret. Hos ergo, quos ut divinos recipit, tales asserit; vel quia in sua secta tales judicantur, & ideo ex assuefactione tales pronuntiat: vel motus, & à Deo adjutus, ne omnes respuat, ut infra dicetur.

XXI. Ad tertium nego pariter conf. Quamvis enim hæreticus ad Ecclesiam rediens, ab ea non corrigatur in veris articulis, quorum assensum in hæresi retinuit: corrigitur tamen à Deo, quoad modum assensus, ut illos articulos iterùm suscipiat fide divinâ, quos priùs propriâ electione, non sinè tamen adjutorio gratiæ protegentis eum, ne in plures errores caderet, retinebat.

XXII. Ad quartum nego conseq. Auctoritas enim hominis, cui fides humana nititur, non est prorsus, & in omnibus infallibilis: unde potest aliquis ei credere in uno, & non in alio. At auctoritas, cui fides divina innititur, est in omnibus infallibilis: unde qui eam rejicit in uno, eam rejicit in omnibus.

XXIII. Ad quintum nego illatum. Assensus enim, quos hæretici habent de veris articulis, estò non sint à fide, sunt tamen à Dei munere gratuito, & supernaturali auxilio conservantis in illis habilitatem, & promtitudinem ad assentiendum articulis, quos adhuc retinent. Ut enim ait Sanctus Augustinus citatus, lib. de Patientia cap. 27. *Sicut negandum non est, hoc esse donum Dei; ita intelligendum est, alia esse Dei dona filiorum illius Jerusalem, quæ sursum libera est mater nostra.... Alia verò, quæ possunt accipere etiam filii concubinarum, quibus Judæi carnales, & schismatici, vel hæretici comparantur.*

XXIV. Sed instabis. Idem S. August. *l. de Unico Baptismo contra Petilianum c.* 3. videtur, Judæis, & hæreticis tribuere veram fidem, quoad ea, quæ credunt. De Judæo enim nondum ad Christum converso dicit: *Quod verò unum Deum colendum credit, quòd omnia Idola, & Sacrilegia Gentium detestatur, quòd futurum expectat judicium, quòd vitam sperat æternam, quòd de carnis resurrectione non dubitat, laudamus, approbamus, agnoscimus, sicut credebat credenda, sicut tenebat tenenda firmamus.* Et c. 5. dicit Judæo: *Tene, ab uno vero Deo Mundum conditum esse, quod tenebas: sed crede, jam Christum resurrexisse à mortuis, quod non credebas.* Sentit ergo, in eo, qui aliquos articulos discredit, esse veram fidem, quoad alios, quos credit.

XXV. Respondeo tamen, neg. conf. Neque enim est Augustini mens, quòd id, quod credit Judæus, antequam fiat Christianus, credat fide divinâ; sed ejus assensum laudat, quia vero assentitur, vultque, ut illum teneat, quia in hoc ejus judicium non est corrigendum: eumque propterea laudat, & approbat; quia licèt non fide divinâ assentiatur, assentitur tamen vero, & talis assensus donum Dei est, estò non filiorum. Quòd autem hæc sit Augustini mens, probatur ex iis, quæ subjicit *c.* 5 ubi postquam dixit Judæo: *Tene, ab uno vero Deo Mundum conditum esse, quod tenebas:* idem dici posset, asserit, Idololatræ, his verbis, sicut Idolorum cultori dicitur: *Tene, ab uno vero Deo Mundum conditum esse, quod tenebas:* atqui nullus dicet, Idolorum cultorem fide divinâ credere, Mundum ab uno vero Deo conditum esse; ergo nec putandum est, Augustinum hoc dixisse de Judæo. Solum ergo intendit ibi S. Doctor, quòd sicut falsitas multorum, in quibus Judæus, Paganus, vel hæreticus errat,

errat, non præjudicat veritati aliarum rerum, quas credit, & in quibus non errat: ita nec præjudicat veritati Sacramenti Baptismi, & hoc contra Petilianum ostendere intendebat.

DUBIUM IV.

An in Peccatore Maneat Fides Informis?

§. I.

An detur Fides Informis, & quid sit?

I. CElebris est apud Doctores Catholicos divisio fidei in formatam, quæ scilicet cum caritate conjungitur, & informem, quæ est sinè caritate. Hanc divisionem, tanquam nugatoriam, subsannat more suo Calvinus *lib.* 3. *Instit. c.* 2. §. 8. Ait enim: *At primò refutanda est, quæ in Scholis volitat nugatoria fidei formata, & informis distinctio. Imaginantur enim, eos credere quidquid cognitu necessarium est ad salutem, qui nullo timore Dei, nullo pietatis sensu tanguntur. Quasi verò Spiritus Sancti, corda nostra in fidem illuminando, non sit nobis adoptionis nostræ testis.* Sed hic error fundatur in falsa persuasione, quâ ipse, omnesque Acatholici tenentur; quamquam Tomo præcedente *Tract. de Justificatione* refutavimus, nimirum, quòd sola fides est, quæ nos justos facit, & apprehendit justitiam Christi. Subdit enim ibidem post multa: *Quùm enim fides Christum amplectatur, ut nobis offertur à Patre, ille verò non in justitiam modò, peccatorum remissionem, & pacem offeratur, sed in sanctificationem quoque, & fontem aquæ vivæ; eum haud dubiè ritè cognoscere nunquam poterit, quin significationem spiritus simul apprehendat.*

II. Catholici verò omnes, qui fidem ponunt quidem justificationis initium, & radicem, negant tamen, ipsam solam sufficere ad justificationem, nisi perveniat ad caritatem; optimè distinguunt fidem formatam, & caritati conjunctam, Deoquè reconciliantem, à fide informi, & à caritate sejunctâ, quâ quis credit quidem Deo, ac omnibus à Deo revelatis assentit, sed non vadit ad Deum per caritatem: ideoque distinguunt inter credere Deo, credere Deum, & credere in Deum. Duo enim priora, ut docet D. Tho. hîc 2. 2. *q.* 2. *a.* 2. & *in* 3. *dist.* 23. *q.* 2. *a.* 2. *quæstiunc.* 2. pertinent ad intellectum, tertium verò ad voluntatem. Nec tamen negant Catholici, imò constanter asserunt, ad credendum requiri actum voluntatis, seu piam affectionem erga Deum, & ab ipso revelata, ut superiùs diximus; sed hanc affectionem voluntatis, non dicimus, esse actum caritatis: quia dicimus, esse quidem donum Dei, & Spiritus Sancti, sed moventis, nondum tamen inhabitantis, viam parans ad justitiam, sed non, quòd sit ipsa apprehensio justitiæ.

III. Hinc fides informis est donum Dei infusum elevans intellectum ad assentiendum Deo revelanti etiam ea, quæ supra ejus captum sunt. Unde D. Thom. *in* 3. *dist.* 23. *qu.* 3. *a.* 2. ait: *Nulla autem potentia secundùm suam naturam determinatur ad illa, quæ sunt supra naturam rationis nostræ, quorum est fides. Et ideo ad hunc actum indigemus habitu, qui non est acquisitus; qui quidem in duobus nos adjuvat: in hoc scilicet, quòd intellectum facit facilem ad credendum credenda, contra duritiem; & discretum ad refutandum non credenda, contra errorem.* En igitur, quòd fides informis non est, ut eam vocat Calvinus, frigida qualitas, & otiosa; dum reddit hominem facilem ad credendum credenda, & promtum ad refutandum non credenda, præservans eum contra duritiem, & contra errorem. Similiter dum ei proponit pœnam æternam, excitat in homine timorem Dei justi judicii, & attritionem de peccatis; dum ei proponit propitiatorem Christum, excitat in eo spem veniæ, & re-

& reconciliationis, aliosque actus pios, & salutares, quos recenset Tridentinum, *Sess. 6. cap. 6.* de quibus Tom. præced. locuti sumus.

IV. Dices tamen primò. Dona Dei non sunt imperfecta: sed fides informis est imperfecta, caret enim debitâ formâ; ergo &c.

Confirm. Sicut actus dicitur deformis propter hoc, quòd caret debitâ formâ; ita etiam fides dicitur informis, propter hoc, quòd caret debitâ formâ: sed actus deformis non est donum Dei, imò nec à Deo; ergo nec fides informis.

V. Respondeo ex D. Tho. 2. 2. qu. 6. a. 2. ad 1. *Quòd fides informis etsi non sit perfecta simpliciter in ratione virtutis, est tamen perfecta quadam perfectione, quæ sufficit ad fidei rationem.* Eò vel maximè, quòd fides, ut est à Deo, & donum ejus, est perfecta: sed quòd in ea sit aliqua imperfectio, hoc accidit ex parte recipientis, ut docet idem S. Doct. *in* 3. *dist.* 23. *qu.* 3. *a.* 2. *ad* 5. Sicut quòd diaphanum non perfectè illuminetur, non est à Sole, sed ex indispositione, quæ est in diaphano.

VI. Ad Confirmat. nego min. cum eodem S. Doctore 2. 2. q. 6. a. 2. ad 2. *Quòd deformitas actus est de ratione speciei ipsius actus, secundùm quòd est actus moralis .... dicitur enim actus deformis, per privationem formæ intrinsecæ, quæ est debita commensuratio circumstantiarum actus: & ideo non potest dici causa actus deformis Deus, qui non est causa deformitatis, licèt sit causa actus, inquantùm est actus. Informitas autem fidei* (inquit ibidem in Corp.) *non pertinet ad rationem ipsius fidei; cùm fides dicatur informis propter defectum exterioris formæ. Et ideo illud est causa fidei informis, quod est causa fidei simpliciter dictæ.* Sicut potest dici aliquid causa diaphani, quamvis non sit causa tenebrositatis, quæ non est de ratione speciei diaphani, sed ei ab extrinseco supervenit.

Aliter etiam respondet S. Doctor ibi ad 2. *Quòd deformitas non solùm importat privationem debitæ formæ, sed etiam contrariam dispositionem. Unde deformitas se habet ad actum, sicut falsitas ad fidem. Et ideo sicut actus deformis non est à Deo: ita nec aliqua fides falsa. Et sicut fides informis est à Deo: ita etiam actus, qui sunt boni ex genere, quamvis non sint caritate formati, sicut plerumque in peccatoribus contingit, sunt à Deo.* Similiter respondet in 3. *distinctione* 23. *quæstione* 3. *art.* 2. *ad* 6. Ex quibus formatur hæc ratio. Actus moraliter boni, qui ex fine honesto fiunt à peccatore, sunt à Deo, aliàs omnes actus peccatoris essent peccata, quod Tomo præcedente *Tract. de Necessit. Gratiæ* rejecimus contra Bajum.

VII. Dices secundò. Quemcumque Deus sanat, totaliter sanat: sed per fidem sanatur homo ab infidelitate; ergo per eam sanatur homo ab omni peccato: cùm ergo fides informis non sanet hominem ab omni peccato, hoc enim solâ fide formatâ consequitur: ideo &c.

VIII. Respondeo cum eodem S. Tho. 2. 2. q. 6. a. 2. ad 3. *Quòd ille, qui accipit à Deo fidem absque caritate, non simpliciter sanatur ab infidelitate, quia non removetur culpa præcedentis infidelitatis; sed sanatur secundùm quid, ut scilicet, cesset à tali peccato. Hoc autem frequenter contingit, quòd aliquis desistat ab uno actu peccati, etiam Deo hoc faciente; qui tamen ab actu alterius peccati non desistit, propriâ iniquitate suggerente. Et per hunc etiam modum datur aliquando homini à Deo quòd credat, non tamen datur ei caritatis donum: sicut etiam aliquibus absque caritate datur donum prophetiæ, vel aliquid simile.*

IX. Colligo ex dictis, fidem informem non distingui specie essentiali à fide formatâ: & hoc cum D. Tho. 2. 2. *q.* 4. *a.* 4. Ubi refert, voluisse aliquos, alium esse habitum fidei formatæ, & informis; sed adveniente fide formatâ, tolli fidem informem; & similiter

ter homini post fidem formatam peccanti mortaliter succedere alium habitum fidei informis à Deo infusum — *Sed hoc*, ait S. D. *non videtur esse conveniens, quod gratia adveniens homini aliquod Dei donum excludat: neque etiam quòd aliquod Dei donum homini infundatur, propter peccatum mortale*. Et prætere si fides formata est alterius speciei fide informi; ergo qui habet fidem informem non erit ejusdem speciei fidelis cum illis, qui habent fidem formatam: quia habebit aliam rationem specie diversam assentiendi articulis fidei.

Imò si per peccatum mortale habitus fidei formatæ amittitur; ergo aliqua fides per peccatum amittitur: qui est error Lutheri damnatus à Tridentino, *Sess. 6. Can. 28.* ut infra. Tunc autem inquirendum erit: an fides informis, quæ dicitur, de novo à Deo produci, sit vera, & univocè fides cum fide formatâ.

X. Alii verò dixerunt, habitus fidei formatæ, & informis, esse quidem diversos; sed tamen adveniente fide formatâ non tolli habitum fidei informis, sed simul manere in eodem cum habitu fidei formatæ — *Sed hoc* (ait S. Tho.) *etiam videtur esse inconveniens, quòd habitus fidei informis in habente fidem formatam remaneat otiosus. Et ideo aliter dicendum, quòd idem est habitus fidei formatæ, & informis*.

Et rationem dat. Nam habitus diversificatur secundùm id, quod per se ad habitum pertinet, non secundùm id, quod supervenit ei ab extrinseco: sed esse formatum, vel informem, non per se ad habitum fidei pertinet, sed supervenit &c. ergo &c. Min. prob. Cum fides sit perfectio intellectus, illud per se ad fidem pertinet, quod pertinet ad intellectum: quod autem pertinet ad voluntatem, non per se pertinet ad fidem, ita ut fidei habitus per hoc possit diversificari: sed distinctio fidei formatæ, & informis pertinet ad voluntatem, idest, secundùm caritatem, non autem secundùm illud, quod pertinet ad intellectum; ergo &c. & consequenter habitus fidei formatæ, & informis non sunt diversi habitus.

XI. Sed dices cum Calvino, loco citato, quòd fides magis pertinet ad voluntatem, quàm ad intellectum, juxta illud Pauli Rom. 10. v. 10. *Corde enim creditur ad justitiam*; & assensus fidei piam affectionem voluntatis per se requirat, ut superiùs ostendimus. Quibus addi potest, quòd fides formata est virtus, informis verò non est virtus: idem autem habitus nequit esse virtus, & non virtus.

XII. Sed hæc non obstant. Non primum. Quia Paulus dicit, *corde creditur*, non quia credere sit actus voluntatis: sed quia, ut ait S. Tho. ibi lect. 2. *Cætera, quæ ad exteriorem Dei cultum pertinent, potest homo nolens; sed credere non potest, nisi volens. Intellectus enim credentis non determinatur ad assentiendum veritati ex necessitate rationis, sicut intellectus scientis, sed ex voluntate*.

Non secundum. Quia pia affectio, quæ requiritur, ut intellectus moveatur ad credendum, non debet esse semper ex amore ultimi finis efficaci, perfecto, & ex caritate; sed sufficit, ut sit quædam Spiritus Sancti motio inclinans ad assensum, & afficiens hominem etiam imperfectè, etiam inefficaciter circa credibilia, & bona credentibus repromissa. Unde superiùs non diximus, talem affectionem procedere à caritate; sed ab alio habitu supernaturali, reductivè pertinente ad fidem, qui potest esse etiam in eo, in quo non est caritas.

Neque tertium. Quòd enim fides informis non sit virtus, non est quia careat essentiâ, & substantiâ virtutis; sed quia caret statu, & perfectione virtutis, vitio, & defectu subjecti, in quo ponitur, utpote non habentis caritatem: quâ tamen adveniente, idem habitus fidei de informi sit formatus, & statum, ac perfectionem virtutis acqui-

acquirit: sicut diaphanum, quod in absentia lucis erat tenebrosum, adveniente luce fit illuminatum. *Quando* enim *imperfectio non est de ratione rei imperfectæ, tunc illud numero idem, quod erat imperfectum, fit perfectum, sicut pueritia non est de ratione hominis: & ideo idem numero, qui erat puer, fit vir.* Ita S. Tho. 2. 2. qu. 4. a. 4. ad 1.

XIII. Ex quo infertur, fidem informem posse fieri formatam, & è converso, invariatâ fidei substantiâ. Quia ex dictis, per hoc, quòd fides informis fit formata, non mutatur ipsa fides, quæ semper infallibiliter tendit in suum objectum, quod est verum; sed mutatur subjectum fidei, quod est anima, dum à non habente caritatem, ad habentem transit: quæ caritas faciens fidem formatam, non est de essentia, nec intrinseca perfectio fidei, cùm fides per se spectet ad intellectum, caritas autem ad voluntatem.

Nec refert, quòd fides informis sit mortua, fides autem formata sit viva: illud autem, quod est mortuum, idem manens, non fit vivum — Nam respondet D. Thom. laudatus ad 2. *Quòd illud, quod facit vitam animalis, est de ratione ipsius, quia est forma essentialis ejus, scilicet anima. Et ideo mortuum fieri vivum, non potest; sed aliud specie est, quod est mortuum, & quod est vivum. Sed id, quod facit, fidem esse formatam, vel vivam, non est de essentia fidei. Et ideo non est simile.*

§. II.

Resolutio Dubii.

XIV. Dico. Habitus fidei Theologicæ quoad substantiam remanet in peccatore, estò non quoad statum perfectum virtutis.

Prior pars est de fide statuta in Tridentino, contra Lutherum, & Calvinum, Sess. 6. Can. 28. *Si quis dixerit, amissâ per peccatum gratiâ simul & fidem semper amitti, aut fidem, quæ remanet non esse veram fidem, licèt non sit viva, aut eum, qui fidem sinè caritate habet, non esse Christianum: anathema sit.*

Probatur insuper. Fides destruitur per solam infidelitatem, quæ sola ei directè opponitur: sed non omne peccatum est infidelitatis; contrarium enim damnatur à Tridentino Sess. 6. Can. 27. *Si quis dixerit, nullum esse peccatum mortale, nisi infidelitatis.... anathema sit*; ergo non omne peccatum destruit fidem.

Tertiò prob. Homo, qui baptizatur in peccato mortali existens, verè fit Fidelis, & Christianus; ergo acquirit veram fidem: & tamen cùm in peccato sit, non acquirit caritatem. Conf. prob. Solus enim character baptismalis non sufficit facere hominem fidelem, cùm hic etiam in hæreticis inveniatur. Ant. etiam prob. Nam ille homo non est paganus, hæreticus, aut Judæus; ergo verè est Fidelis.

XV. Confirm. Aliquis existens in peccato mortali potest in Deum sperare, de peccatis attritione supernaturali dolere, Deum auctorem supernaturalem invocare: sed nemo potest sic sperare, sic dolere, sic invocare, nisi fidem habeat, & quidem infusam; ergo &c. Min. ex illo Rom. 10. v. 14. *Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt?*

XVI. Hoc demum testantur Patres, qui licèt asserant, fidem sinè operibus otiosam esse, vacuam, & inutilem ad salutem, non negant tamen, esse veram fidem. Inter hos S. Augustinus *l.* 15. *de Trinit. c.* 18. ait: *Sinè caritate quippe fides potest quidem esse, sed non & prodesse.* L. 1. de Bapt. contra Donat. c. 8. *Quid ergo prodest homini vel sana fides, vel sanum fortasse solùm fidei sacramentum, ubi lethali vulnere schismatis peremta est sanitas caritatis*, & Serm. 90. *Potest* (inquit) *fieri, ut credas, venisse Christum, & non diligas Christum: non potest autem fieri, ut diligas Christum, non dicas, venisse Christum?* Hoc fere integro libro *de Fide, & ope-*

& operibus docet, maxime *c.* 22. & 23. Sed quia de hac re satis egimus *Tom.* 1. *in* 1. 2. *Tract. de Virtutibus Q.* 3. *Dub.* 4. ne eadem hìc repetantur, illuc Lectorem remitto, ubi Adversariorum momenta dissipata videbit.

QUÆSTIO IV.

De Actu Externo Fidei.

De externa fidei confessione in hac quæstione agemus, nimirum: an sit actus procedens à fide: an de ea detur præceptum, & ad quid obliget, nec non quando.

DUBIUM I.

An Confessio Exterior Fidei sit Actus Elicitus à Fide?

§. I.

Resolutio Dubii.

I. Dico. Confessio exterior fidei est actus elicitus à fide. Ita S. Thom. 2. 2. *q.* 3. *a.* 1. Estò P. Oviedo sentiat oppositum. Probatur autem ratione S. Doctoris sic: *Actus exteriores illius virtutis propriè sunt actus, ad cujus fines secundùm suas species referuntur: sicut jejunare secundùm suam speciem refertur ad finem abstinentiæ, quæ est compescere carnem; & ideo est actus abstinentiæ:* sed confessio eorum, quæ sunt fidei, secundùm suam speciem ordinatur, sicut ad finem. ad id, quod est fidei, secundùm illud 2. ad Cor. 4. v. 13. *Habentes autem eumdem spiritum fidei, sicut scriptum est: Credidi, propter quod locutus sum, & nos credimus, propter quod & loquimur.* Ergo &c. Tùm etiam: quia *exterior locutio ordinatur ad significandum id, quod in corde concipitur;* ergo *sicut conceptus interior eorum, quæ sunt fidei, est propriè fidei actus: ita etiam & exterior confessio.*

II. Ex qua ratione patet, mentem S. Thomæ esse, quòd exterior confessio fidei sit actus elicitus à fide, & non solùm imperatus. Nam dicit, quòd exterior confessio fidei *secundùm suam speciem* ordinatur, sicut ad finem, ad id, quod est fidei: sed actus merè imperatus, & non elicitus ab aliqua virtute, non ordinatur *secundùm speciem suam* ad finem virtutis imperantis, sed solùm secundùm accidens, quatenus participat de imperio talis virtutis: actus enim jejunandi, quia est actus solùm imperatus à caritate, non ordinatur secundùm speciem suam ad finem caritatis, sed tantùm secundùm accidens; quatenus hìc & nunc subest caritatis imperio, seu qui jejunat, jejunat ob finem caritatis. E contra autem quia est actus elicitus à virtute abstinentiæ, secundùm suam speciem ad finem abstinentiæ ordinatur, ad carnem nimirum compescendam; ergo &c.

III. Urgetur magis. Actus, qui procedit à fide, tanquam actus proprius, & nullâ aliâ virtute mediante, est actus fidei ab ipsa elicitus, & non solùm imperatus; actus enim ab aliqua virtute imperatus, non est actus proprius ejus, nec procedit immediatè ab illa, sed mediante virtute, cui imperat elicientiam: sic actus jejunii non est actus proprius, nec procedit immediatè à caritate, sed mediâ abstinentiâ, cui imperat, ut eliciat actum jejunii propter Deum. Sed D. Thom. citatus *ad* 3 dicit, quòd *fides interior... confessionem producit tanquam proprium actum, nullâ aliâ virtute mediante*; ergo est actus à fide elicitus, & non solum imperatus.

§. II.

Solvuntur Argumenta Contraria.

IV. Objicies primò. Idem actus non pertinet ad diversas virtutes elicitivè: sed confessio pertinet ad pœnitentiam, cujus est actus: pertinet

tinet ad virtutem veracitatis, cujus est confiteri exteriùs veritatem, quam quis habet in mente; ergo &c.

V. Respondeo dist. maj. Idem actus secundùm eamdem considerationem, co. maj. Secundum diversam, nego maj. Ut enim docet S. Thom. hîc q. 3. a. 1. ad 1. *Triplex est confessio, quæ in Scripturis laudatur. Una est confessio eorum, quæ sunt fidei: & ista est proprius actus fidei, utpote relata ad finem fidei, ut dictum est. Alia est confessio gratiarum actionis, sive laudis: & ista est actus latriæ, ordinatur enim ad honorem Deo exteriùs exhibendum, quod est finis latriæ. Tertia est confessio peccatorum: & hæc ordinatur ad deletionem peccati, quæ est finis pœnitentiæ: unde pertinet ad pœnitentiam.*

Ad id, quod additur de veracitate, dico, pertinere quidem ad veracitatem, quòd homo talem se verbis exhibeat, qualis est in mente, absolutè loquendo. Sed quòd hoc faciat in rebus fidei, ad declarandum, se ex animo credere Deo, ad fidem pertinet. Sciendum est ergo, quòd idem numero actus secundùm varias considerationes potest diversarum virtutum esse materia. Sicut recitatio Symboli, quatenus ordinatur ad divinum cultum, est actus Religionis: quatenus ardua, est actus fortitudinis: quatenus fit ad assentiendum Deo etiam voce, est actus fidei.

VI. Objicies secundò. Exterior fidei confessio est actus fortitudinis superantis timorem; ergo non est actus fidei.

Respondeo, dist. ant. Fortitudinis, ut causæ per accidens, con. ant. Ut causæ per se, nego ant. & conf. Fortitudo enim concurrit ad confessionem fidei, ut causa per accidens, ut removens scilicet impedientia fidei confessionem, puta, erubescentiam, vel timorem; non autem per se influendo in illam. Ita S. Thom. citatus *ad* 2. Actus autem tribuitur soli causæ per se.

VII. Objicies tertiò. Sicut per fidei fervorem inducitur aliquis ad confitendum fidem exteriùs: ita inducitur ad alia opera bona exteriùs facienda: sed hæc non ponuntur actus fidei; ergo &c.

Si respondeatur, fidem ad alia opera bona concurrere mediantibus aliis virtutibus, & ideo solùm imperativè: ad confessionem verò fidei concurrere ut ad proprium actum, & nullâ aliâ virtute mediante, ac proinde elicitivè.

VIII. Contra est. Fides residet in intellectu, confessio autem fit ab ore, juxta illud Rom. 10. v. 10. *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem:* sed actus elicitus ab aliqua virtute debet esse in eodem subjecto, in quo est virtus, à qua elicitur; ergo non elicitur à fide.

Secundò. Fidei actus est supernaturalis: at confessio fidei est naturalis, cùm eliciatur ab ore, quod materiale est; ergo &c.

IX. Respondeo ad primam instantiam, nego min. Non enim est necessarium, quòd actus ab aliqua virtute elicitus, resideat in eadem potentiâ, in qua est virtus. Nam oratio est actus elicitus à Religione, quæ est in voluntate; cùm tamen ipsa oratio fit in intellectu. Sed, ut actus ab aliqua virtute dicatur elicitus, requiritur, & sufficit, quòd ab ea immediatè, hoc est non mediante alio habitu, reguletur, ac dirigatur: & quod secundùm suam speciem habeat laudem ab objecto formali, & honestate illius virtutis, & quod in illud tanquam in proprium finem ordinetur. Unde S. Thom. hoc *a.* 1. *ad* 3. dicit, quòd fides interior confessionem fidei producit, tanquam proprium actum nullâ aliâ virtute mediante.

Eodem modo dico *ad* 2. quòd confessio fidei, estò materialis, ut tamen immediatè regulata à fide, supernaturalis evadit in significando, & exprimendo.

X. Dici etiam potest, quòd estò fides residens in intellectu non possit se ipsâ immediatè juvare os materiale

ad eli-

ad eliciendam confessionem externam fidei; id tamen potest immediatè immediatione virtutis transeuntis transfusæ ad os: sicut ars, quæ residet in intellectu artificis, derivat quamdam virtutem ad manum, & serram ad faciendum scamnum: & habitus Philosophiæ residens in intellectu derivat in os Philosophi virtutem ad proferendam ore philosophicam demonstrationem. Unde sicut scamnum est verè opus ab arte elicitum, & demonstratio ore prolata verè est elicitivè ab habitu Philosophiæ: sic confessio fidei externa verè à fide est. Quando autem D. Tho. dicit, confessionem externam esse à fide, non mediante alia virtute; debet intelligi de virtute per modum habitus, & quæ non sit actualis influxus, & participatio fidei.

Ad secundum similiter dici potest; quòd licèt os sit materiale, attamen per virtutem derivatam à fide, quæ supernaturalis est, elevatur ad actum supernaturalem pariendum: sicut appetitus sensitivus estò materialis perficitur virtutibus supernaturalibus infusis. Quia, ut docet S. Tho. 1. 2. q. 56. a. 2. *Una virtus pertinere potest ad plures potentias: ita quòd in una sit principaliter, & se extendat ad alias per modum diffusionis, vel per modum dispositionis, secundùm quòd una potentia movetur ab alia, vel secundùm quòd una potentia accipit ab alia.*

XI. Objicies quartò. Negare exteriùs fidem non est actus infidelitatis. Nam S. Petrus negavit exteriùs fidem: & tamen infidelis, non fuit; ergo neque exteriùs confiteri fidem erit actus fidei.

XII. Respondeo, negare exteriùs fidem posse contingere, vel ex animo manifestandi internam incredulitatem: & sic actus infidelitatis est. Vel retinendo fidem interiùs, & illam exteriùs negando, solo metu mortis, sicut negavit S. Petrus: & sic quemadmodum in eo, qui solùm exteriùs confiteretur fidem, retentâ in corde infidelitate, confessio illa actus fidei non esset: ita in eo, qui exteriùs tantùm fidem negaret, retentâ fide in corde, illa negatio actus infidelitatis non esset, saltem per accidens, & ratione subjecti.

XIII. Objicies quintò. Christus exteriùs confessus est, se esse Filium Dei, Angeli annuntiaverunt Pastoribus ejus nativitatem, & Gabriel Virgini Incarnationem; Magdalena insuper ejus Resurrectionem Apostolis nuntiavit: & tamen tales confessiones non fuerunt actus fidei, quæ nec in Christo, nec in Angelis, nec in Magdalena, de Resurrectione Christi, fuit.

XIV. Respondeo, neque confessionem Christi, neque Angelorum, neque Magdalenæ, de Christi Resurrectione, fuisse confessiones fidei. Non enim fuit prolatio eorum, quæ cognoscebant per fidem; sed eorum, quæ sciebant per scientiam infusam, vel beatam, vel ocularem visionem, sicut Magdalena viderat Christum surrexisse. Sic nec confessio fidei facta ab hæretico est actus fidei divinæ, sed solùm naturalis, & acquisitæ persuasionis: cùm in hæretico fidem divinam non esse, superiùs ostensum sit.

DUBIUM II.

An detur Præceptum de Confitenda Exteriùs Fide?

§. I.

Existentia Præcepti Affirmativi.

I. DE duobus præceptis potest esse dubium; de affirmativo scilicet, & negativo. Affirmativum est de confitenda fide: negativum autem de fide non neganda. De utroque sermo erit: & primò de affirmativo. Quia verò præceptum affirmativum estò semper obliget, non tamen ad semper, sed aliquando, & in talibus circumstantiis loci, temporis &c. ut docet D. Tho. hâc q. 3. a. 2. ideo hìc quærimus: An detur præceptum

de confitenda exteriùs fide aliquando; ita ut aliquando non sufficiat, eam retinere in corde, deinde quæremus, quando obliget hoc præceptum.

II. Dico primò. Datur præceptum naturale, & divinum de confitenda exteriùs aliquando fidem. Ita S. Tho. hâc *q.* 3. *a.* 2. & probat primò ex illo Pauli, Rom. 10 v. 10. *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem:* ubi eamdem necessitatem statuit confessionis fidei pro salute, ac fidei internæ pro justificatione acquirendâ: at fides interna ex præcepto necessaria est ad justificationem; ergo confessio fidei ex præcepto necessaria est ad salutem. Unde *v.* 9. dixerat: *Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris, quòd Deus suscitavit illum à mortuis, salvus eris.* Videri potest Sanctus Thomas super dictum locum Apostoli, *lect.* 2. Quæ exponens etiam S. August. *l. de Fide, & Symbolo c.* 1. postquam dixit, quòd *fides officium à nobis exigit, & cordis, & linguæ,* subjungit: *Quandoquidem in sempiterna justitiâ regnaturi, à præsenti seculo maligno salvi fieri non possumus, nisi & nos ad salutem proximorum nitentes, etiam ore profiteamur fidem, quam corde gestamus.*

III. Probatur secundò ratione S. Thomæ. Potest dari casus, quòd ex omissione confessionis externæ fidei, subtrahatur cultus, & honor debitus Deo: vel utilitas proximi negligatur: vel hæretici, aut mali homines suspicentur, non esse vera, quæ Christiana professio docet; ergo aliquando tenebitur Christianus fidem, quam corde tenet, ore confiteri.

IV. Probatur tertiò. Illud cadit sub præcepto, quod est necessarium ad conservandam unitatem Ecclesiæ: sed confessio exterior fidei est hoc modo necessaria; ergo &c.

Min. probatur. Si enim fides, quæ corde geritur, ad aliorum aures, & corda voce aliquando non transmitteretur; unus non posset ab alio discere, nec alius alium fidem docere; quo tota visibilis Ecclesiæ fabrica subverteretur. Ut enim ait Paulus allato loco, v. 14. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sinè prædicante?* ergo quandoque fides signis externis est manifestanda.

V. Quando autem obliget hujusmodi præceptum: quidam in sententia fuerunt, præceptum confessionis fidei non obligare unquam ratione sui, sed solùm ratione aliarum virtutum; puta, cum ex omissione talis confessionis subtrahitur debitus cultus Deo, vel utilitas proximi impendenda. Quæ sententia videtur fuisse damnata ab Alexandro VII. *Propos.* 1. his verbis: *Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & caritatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Sententia tamen communis est, hominem ex vi præcepti divini teneri, non solùm credere, sed etiam aliquando fidem exteriùs confiteri.

§. II.

Tempus Obligationis talis Præcepti.

VI. Dico secundò. Tunc obligat præceptum divinum de confitenda exteriùs fide, quando per ejus omissionem subtrahitur debitus cultus, & honor debitus Deo, & utilitas proximo impendenda. Sic D. Tho. cujus verba debent intelligi de subtractione privativâ, non purè negativâ, idest, quando ex omissione hujus confessionis sequeretur ignominia Deo, vel periculum divini honoris, aut proximi utilitas negligeretur: *Puta* (inquit in corp.) *si aliquis interrogatus de fide taceret: & ex hoc crederetur, vel quòd non haberet fidem, vel quòd fides non esset vera, vel alii per ejus taciturnitatem averterentur à fide.* Et ibidem *ad* 2. ait: *Quòd in casu necessitatis, ubi fides periclitatur, quilibet tenetur fidem suam aliis propalare,*

lare, vel ad instructionem aliorum Fidelium, sive confirmationem, vel ad reprimendum infidelium insultationem. Sed aliis temporibus instruere homines de fide, non pertinet ad omnes Fideles. An autem, ut quis interrogatus teneatur fidem propalare, debeat interrogari ab habente publicam auctoritatem; ita ut si à privata personâ interrogatur, non teneatur, res erit inferiùs examinanda.

VII. Probatur autem Assertio. Tunc Fidelis tenetur confiteri exteriùs fidem suam, quando vocatur ut testis veritatum fidei. Tunc enim agitur causa Christi, & fidei; & si eam non confiteatur, periclitatur honor Dei, utilitas proximi, & fides ipsa: at tunc præcipuè advocatur ut testis in causa fidei, quando legitimè interrogatus in judicio, & à judice habente auctoritatem; ergo &c. Et hoc adeo certum est, ut oppositum damnatum fuerit ab Innoc. XI. *Proposit.* 18. quæ talis erat: *Si à potestate publicâ quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, ut Deo, & fidei gloriosum consulo: tacere, ut peccaminosum per se non damno.* Et meritò. Protestatur enim Christus, Matth. 10. v. 32. *Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in Cœlis est.* E contra autem, Lucæ 9. v. 26. *Qui* (inquit) *me erubuerit, & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua, & Patris, & Sanctorum Angelorum.*

Hinc interrogatio facta tempore persecutionis à Tyrannis, hanc obligationem regulariter inducebat: quia tunc publico certamine agebatur causa Christi; & Martyres vocabantur ut testes, & omissio Confessionis cedebat in injuriam fidei, & Dei. Culpandus propterea fuit ille, qui, referente Eusebio *lib.* 8. *Hist. c.* 3. urgente Diocletiani persecutione, aliis in conspectu tormentorum liberè confitentibus usque ad mortem fidem Christi, solus, cùm neque ad Idolorum aram accessisset, neque prophanum quidquam attigisset; nonnullis tamen ipsum sacrificasse dicentibus, calumniam silentio dissimulans aufugit: tenebatur enim, aperte negando se Idolis sacrificasse, & se Christianum confitendo, scandalum ab eorum mentibus auferre. Extra hos casus non adest obligatio fidem exteriùs confitendi.

VIII. Nec dicas. Præciso quocumque periculo honoris Dei, utilitatis proximi, & damni fidei, tenemur habere actum fidei interiorem pluriès in vita, ut decrevit Innoc. XI. damnans hanc propositionem, num. 16. *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundùm se.* Et istam, num. 17. *Satis est, actum fidei semel in vita elicere.* Ergo etiam præcisâ quacumque circumstantiâ tenebimur, aliquando fidem exteriùs confiteri, cùm is actus suam habeat honestatem.

IX. Respondeo enim, neg. conseq. Nam credere actu interno, sicut, & sperare, ac diligere sunt actus primarii harum virtutum habentes per se, & propter se honestatem: & sic obligamur, aliquando ipsos propter se, & eorum honestatem elicere. At confessio externa fidei, cùm sit actus secundarius, non cadit sub præcepto, nisi quatenus ex ipsa sequitur utilitas ipsi fidei: quæ utilitas non urget, nisi interveniant circumstantiæ supra allatæ.

X. Cum ergo persecutor fidei exigit à Christiano fidei confessionem, tenetur eam prodere, nec silentio, aut tergiversatione satisfacit. — Nec refert, an tyrannus, qui fidei confessio exposcit, sit superior ejus, qui rogatur, an non. Quia ratio, cur tunc oporteat fidem confiteri, non est auctoritas rogantis in rogatum: sed tùm honor, qui per tacentis erubescentiam Deo subtraheretur; tùm scandalum, & damnum, quod proximo obvenire natum esset. Quam ob causam etiamsi tyrannus, vel quisquam alius non urgeat, tenetur quis interdum fidem confiteri; si ex ejus silentio honor Deo debitus, vel utilitas proxi-

proximi periclitaretur. Et, ut ait D. Tho. in cap. 10. ad Rom. Lect. 2. *Præcipuè Prelati debent prædicare fidem subditis suis.*

XI. Petes. Quando auctoritas publica non publicè interrogat, ut cum Judex, vel Prætor solus Fidelem de sua fide interrogat, tenetur ne, eam confiteri?

XII. Respondeo affirmativè. Tùm quia: ita fecerunt Sancti Martyres, qui sæpius à tyranno, vel Præfecto solo, non judicialiter, sed privatè interrogati, fidem apertè confessi sunt. Tùm quia: si Fidelis ei responderet: Quid me interrogas? Quid tua interest? Reponere posset Judex, quia sum Judex, quia sum Prætor. Tùm etiam: quia si postea eum coram aliis interrogaret, & quod priùs apud eum confiteri ausus non fuerat, ut tenetur, confiteretur; daret occasionem, fidem nostram insimulandi instabilitatis, & incertitudinis. Quapropter sive potestas publica publicè interroget, sive privatè, apertè confitenda est fides Christi. Si tamen inquirens: an sit Christianus, inquirat Religionem, non Nationem, aut alios mores: quomodo Indi Occidentales cùm olim odio haberent Hispanos tanquam crudeles, & Hispanos nomine Christianorum significarent: quando quempiam rogabant, esset ne Christianus, intendebant quærere, non an Christum coleret, sed an esset de numero illorum, qui ab ipsis habebantur pro crudelibus homicidis, quos Christiano nomine designare solebant. Tunc enim, ait Bannez, non solùm dissimulare, sed & negare posset, se esse Christianum: quia, si non esset Hispanus, juxta mentem interrogantis verum responderet.

* * * * *

§. III.

De Præcepto Negativo.

XIII. Fidem persecutionis tempore impunè posse negari, error fuit Basilidis seculo secundo. Quem seculo tertio adoptarunt Helcesfeitæ, quos refert Eusebius *lib. 6. Hist. cap. 38.* dixisse: *Indifferentem rem esse, Christum abnegare, & eum, qui sapit, ore quidem tenus in ipso discrimine negaturum esse, sed non ex animi sententia.* Hunc errorem celebrem effecerunt Priscillianistæ, qui ut suos persuaderent, ad occultandas suæ Sectæ abominationes, pro dogmate statuerunt, licitum esse etiam cum juramento mentiri, Unde certum vulgatum apud illos axioma

Jura, periura, secretum pandere noli.

Contra hos egimus *Tom. 1. in 1. 2. Qu. 3. de Act. human. moralit. Dub. 7.* §. 2. quæ ibi dicta hæc revocanda sunt. Tandem Georgius David Anabaptista, seculo 16. hanc blasphemiam evomuit: stultum esse, si quis peccatum esse arbitratur, abjurare Christum coram hominibus: atque ideo stolidos fuisse Apostolos, & Martyres, quòd eam ob causam mortem subjissent. Contra hos tamen

XIV. Dico tertiò. Dogma Catholicum est, dari præceptum de fide non negandâ exteriùs, quamvis interiùs corde retineatur. Hoc apertè indicavit Christus, *Matth. 10. v. 33.* cum ait: *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in Cœlis est.* Et Paulus, *2. ad Timoth. 2. v. 12.* dicens: *Si negaverimus, & ille negabit nos.* Pœna verò adeo gravis, qualis est negari à Christo coram Patre suo, arguit gravem culpam, & violationem gravis præcepti. Probant & hoc verba Christi, §. præcedente allata, ex *Luca 9. v. 26.* Constat etiam, quia mentiri in re gravissimâ subtrahendo honorem

debi-

debitum Deo, est præcepto gravissimè prohibitum: at qui Christum, vel ejus fidem exteriùs negat, eâ retentâ in corde, mentitur in re gravissimâ, subtrahit honorem debitum Deo; ergo &c.

XV. Id confirmat exemplum S. Petri, & Marcellini Primi; quorum uterque exterius tantum fidem negavit, ut Patres omnes testantur, & historiæ sacræ Professores. Primus quidem verbo, Lucæ 22. *Non novi illum:* alter facto, thus enim obtulit Idolis: & tamen uterque lacrymosâ pœnitentiâ peccatum suum delevit. Petrus enim, Lucæ 22. v. 62. *Flevit amarè*. Et Marcellinus (si tamen verè lapsus) crimen suum publicâ humiliatione coram Concilio diluit. Dixi, si tamen ve è lapsus. Quia estò Baronius ad *ann.* 302. *nu.* 89. Marcellini lapsum admittere videatur; celebres tamen Historici illum, ut commentitium respuunt: inter quos noster Natalis Alexandre, *Hist. Eccl. sæcul.* 3. *dissert.* 20. *artic. unico*. Imò S. Augustinus ipse, *lib. de Unico Baptismo contra Petilianum cap.* 16. Marcellini, Melchiadis, Marcelli, & Sylvestri Præsbyterorum eius lapsum fictitium, & sine ullo documento prolatum pronuntiat. Suppositum etiam prælaudati auctores traducunt Concilium illud Sinuessanum, in quo lapsum suum purgasse dicitur Marcellinus. Sed hæc ad rem nostram non sunt. Ut ut sit: qui Marcellini negationem asserunt, eum quoque negando, graviter peccasse affirmant.

XVI. Confirmat hoc etiam severa antiquæ Ecclesiæ disciplina, quæ gravissimis pœnis subiiciebat negantes exteriùs fidem: ut constat ex tot Conciliis in hac causâ celebratis, præsertim contra Libellaticos. Hi nimirum erant, qui urgente persecutione, illius declinandæ causâ, pecuniam dabant Magistratibus, ut libellos obtinerent; ne cogerentur Idolis sacrificare. Ex his tamen aliqui innocenter operabantur, vel saltem minùs culpabiliter, ut ait S. Cyprianus *Ep.* 52. tantùm enim libellos procurabant, ut à se averterent vexationem, absque ulla fidei ejuratione, imò cum opposita protestatione. Alii autem libellos obtinebant, ut protestativos eiuratæ Religionis, vel ut professivos Gentilitatis, & oblati thuris clam, & secretè: vel quia coram Judice negaverant Christum, licèt Christum corde retinerent. Et contra istos severissimè egit antiquitas. Contra hos graviter scripsit Cyprianus lib. de lapsis, eosque Clerus Romanus, *Ep.* 31. *inter Epistolas Cypriani* damnat. Signum ergo est, gravissimè peccare, qui etiam ex motivo vitandæ mortis, aut gravissimæ persecutionis, verbo, vel facto exteriùs fidem negat, etiamsi eam corde retineat. Videantur Canones de hoc editi à Concilio Eliberitano, Ancyrano, & à Niceno *Can.* 10. 11. *&* 12.

XVII. Ex his consequitur, non licere etiam exteriùs negare, se esse Christianum; vel asserere, se esse alterius Religionis, quàm Christianæ. Eiusmodi enim locutiones sunt negationes Christi: cùm sint negationes fidei in Christum. Unde Augustinus (relatus 11. q. 3. cap. *Non solùm*) dicit: *Non solùm ab eo negari Christum, qui dicit, eum non esse Christum; sed ab illo etiam, qui cùm sit, negat se esse Christianum. Dominus enim non ait Petro, discipulum meum te negabis; sed, me negabis. Negavit ergo ipsum, cùm se negavit, ejus esse discipulum.* Et *Tract.* 66. ait: *Quanta enim vita est, confiteri Christum, tanta mors est, negare Christum. An Apostolus Petrus, sicut eum quidam favore perverso excusare nituntur, Christum non negavit, quia interrogatus ab ancilla, hominem se nescire, respondit?* Quia tamen hoc moderni Acatolicorum quidam oppugnant; ideo accuratiùs punctum hoc examinandum est.

DU-

DUBIUM III.

An Liceat aliquando Verbo, vel Facto Negare Fidem?

§. I.

Resolutio Dubii.

I. Secta Libertinorum, nostrâ hâc ætate plurimùm dilatatâ in Anglia, pro dogmate statuit: licere fidem exteriùs negare, eâ interiùs retentâ. Hoc idem sentiunt plerique Calvinistarum, & Anabaptistarum in Transilvania. Hi enim (auctore Staphylo *lib. de Lutheranorum concordia*) existimant, sibi licere, si rogentur, an sint Anabaptistæ, se esse negare: satis omnino esse, si ipsimet clam, quid credant, sciant: palam confiteri non esse opus, dicti propterea *Clancularii*.

II. Huic errori vires auxit quorumdam doctrina permittentium, ut licitam, restrictionem mentalem in casu gravi: cùmque gravissimus reputetur iste, propter gravissimas pœnas in Catholicos stabilitas in regionibus hæreticorum; inde mussitari cœptum est: an liceat applicare hanc doctrinam ad periculum persecutionis vitandæ, nimirum, exteriùs Romanam Ecclesiam negando, reservatâ tamen interiùs restrictione, nimirùm, *ut tibi dicam, ut pœnas effugiam &c.* Interiùs tamen firmiter retinendo fidem Catholicam Romanam. Quam tamen doctrinam damnatam existimo ab Innoc. XI. *Proposit.* 25. 26. 27. 28. *&c.*

Huic accedere videtur alia, quæ hisce temporibus circumfertur, de usu materiali verborum, docens: in quibusdam casibus ad evitandum grave damnum, vel sibi, vel aliis, posse quempiam interrogatum, an sciat hoc, vel an fecerit (etsi sciat, vel revera fecerit) sinè mendacio respondere: *nescio*, aut *non* feci. Quia in ea circumstantiâ censetur, Rempublicam deponere illa verba à sua significatione; & proinde ea hominem tunc adhibere pure materialiter, seu, ac, si nihil significarent. Contra quam doctrinam eruditè scripsit noster P. Orsi.

III. Dico ergo. Nullo prætextu, ac nullo in casu licet exterius verbo, vel facto fidem negare, etsi interius retineatur in corde. Constat ex dictis §. 3. præcedentis Dubii.

Ulteriùs autem sic probatur. Major est obligatio profitendi fidem in statu legis novæ, quàm veteris: sed in statu legis veteris non erat licitum, etiam instante persecutore fidem negare; ergo multò minùs in lege novâ. Maj. patet. Quia lex vetus omnia in umbra, & figurâ proponebat: major est autem obligatio profitendi veritatem, quàm umbram; quia obligatio profitendi figuram erat propter veritatem, quam figurabat. Ac proinde cùm fidei articuli explicatiùs proponantur in lege novâ, explicatiùs, & fortiùs urget obligatio eam profitendi. Min. verò probatur ex facto Eleazari, *lib. 2. Machab. c. 6.* qui cùm ore hiante compelleretur, carnem porcinam manducare, v. 20. *Destinavit, non admittere illicita propter vita amorem*. Et licèt ab amicis suasus, ut clàm tales carnes comederet, & sic externè secretò legem Judaicam ejuraret, respondit: se velle potiùs in Infernum præmitti, quàm hanc maculam nomini suo inurere, & hoc scandalum relinquere posteritati. quæ Eleazari exemplo sibi hoc licitum faceret; concludens *v. 26.* quòd hæc faciens: *Etsi de præsenti tempore suppliciis hominum eripiar, sed manum Omnipotentis nec vivus, nec defunctus effugiam*. Ex re autem licitâ, nec maculam sibi acquireret, nec scandalum pareret, nec iram Omnipotentis provocaret. Similia Christus tradidit Apostolis, toto ferè *cap. 10.* Matthæi. Ubi prænuntians mala, quæ passuri erant apud Reges, & Præsides propter suum nomen: tantum absuit, ut eis permitteret fidem suam coram eis negare,

quin

quin potiùs ad omnia ea fortiter perferenda adhortatus est. Jubens, ne timerent eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potiùs timerent eum, qui potest animam, & corpus mittere in Gehennam; comminatus tandem, quòd qui negaverit ipsum coram hominibus, & ipse negabit eum coram Patre suo. Si autem hoc præceptum in aliquo casu, ob tuendam vitam, non obligaret, eis Christus id concessisset: sicut fugam à persecutione eis permisit, dicens ibi v. 23. *Cùm autem persequi vos fuerint in Civitate istâ, fugite in aliam*. Martyrium quoque septem Machabæorum fratrum, quod eodem *l. 2. c. 7.* narratur, hoc idem confirmat: si enim advertantur locutiones illorum, nil aliud sonant, nisi illicitum eis fuisse, etiam ob mortem vitandam, patriam fidem exteriùs negare.

IV. Pro hac veritate strenuè, & constanter militarunt S.Cyprianus *l. de Lapsis*, & alibi Tertullianus in *Apologet. cap. 27.* dicens: *Sed quidam dementiam existimant, quòd cùm possimus, & sacrificare in præsenti, & illæsi abire, manente apud animum proposito, obstinationem saluti præferamus*. Cui objectioni Tertullianus respondet: *Datis consilium, quo vobis abutamur: sed agnoscimus, unde talia suggeruntur, quis totum hoc agitet: & quomodo nunc astutia suadendi, nunc duritia saviendi, ad constantiam nostram dejiciendam operetur: ille scilicet spiritus angelica, & dæmoniaca paratura, qui noster ob divortium æmulus, & ob Dei gratiam invidus, de mentibus vestris adversùs nos præliatur*. Et meritò: exteriùs enim colere aliquem, ut Deum, & eum interiùs detestari; alterius consilium esse non potest, quàm Dæmonis, qui solus cultu irrisorio, & mendaci delectari potest.

V. Item S. August. *l. contra Mendacium c. 2.* Priscillianistas arguens, qui abutebantur versiculo 3. Psalmi 14. *Qui loquitur veritatem in corde suo* quasi satis esset ad justitiam, coram proximis non mentiri, coram alienis verò liceret; in pravum sensum detorquentes etiam dictum Pauli ad Ephes. 4. v. 25. *Deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra*: ita loquitur. *Quæ sententia sanctos Martyres exhonorat, imò verò aufert sancta omnino martyria. Justiùs enim, sapientiùsque facerent secundùm istos, si persecutoribus suis non se confiterentur esse Christianos, nec eos suâ confessione facerent homicidas; sed potiùs mentiendo, & negando quod erant, & ipsi salvum haberent carnis commodum, cordisque propositum, & illos conceptum animo scelus implere non finerent*. Ita acutè ratiocinatur S. Doctor.

VI. Probatur tandem. In nullo casu potest esse licitum, quod ex sua naturâ contrariatur pluribus virtutibus: hujusmodi autem est negare exteriùs fidem. Contrariatur enim fidei, cujus actus, saltem secundarius, est ipsa exterior fidei professio, ut vidimus. Contrariatur fortitudini, quia, qui negat fidem, præponit summæ honestati humanum timorem. Contrariatur justitiæ legali, per quam Ecclesiæ obligatur, cui illa negatio est omnino injuriosa. Contrariatur Religioni, quia Dei veracitas suo cultu privatur; dum magis potestas hominis timetur, quàm ipsa æstimetur. Contrariatur demum veracitati, quia qui exteriùs negat fidem contra id, quod habet in mente, gravissimè mentitur, ut dictum est.

§. II.

Hæreticorum Momenta.

VII. Primò opponebant Gnostici. Christus non exigit à nobis, ut subeamus martyrium pro ipso; cùm enim pro nobis semel mortuus sit, non indiget nostra morte: at si nos obligaret ad non negandam fidem coram tyranno, obligaret nos ad martyrium; ergo &c. Sicut ergo non requirit à nobis sanguinem hircorum,

eorum, ac taurorum, quia sanguine suo expiavit maculas hominum: ita minùs requirit sanguinem nostrum.

Confirmabant. Si Deus hominum sanguinem flagitaret, crudelis esset. Rursus: vellet hominem perire sinè causâ.

VIII. Respondeo. Si præfatum argumentum valeret, concluderet quoque, quod cùm Deus humiliatus sit, & factus obediens pro nobis, non posset à nobis requirere, neque humiliationem, neque obedientiam, sive observantiam mandatorum. Sicut ergo ista requirit à nobis, & quia ipse prior pro nobis fecit; & quia ipsius majestati, & excellentiæ debentur: ita, cùm oportuerit, pro ipso mori debemus; & quia ipse pro nobis mortuus est, & quia hoc ei debetur, ut eum plus diligamus, quàm animam nostram, & ut pro ejus honore tuendo, eam tradamus. Si enim 1. Joann. 3. v. 16. *Quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere*, quantò magis eas ponere debemus pro ipso, ejusque honore tuendo?

IX. Ad Confirm. dico, non sequi, Deum esse crudelem, sed justum: justum enim est, ut animam nostram tradamus pro eo, qui animam suam pro nobis posuit. Et sicut Deus crudelis non fuit, cum filium suum pro nobis tradidit: ita crudelis non est, dum à nobis exigit, ut pro ejus fide, ac honore tuendo vitam tradamus. Ita Tertullianus in scorpiaco adversùs Gnosticos c. 7. *Vides* (inquit) *quomodo etiam proprium suum Filium Primogenitum, & Unigenitum sapientia divina jugulaverit, utique victurum, imò & cæteros in vitam reducturum. Possum dicere cum Sophia Dei: Christus est, qui se tradidit pro delictis nostris, jam & semetipsam Sophia trucidavit. Verba non solo sono sapiunt, sed & sensu. Nec auribus tantummodo audienda sunt, sed & mentibus. Crudelem Deum, qui non intelligit, credit.* Si ergo non fuit crudelis Deus, qui Filium suum tradidit, nec fuit crudelis Christus, qui seipsum morti obtulit, ne nos moreremur: nec crudelis dicendus est, si vult, nos mori pro ipso, ne ipsum negando in æternum moriamur. Unde exclamat idem Tertullianus. *Ob parricidii ingenium, ob sceleris artificium, ob argumentum crudelitatis, qua idcirco occidit, ne moriatur quem occiderit!* Non ergo à nobis sanguinem nostrum sinè causâ exigit Deus, nec sinè causâ vult, nos perire; sed vult, nos perire temporaliter, ne in æternum moriamur: imò ut in æternum vivamus, juxta illud, Matth. 10. v. 39. *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Et Joan. 12. v. 25. *Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.*

X. Secundò opponebant Helceseitæ. Exterior fidei confessio solum necessaria est propter proximos: sed propter proximos non tenemur dare vitam; ergo &c.

Respondeo, falsam esse majorem, & minorem. Major est falsa: quia non negare fidem, non est solùm necessarium propter proximum, sed propter ipsum Deum; cujus honorem tueri debemus, ut dictum est. Minor quoque: quia propter utilitatem spiritualem proximi tenemur vitam corporis tradere, ejuxta laudatum dictum 1. Jo. 3. v. 16. *Quoniam ille* (Christus) *animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.*

XI. Tertiò opponebant, post Helceseitas etiam Priscillianistæ apud S. August. *l. contra Mendacium c. 2.* Licet exteriùs simulare falsam religionem; ergo licebit exteriùs negare veram: quia simulatio falsi est quædam negatio veri, & quædam species mendacii. Ant. probabant exemplo Jehu 4. *Reg.* 10. *v.* 30. qui cùm simulasset cultum Baal una cum Sacerdotibus ejus, ut eos occideret, laudatus fuit à Deo, dicente: *Quia studiosè egisti, quod rectum erat &c.* Unde in favorem Priscillianista-

nistarum qui huic exemplo maxime fidebant, sic ait citato loco: *Si enim Jehu .... servum Baalis se esse mentitus est, ut servos ejus occideret: quantò justiùs secundùm istorum perversitatem, tempore persecutionis, servos Dæmonum se mentirentur servi Christi, ne servi Dæmonum servos occiderent Christi, & sacrificarent Idolis, ne interficerentur homines, si sacrificavit ille Baali, ut interficeret homines? Quid enim eis obesset, secundùm egregiam doctrinam mendaciloquorum, si Diaboli cultum mentirentur in corpore, quando Dei cultus servabatur in corde?*

XII. Respondeo, neg. ant. Ad factum Jehu respondi *Tom. 7. in 1. 2. q. 3. de Act. human. moralit. Dub. 4. §. 3. à num. 13.* quæ huc revocanda sunt. Modò dico, Jehu reverâ peccasse, neque excusandum esse à mendacio; commendari tamen, & temporaliter remunerari à Deo, non pro simulatione, sed pro zelo destruendi cultum Baal. Finis ergo fuit rectus, sed medium, quod assumsit, iniquum. Videatur S. Thom. 2. 2. *q.* 111. *a.* 1. *ad* 2.

XIII. Quartò opponi potest. Reus potest mentiri in judicio illegitimè interrogatus: sed quilibet Tyrannus Ecclesiæ persecutor in materia fidei illegitimè interrogat; ergo potest Catholicus coram eo mentiri, exteriùs negando fidem.

XIV. Respondeo, neg. maj. Nullo enim in casu licitum est facere, quod ab intrinseco est malum, sicut mentiri; & maximè quando agitur de causa Christi, & Ecclesiæ. Tunc enim, non ob auctoritatem interrogantis, sed ob honorem Dei, & Christi, pro quo testis vocatur, & consequenter pro veritate, nec dissimulare potest Christianus, nec negare. Sic Christus mittens Apostolos sui testes in omnem gentem præmonuit eos, ut non timerent; sed si sisterentur coram Tyrannis, veritatem faterentur. In Apostolis totam Ecclesiam, ejusque singula membra edocuit, ut coram Judicibus verba spiritus veritatis, & non mendacii loquerentur. Verba autem Christi non ad solos Apostolos, sed ad omnes omni tempore Fideles pertinere, fusè ostendit Tertullianus in *Scorpiaco cap.* 9. videndus.

§. III.

An Fidelis interrogatus ab habente Privatam Auctoritatem possit Fidem negare?

XV. Non dimicamus amplius contra hæreticos, sed inter Catholicos certamen est. Quidam enim existimant, nunquam licere verbis negare fidem: sive quis interrogetur ab habente publicam auctoritatem, sive à persona particulari, & privatâ. Horum fundamenta sunt. Qui enim sic negaret fidem, honorem debitum Deo subtraheret; & contingere posset, ut damnum, & scandalum præberet Fidelibus: qui videntes eum fidem negare, vel judicarent, eum fidem non habere, vel fidem non esse veram. Et ponunt exemplum Petri: qui certè interrogatus non fuit à persona publicam auctoritatem habente, utpote interrogatus ab ancilla, & à famulis inferioris notæ; & tamen Petrus graviter peccavit. Quare absolutè dixit Christus, Matth. 10. v. 33. *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo*; non autem dixit: qui negaverit me coram hominibus publicam auctoritatem habentibus. Postremò: mentiri semper est malum; & non negare fidem, utpote præceptum negativum, obligat semper, & ad semper.

XVI. Alii, inter quos Ferre, sustinent, licitum esse negare fidem ei, qui à persona non habente publicam auctoritatem interrogatur. Nam interrogatus à persona privatâ, an sit Christianus, & respondens *non sum*, verum dicit: quia sic respondens, intelligitur ex parte subjecti ponere hæc verba: *Ego legitimè interrogatus, Christianus non sum*. Quæ propositio, cùm,

cùm sit negativa, de subjecto non supponente, quia, qui sic respondet, non est legitimè interrogatus, verè est. Hæc tamen opinio licèt probabilis, videtur recurrere ad usum restrictionis mentalis, addendo intra se aliquod verum, quod non excusat à mendacio: & oppositum damnatum fuit ab Innoc. XI. *Proposit.* 26.

XVII. Tutius ergo existimo, eum, qui privatâ auctoritate interrogatur de fide, estò, eam sinè mendacio negare non possit, non teneri tamen eam confiteri; quia hoc est præceptum affirmativum: sed posse absque peccato, saltem lethali, dubio aliquo sermone uti, vel interrogationem repellere, tanquam impertinentem dicendo: *Quid me interrogas? Quid tua refert, Christianus ne sim, nec ne?* Ejusmodi enim, vel taciturnitas, vel locutio, neque subtrahit honorem Deo debitum, neque proximo utilitatem: cùm nemo rationabiliter possit colligere, quòd taliter interrogatus, & respondens non sit Christianus. Quòd si hæc interrogatio quamvis à persona privatâ fieret eo loco, & tempore, & in circumstantiis, in quibus ageretur causa Christi; in quibus quilibet Fidelis stat, ut testis fidei, Ecclesiæ, & Christi: si ex tali silentio, aut tergiversatione subtraheretur debitus cultus Deo (quod maximè accideret, si in loco publico coram pluribus interrogaretur) tunc teneretur etiam apertè confiteri fidem suam.

§. IV.

An pejus sit Exteriùs negare Fidem Verbis, an Facto?

XVIII. Fides Christi exteriùs negari potest, aut verbo, aut facto. Verbo negavit Petrus, facto negavit (si tamen verum est de quo supra dubitavimus) Marcellinus, quando thus adolevit Idolis. Quæritur: An pejus sit hoc secundum, quàm primum?

Respondeo affirmativè. Et probo: Qui fidem negat verbo, illam voce certè negat, sed falsam sectam opere non profitetur: qui autem eam negat facto, ipsam negat opere, & falsam sectam exteriùs profitetur. At gravius est peccare opere, quàm verbo: sicut enim in actionibus bonis magis bona, & meritoria sunt opera, quàm voces: ita in malis gravius est, imò gravissimum, facto negare fidem, quàm verbo; quia hoc duo mala includit, & negationem veræ, & professionem falsæ Religionis.

XIX. Confirmatur. Ideo negare fidem verbis sacrilegum mendacium est, quia per illud Christianus mentitur Deo: si enim malum est, hominem mentiri homini, quantò pejus est, hominem mentiri Deo? Hinc Petrus, ut ostenderet Ananiæ, quàm grave eius mendacium fuisset, Act. 5. v. 4. *Non es* (inquit) *mentitus hominibus, sed Deo.* At turpiùs mentitur Deo, qui fidem negat facto, quàm verbo. Nam is voce quidem negat, sed facto non convenit in cultu cum Infidelibus: ille autem & facto ritibus, & cultui Infidelium exteriùs immiscetur: hoc autem pejus est; ergo &c.

§. V.

An qui Verbo, vel Facto negavit Fidem exteriùs, eâ interiùs corde retentâ, subjiciatur Ecclesiasticis Censuris contra Infideles latis?

XX. Respondeo negativè cum communi Doctorum, quos refert Diana *Tom.* 5. *tract.* 8. *resol.* 25. Sylvius in 2. 2. *q.* 11. *a.* 3. *concl.* 2. Et ratio est. Quia pœnæ, & censuræ ecclesiasticæ latæ sunt contra infidelitatem simpliciter talem, & consummatam; hæc autem sola est, quâ quis & ore, & corde abjicit fidem: at qui ob metum, aliamve causam exteriùs quidem voce dicit, se fidem abjicere, eam tamen constanter in corde retinet,

net, fidem non abjicit, sed retinet; ergo &c.

Rursus: ille talis non est verè hæreticus, ut communiter Doctores apud Albitium de Inconst. in f de p. 1. c. 7. num. 14. & ratio est. Quia non datur hæresis, ubi non datur error in intellectu: sed in eo, qui, licèt exteriùs fidem neget, eam tamen interiùs constanter retinet, non est error in intellectu: quia firmiter credit quidquid credit Ecclesia Catholica; ergo &c. Et proinde ejus peccatum est quidem crimen mendacii in re gravissima; non est tamen crimen hæresis à solo Papâ absolvendum, ac inducens censuras contra hæreticos latas.

XXI. Non latet, Ecclesiam hujusmodi homines punire, tanquam hæreticos, & absolvere à censuris in Tribunali Inquisitionis. Sed id oritur ex eo, quòd hoc Tribunal non judicat de internis; sed dum videt, hunc exteriùs ejurasse fidem, præsumit, eum etiam mentaliter à fide defecisse: & ideo ad cautelam absolvit, tanquam sibi vehementer suspectum. Si tamen accedat ad confessionis tribunal, in quo creditur pœnitenti sincerè, & candidè contra se ipsum, vel pro se ipso testificanti; si absque fuco deponat, se quidem voce exteriùs negasse, sed nunquam assensum interiorem præstitisse contra fidem: hoc ipso debet esse certus Confessarius, eum non fuisse propriè hæreticum, ac censuras non incurrisse, eumque in foro conscientiæ absolvere debet. Advertit tamen Sylvius citatus, eum, qui exterius negavit fidem, se pro excommunicato gerere debere coram eis, qui externam negationem noverunt, sed nesciunt, animo semper fidem retinuisse. Imò, ne præveniatur, debere quàm primum Tribunali S. Inquisitionis se sistere, & ut etiam in foro externo maneat absolutus.

XXII. Dices tamen. Qui negat fidem exteriùs, eadem, imò majora damna infert Ecclesiæ, ac proximis, eodem honore privat Deum, ac privaret, si eum negaret etiam interiùs: sed ad hæc punienda latæ sunt censuræ; ergo &c.

Confirmabis: magia, & usura purè externa subjicitur pœnis, & censuris latis ab Ecclesia contra magos, & usurarios; cur ergo iisdem pœnis non subjicietur etiam apostasia à fide merè externa?

XXIII Respondeo, neg. min. Censuram enim tulit Ecclesia, nedum ob prædicta mala; sed præcipuè, ne quis à religione, quàm semel professus est, verè recedat: qui autem solo verbo eam negat, à fide simpliciter non recedit; quia eam corde retinens habet actum primarium fidei, estò recesserit à secundario.

XXIV. Ad Confirm. nego conf. & disparitas est. Quia Ecclesia censuris contra magos, & usurarios prætendit vitare externum malum, quod fit per maleficia, & damnum ex acceptione lucri ex mutuo proveniens: at censuris latis contra hæreticos solùm intendit punire hæresim. Qui autem solùm ore à fide recedit, non incidit in hæresim, neque fidem mente derelinquit: & ideo censuris in hæreticos latis non subjicitur. Et eâdem ratione licèt qui furatur, vel occidit, verè sit fur, & homicida, sive id fecerit ex malitia, sive ex metu, aut vi; non tamen est hæreticus verè, qui solum actu externo negat fidem. Quia in primo casu adsunt omnia ad verum furtum, & homicidium requisita; nempe, ablatio rei alienæ invito domino, & occisio hominis privatâ auctoritate. At in secundo casu cùm non adsit voluntarius error in intellectu, non adest verum hæresis constitutivum.

DU-

DUBIUM IV.

An liceat Occultarè Fidem simulando Actiones Protestativas falsæ, ac damnatæ Sectæ?

§. I.

Præmittuntur Opiniones.

I. SUppono dupliciter posse contingere, aliquem simulatoriè cultum falsæ sectæ protestativum exteriùs exercere. Uno modo, seriò in Templo Idololatrico, realiter fingendo adorare idolum, thus adolere &c. vel cum Idololatris idolothita, sive cum hæreticis cibos vetitos, quorum comestio sit protestativa eorum sectæ, comedendo; interiùs tamen protestando, se non adorare, aut sacrificare, aut comedere causâ protestandi falsam sectam, sed tantùm ob vitandam mortem, vel aliud grave periculum. Alio modo, non seriò, sed jocosè, & ludicrè; quemadmodum similes repræsentationes fieri solent in comædiis, & theatris. Et hoc modo si constet, tales actus non induci ad falsæ sectæ protestationem, vel honorem, aut ad Fidelium subversionem, neque scandalum adsit; sed potiùs exhiberi ad repræsentandum ludicrè id, quod apud falsæ sectæ professores fit, non est per se illicitum: nec de simulatione hoc secundo modo procedit dubium, sed tantùm de primo.

II. Circa quod primò ocurrit sententia Hadriani *in 4. q. 1. de Baptismo art. 1. ad 5.* asserentis: licitum esse, occultare fidem ritu, aut actione quâdam externâ, quâ dissimuletur Christiana Religio, tribus tamen servatis conditionibus. Prima, ut simulatio careat mendacio. Secunda, ut absit periculum scandali. Tertia, quòd non urgeat præceptum exteriùs confitendi fidem. Adrianum sequitur Lorca, citans pro se Medinam, quatenus asserit, licitum esse Christiano uti circumcisione ob honestum aliquem finem sanitatis, aut mortificationis carnis, non obstante, quòd sit ritus legis Mosaicæ protestativus.

III. Secunda sententia asserit: licitum esse, occultare fidem, gestando vestes proprias, aut distinctivas falsæ sectæ, aut ad cultum falsum institutas: negat tamen, posse occultari licitè fidem utendo cæremoniis, aut ritibus damnatæ sectæ. Ita Suarez, & alii.

Tertia verò negat: licitum esse tàm usum vestium, quàm rituum, si sint damnatæ sectæ protestativi. Et quia hæc sententia videtur conformior veritati; ideo

§. II.

Resolutio Dubii.

IV. DIco. Non licet uti vestibus, ritibus, aut cæremoniis, aut actionibus ex natura suâ, vel humanâ lege institutis ad protestandam falsam Religionem.

Id colligo primò ex usu Ecclesiæ antiquæ: hæc enim severissimè animadvertit in eos, qui Sacrificiis, cibis, aliisque damnatæ sectæ ritibus, quomodolibet se immiscuerunt, licèt non ex animo falsam fidem protestandi hoc fecerint. Hinc in Conc. Hierosolymitano præceperunt Apostoli *Actor. 15. v. 29.* ut Fideles abstinerent ab *immolatis simulacrorum*. Quibus cohærenter Paulus, 1. Cor. 8. v. 7. *Quidam autem* (inquit) *cum scientia usque nunc Idoli, quasi idolothitum manducant, & conscientia ipsorum, cùm sit infirma, polluitur*. Et *cap. 10. v. 19.* qui talia agunt, dicit, participes esse velle mensæ Domini, & mensæ Dæmoniorum. Quare S. Leo, *Epist. 79.* modò 129. *ad Nicetam Aquileensem cap. 5.* purgari jubet servos, qui vel metu, vel fame compulsi immolatitia comederant. Quod mandavit etiam Gregorius Secundus, etiamsi super immolatitia signum Crucis adhiberent;

ut

ut constat ex *Epist.* 2. ejusdem *ad Bonifacium*. Cùm ergo eadem ratio sit de vestibus, aut ritibus protestativis falsæ sectæ, ac de cibis, utrumque censeri debet illicitum.

V. Secundò prob. Sub eodem præcepto affirmativo, sub quo cadit actus internus credendi, cadit etiam externa confessio fidei, ut diximus; ergo sub eodem præcepto negativo, sub quo cadit actus internus non adorandi Idolum, & non faciendi interiùs ullum actum protestativum falsæ religionis, cadit etiam externa non adoratio, & protestatio: sed vetitum est, ita ut nunquam liceat, internè colere Idola, aut internè fidem falsam protestari; ergo eâdem ratione vetitum est, ita ut nunquam liceat tales actus exteriùs facere.

VI. Tertiò prob. Vetitum prorsus est in quacumque circumstantiâ negare exteriùs fidem Christianam: at qui ritus alienæ sectæ exteriùs simularet, & seriò persolveret, exteriùs fidem Christianam negaret; ergo &c. Min. prob. Dum Princeps infidelis lege publicâ statuit, actiones aliquas, vel ritus ad protestandam suam falsam sectam; tali lege interrogat, ut publicam habens auctoritatem de religione: cui responsio datur per usum prædictorum rituum, & exercitium talium actionum; ergo quicumque eas exercet, eisque utitur, respondet, se esse falsæ sectæ, & negat exteriùs religionem suam, ac subinde mentitur.

VII. Quartò prob. In usu prædictorum rituum, & actionum exercitio est verè peccatum simulationis falsæ sectæ; ergo non licèt Fideli eis uti. Ant. prob. ex D. Thom. 2. 2. *q.* 111. *a.* 1. dicente: *Ad virtutem veritatis pertinet, ut quis talem se exhibeat exteriùs per signa exteriora, qualis est. Signa autem exteriora non solùm sunt verba, sed etiam facta. Sicut ergo veritati opponitur, quòd aliquis per verba exteriora aliud significet, quàm, quod habet apud se, quod ad mendacium pertinet: ita etiam opponitur veritati, quòd aliquis per aliqua signa factorum, vel rerum aliquid significet contrarium ejus, quod in eo est, quod propriè simulatio dicitur. Unde simulatio propriè est mendacium quoddam in exteriorum signis factorum consistens.* Unde *q.* 94. *a.* 2. concludit: quòd *cùm exterior cultus sit signum interioris cultus, sicut est perniciosum mendacium, si quis verbis asserat contrarium ejus, quod per veram fidem tenet in corde: ita etiam est perniciosa falsitas, si quis exteriorem cultum exhibeat alicui contra id, quod sentit in mente. Unde Augustinus dicit contra Senecam* in 6. de Civit. Dei c. 10. *Quòd eò damnabiliùs colebat Idola, quò illa, quæ mendaciter agebat, sic ageret; ut eum populus veraciter agere existimaret.* Et a. 3. *Sicut enim* (inquit) *in terrena Republicâ gravissimum esse videtur, quòd aliquis honorem Regium alteri impendat, quàm vero Regi; quia quantùm in se est, totum Reipublicæ perturbat ordinem: ita in peccatis, quæ contra Deum committuntur, quæ tamen sunt maxima, gravissimum esse videtur, quòd aliquis honorem divinum creaturæ impendat; quia quantùm est in se facit alium Deum in mundo, minuens principatum divinum.* Hoc autem facit ille, qui aliquo signo falsi cultus exteriùs simulat aliam Religionem non veram, quamvis interiùs non consentiat.

Ex quo sequitur, talem externam protestationem cultus adeo impiam esse, ut nunquam ratione parvitatis materiæ excusari possit. Opponitur enim primo Decalogi præcepto: *Non habebis Deos alienos coram me* (Exod. 20. v. 3.) quod cum sit negativum, & semper in re gravissimâ, omni ex parte aggravat ejus transgressionem.

VIII. Hæc tamen intelligenda censeo, quando tales ritus præciperentur in protestationem falsæ sectæ. Tunc enim pœna potiùs ultimi supplicii subeunda esset, quàm eis utendo falsam sectam exteriùs simulare, exemplo supra allato Eleazari: qui mori potiùs voluit, quàm cibos vetitos etiam clan-

clanculum gustare. Et Danielis, qui c. 1. v. 8. proposuit sibi cum sociis, se non inquinare cibis de mensa Regis Babylonii, quos sciebat apponi in venerationem Idolorum. S. Luciani Martyris, qui, referente Spondano ad ann. 311. *num.* 1. omnibus aliis cibis sibi in carcere interdictis, præter idolothyta, mori potiùs fame voluit, quàm iis contaminari. Quod facere deberet quoque Catholicus in terris hæreticorum, si ei apponerentur carnes diebus prohibitis; ut eis in protestationem sectæ Lutheranæ, vel Calvinisticæ vesceretur. Qua ratione etiam S. Hermenegildus sacram Communionem ab Episcopo Ariano sibi oblatam recusavit; quia sciebat, sibi à Patre mitti, ut per eam, sectam Arianam profiteretur.

IX. Cæterùm si Fideli apud infideles versanti non alii cibi, quàm immolatitii, nec aliæ vestes, quàm significativæ falsæ sectæ suppeterent; ei tamen non præciperetur, ut in protestationem falsæ sectæ uteretur: in tali casu sequi deberet consilium Pauli, 1. Cor. 10. v. 25. *Omne, quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam.* Sed solùm attendendo, quòd cibi sunt, & creaturæ Dei, sicut & quòd vestes sunt ad tegendum corpus: ac præsertim declarando, se tales cibos emere, & manducare, tales vestes assumere, non ad protestandam falsam sectam, sed ad propriæ necessitati subveniendum.

Et hoc, etiamsi nosset hoc fieri, ut Fideles vexarentur. Quare refert Theodoretus, *l.* 3. *Hist. c.* 15. quòd cum impiissimus apostata Julianus, ut Christianos in angustias redigeret, jussisset, aquas omnes abominandis Sacrificiis contaminari, & cuncta similiter, quæ in foro venalia erant, ut Christiani communione sceleris inficerentur; panes etiam, & carnes, olera item, ac poma, cuncta denique cibaria aquâ lustrali aspergi: *Quæ cum viderent Christiani, gemebant ipsi quidem, ac lamentabantur, talia abominantes. Edebant tamen, obtemperantes legi Apostolicæ ita dicenti: omne, quod in macello venundatur, comedite, nihil interrogantes propter conscientiam.* Ita Theodoretus.

§. III.

Contrariis Satisfit.

X. Objici solent primò plura simulationum exempla in veteribus Patribus in Sacra Scripturâ laudata: ut de Thamar, quæ coram Juda simulavit se meretricem: de David, qui coram Rege Achis simulavit amentiam: de Jehu, qui simulavit se colere Idolum Baal.

Sed hæc, & alia proposita sunt, & soluta *Tom.* 1. *in* 1. 2. *q.* 3. *de Act. Human. Moral. Dub.* 7. §. 3. quæ videnda sunt. Nunc addo: Thamar non esse excusandam à peccato: verè enim mendacium fuit simulatio, quâ finxit se meretricem. Quòd autem Judas eam laudaverit, dicens: *Justior me est*, Gen. 38. v. 26. noluit significare, eam non commisisse peccatum, cùm simulaverit se meritricem, ut ipse fornicariè accederet ad illam; sed solùm indicare, quod minùs peccaverit, quàm ipse.

Simulatio David's non fuit vera simulatio, ait D. Tho. 2. 2. q. 111. a. 1. ad 1. *Sed fictio figuralis.* Figurabat enim, vel Dei transformationem in Incarnatione: vel Christi in Eucharistia, ut exponit S. August. in *Psal.* 33. *Serm.* 1. De Jehu autem jam dictum est supra, *Dub. præcedente* §. 3.

XI. Objici solet secundò. Apostolos, post Christi mortem, ad stabiliendos Neophitos, & respectivè ad fidem faciliùs trahendos Judæos, usque ad promulgationem Evangelii, cæremonias legales, jam abrogatas, exteriùs simulatoriè observasse, licèt interiùs sentirent, nullam spem in eis reponendam esse; ergo similiter absque sacrilegio permitti poterit Neophitis ex Idololatria, vel aliâ falsâ sectâ venien-

nientibus, ut aliquos ritus, quibus solebant uti, servent, dummodo interiùs nullam in eis spem reponant.

XII. Hujus argumenti materiam pro dignitate tractavimus *Tom. 2. in 1. 2. Tract. de Legibus. Qu. 4. de Lege Veteri Dub. 7.* per totum. Ubi ostendimus, post mortem Christi cæremonias legales fuisse quidem mortuas, sed non statim mortiferas: ideoque potuisse per aliquod tempus verè, & absque ulla simulatione observari, contra mentem S. Hieronymi, ut ibi probavimus *§. 2. à num. 6.* Quare hìc absolutè negandum est antec. Deinde neganda est consequ. Nam illo tempore Mosaici ritus, etsò non obligarent, adhuc tamen erant liciti: & ideo poterant observari. At ritus idololatrici, vel alicujus sectæ per se falsæ, per se mortiferi, & illiciti sunt. Et ideo, sicut istos Apostoli nunquam permiserunt; & sicut modò non permitteretur Neophito Judæo, ut ritus judaicos adhuc exteriùs servaret: ita nec permitti poterit observantia, vel simulatio rituum sectæ, quæ vel semper fuerit, vel modò sit mortua simul, & mortifera.

XIII. Objiciunt tertiò. 4. *Reg. 5.* Refertur, quòd Elisæus concessit Naaman Syro, ut Rege Syriæ adorante in Templo Idoli Remnon, posset ipse cum Rege adorare; & sic cultum Idolo simulatoriè exteriùs adhibere: at Elisæus id non permisisset, nisi licitum esset; ergo &c.

XIV. Respondeo, neg. maj. Nam nec Elisæus concessit, nec Naaman petiit ab eo, ut cum Rege adoraret idolum. Sed cum esset famulus, cui in officium erat, Regem sustentare etiam dum adorabat; scrupulo motus, an id sibi liceret, consuluit Elisæum, à quo obtinuit pro responso: *Vade in pace*, idest, ne anxieris super hoc. Et prudenter. Nam si famulus solitus servire Domino pagano, vel hæretico tàm intra, quàm extra Templum officio civili; in eodem officio serviat ei, dum est in Templo, & ipso genuflectente, quia sic postulat officium suum, genuflectat, nullius criminis reus est: hoc enim est adorare materialiter, & impropriè, non propriè, & formaliter: quia, non ut cultum præstet Idolo hoc facit, sed ut Domino solitum præstet famulatum. Hoc dubium sibi proponens Tertullianus, lib. de Idololatria cap. 17. *Quid facient* (inquit) *servi, vel liberi fideles, item officiales sacrificantibus dominis, vel patronis, vel præsidibus suis adhærentes?* Cui sic respondet: *Si merum quis sacrificanti tradiderit, imo si verbo quoque aliquo Sacrificio necessario adjuverit, minister habebitur idololatriæ. Hujus regulæ memores, etiam Magistratibus, & potestatibus officium possumus reddere secundùm Patriarchas, & cæteros majores, qui Regibus idololatris, usque ad finem idololatriæ apparuerunt.* Et ponit exemplum in Joseph, & Daniele: quorum primus, ut minister Regis Ægypti, secundus, ut famulus Regis Babylonis, præfatos Reges, tàm extra, quàm intra Templum comitabantur; & spectatores aderant Sacrificiis absque omni labe idololatriæ. Unde Tertullianus ibidem, *cap. 16.* ait: *Si propter Sacrificium vocatus adsistam, ero particeps idololatriæ: si me alia causa conjungit sacrificanti, ero tantùm spectator Sacrificii.* Cum itaque alia causa à Sacrificio conjungeret Naaman Regi Syriæ domino suo sacrificanti idolo Remnon, illudque adoranti; non erat particeps idololatriæ, sed tantum spectator. Et eàdem ratione, si aliquis famulus, vel ancilla serviat domino, vel dominæ suæ alienæ, & damnatæ sectæ, etiam in Templo personam, vel caudam tenens dummodo in falso ritu eis non conjungatur, licitè, & innocenter se geret; non particeps, sed spectator erit. Neque huic contrarium est, quod Innoc. XI. statuit, peccare famulum, qui, submissis humeris, scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem aperiendo januam, vel de-

 feren-

ferendo scalam; & oppositum sentientes damnat, *Proposit.* 51.

Nam hoc quidem probat, peccare eum famulum, qui serviret Domino in actione per se ordinatâ ad idololatricum Sacrificium, ut ministrando ignem, vinum &c. sicut delatio scalæ, vel apertio januæ in ea circumstantiâ ordinatur ad stuprum: hoc enim est moraliter cooperari ad actionem pravam. Non tamen evincit, illicitam esse famulo, etiam in templo, actionem moraliter indifferentem ex sua naturâ; & cujus abusus famulus cooperator non est, sed solùm spectator, & muneri tantùm suo intentus implendo.

XV. Objiciunt quartò. Apud Abyssinos in Æthiopia pueri nedum baptizantur, sed etiam nunc temporis circumciduntur, qui fuit antiquus error Cerinthi, & Ebionis: & tamen talis cultus ab Ecclesia Romanâ toleratur; ergo tolerari potest ritus falsæ, & mortiferæ sectæ protestativus.

XVI. Respondeo primò, neg. min. Abyssinorum enim Ecclesia Schismatica est, ac multis erroribus contaminata, quos non tolerat Romana Ecclesia, sed detestatur.

Respondeo secundò. Dato, quòd apud Abyssinos Catholicos pueri etiam nunc circumcidantur, hoc non faciunt in protestationem cæremoniæ judaicæ, vel in observantiam ejus, sed ad imitandum dolorem, quem Christus in circumcisione passus est. Unde dato, quòd Ecclesia talem ritum toleraret, non toleraret aliquid protestativum damnatæ sectæ, sed aliquid protestativum pietatis.

XVII. Quintò objiciunt. Qui exteriùs simulat falsæ Religionis cultum, per se, & ex parte colentis falsam Religionem non protestatur. Licèt enim hoc exteriùs appareat, interiùs tamen immobiliter conservat veram; ita ut talis cultus non sit protestativus, nisi respectu eorum, qui videntes sic, existimant aliter ac est, & ipse colens intendit: sed hoc licitum videtur: Multi enim Sancti Martyres oretenus fidem negare, & idolis Sacrificare visi sunt: ita ut, qui videbant, putarent, hoc reverâ eos facere. Et tamen quia hoc faciebant animo vel irridendi tyrannis, vel evertendi Idola, innocenter fecerunt.

Sic S. Julianus Martyr, ut refert Surius 9. Januarii, finxit, se velle Diis Sacrificare; ut oratione suâ, secundùm quod prævidebat, omnia Idola comminueret, & Sacerdotes omnes Idolorum sub Templi ruinâ opprimeret: quod adeò seriò visus est velle facere, ut Præses crederet, eum revera velle Diis sacrificare.

Sic septem mulieres sanguinem Sancti Blasii colligentes, deprehensæ, quòd essent Christianæ, dixerunt, se velle sacrificare Idolis, ut Idola perderent.

Et fortius est de S. Eusebio Vercellensi Episcopo, qui finxit se hæreticum Arianum; ut nomen S. Dionysii Episcopi Mediolanensis deleret de catalogo hæreticorum.

XVIII. Respondeo, dist. maj. Non protestatur animo, conc. maj. Facto, nego maj. Facto enim exteriori fidem Christi negat, quem non solùm interiùs, sed & exteriùs confiteri debet, ac tueri; ideoque in re gravi mentitur, subtrahit Deo honorem debitum, & fidem in proximis, quantùm in se est, periclitari facit.

Ad exempla Sanctorum Martyrum, respondent quidam, hoc eos fecisse speciali motione Spiritus Sancti: sicut de quibusdam sanctis fæminis legitur, mortem sibi consciviße, ne violarentur; quod tamen in regulam trahendum non est. Quæ responsio facilis esset, si posset concipi, aliquem ex motione speciali Spiritus Sancti posse mentiri, sicut potest se occidere. Nam occidere seipsum non est ita ab intrinseco peccatum, ut non possit à labe purgari; si non fiat auctoritate privatâ, sed publicâ, & maximè Dei, qui mortis, & vitæ dominus est. At mentiri ita ex se, & ex natura suâ malum est, ut nequeat à malitia purga-

ri;

ri; quare nequit aliquis proferre mendacium, & ex motione Spiritus Sancti illud proferre.

Præfata ergo Martyrum gesta, seu dicta à mendacio præservanda sunt. Quod, ut faciam, adverto ex S. Augustino *l. contra Mendac. c.* 12. quòd *Mendacium est falsa significatio cum voluntate fallendi: non est autem falsa significatio, ubi etsi aliud ex alio significatur, verum est tamen, quod significatur, si rectè intelligatur*. Sic si aliquis ironicè, vel tropicè diceret, quod non statim intelligatur apud incautos, vel non sufficienter attendentes; dummodo ex processu discursus, vel facti, qui audit, si benè attendat, possit in cognitionem veritatis venire: ille, qui sic loquitur, si non habeat voluntatem fallendi, licèt prævideat, multos incautè, & temerè decipiendos fore, non est per se causa talis deceptionis, & proinde nec mentitur. Hoc igitur modo se gesserunt præfati SS. Martyres. S. Julianus quidem adeo patenter totius facti telam ironicè contexit; ut qui aderant, non solùm ex præcedente ejus constantiâ, ex multitudine miraculorum, aliisque irrisionibus, quibus Idola subsannaverat, sed ex formulis verborum, si attendissent, dignoscere potuissent, verba, quibus utebatur, illusoria esse. Quòd si decepti fuere, ipsorum crassæ intelligentiæ tribuendum fuit.

De illis autem septem mulieribus, eas illusoriè fuisse locutas, apertius est; dum petierunt, Idola claudi in sacco, & sibi dari. Ex quo facile conjicere poterant Præses, & alii, ea seriò nec dici, nec fieri.

De S. Eusebio Vercellensi fortè non dubitarem asserere, eum peccasse, mentiendo se Arianum, licèt ex fine bono: unde electionem fuisse malam, estò intentionem bonam. Nec enim sanctos viros in hac vitâ facimus impeccabiles omnino. — Sed veriùs ex dictis respondeo, promissionem Eusebii de Arianismo amplectendo ironicam fuisse, & facillimè ab Arianis, si advertere voluissent, detegibilem. Nota enim eis erat displicentia Eusebii de subscriptione Dionysii; nota etiam eis erat Eusebii constantia pro defensione Athanasii: unde dicendo, se subscripturum fore, si nomen Dionysii delevissent; facili negotio comprehendere poterant, eum illusoriè, non seriò loqui: quod ita contigit. Nam, ut habetur apud S. Ambrosium, *Serm.* 69. cum Ariani nomen S. Dionysii delevissent, expectantes, ut Eusebius subscriberet: *Ille increpans, & irridens, ait, neque ego me vestris sceleribus polluo, neque filium meum* (Dionysium) *vobis eum participare permitto. Unde cùm dicat Evangelium, in hac generatione prudentiores filios tenebrarum esse, quàm lucis: ecce hic ipsis tenebris prudentior filius lucis inventus est.*

XIX. Sextò objiciunt hujus simulationis testem S. Paulum, 1. *Cor.* 9. *v.* 20. de se dicentem: *Factus sum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrarer: iis, qui sub lege sunt, tanquam sub lege essem (cum ipse non essem sub lege) ut eos, qui sub lege erant, lucrifacerem: iis, qui sinè lege erant, tanquam sinè lege essem (cum sinè lege Dei non essem, sed in lege essem Christi) ut lucrifacerem eos, qui sinè lege erant... Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos*. Igitur S. Paulus licitum sibi judicabat cum Judæis simulare se Judæum, cum Gentibus gentilem, ut eos faciliùs Christo lucrifaceret; ergo idem poterit facere Missionarius, nimirum, simulare falsam Religionem, ut ejus professores ad veram, & ad Christum trahat.

XX. Huic objectioni, quæ Priscillianistarum erat, respondet S. August. *l. contra Mendac. c.* 12. Quòd S. Paulus ait, omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifacerem, *compatiendo id fecit, non mentiendo. Fit enim quisque tanquam ille, cui vult subvenire; quando tantâ misericordiâ subvenit, quantâ sibi subveniri vellet, si esset ipse in eadem miseriâ constitutus. Itaque fit-*

tanquam ille, non quia fallit illum, sed quia se cogitat, sicut illum .... Nam si propterea quia dixit: Factus sum Judæis tanquam Judæus, & iis, qui sub lege erant, tanquam sub lege, *ideo putandus est mendaciter suscepisse legis veteris Sacramenta: debuit etiam & Gentium idololatriam suscepisse, quia dixit, etiam iis, qui sinè lege erant, tanquam sinè lege se factum, ut eos lucrifaceret: quod utique non fecit.* Debet igitur vir Apostolicus, dum agit cum professoribus falsæ sectæ, ex caritate fieri sicut ipsi, compatiendo eorum errori ex caritate, ut eos Christo lucretur: non verò fieri sicut ipsi, aliquid de eorum ritibus, si superstitiosi sint, & falsæ sectæ protestativi, in se admittere, aut Neophitis suis indulgere. Hoc enim Paulus non fecit, sed primum.

XXI. Quapropter cùm Missionarii aliqui apud Sinas concederent Neophitis ex illa gente conversis, ut retinere possent aliquos ritus, quos ante conversionem frequentabant; tùm erga Confusium celebrem apud Sinas Philosophum, tùm erga parentes defunctos: re hac apud S. Sedem delatâ, ac serio examine per multos annos agitatâ: cùm tandem constiterit, tales ritus non esse merè humanos, politicos, & civiles, ut ab eorum fautoribus afferebatur, sed religiosos, sacros, ac proinde superstitiosos: Clemens XI. anno 1715. 19. Martii suâ Constit. quæ incipit *Ex illa die*, eos imposterum frequentari prohibuit, additis excommunicatione, aliisque pœnis contra oppositum facientes; nec non præscriptâ formulâ juramenti præstandi ab omnibus, qui ad eas partes missionum causâ transferrentur, super exacta obedientiâ cunctis in dicta Constitutione præfixis, sub pœnis in eadem contentis. Et jure quidem. Nam supposito, ritus illos (ut probatum, & statutum est) non esse merè politicos, ac civiles, sed sacros, & falsam Religionem redolentes, sunt ex natura sua mali; & ideo nullo bono fine faciendi: ut enim docet August. l. contra Mendac. c. 7. *Ea, quæ constat esse peccata, nullo bonæ causæ obtentu, nullo quasi bono fine, nullâ velut bonâ intentione facienda sunt.* Unde S. Apostoli Neophitis ex gentilitate venientibus, nihil de ritibus, qui cultum idololatricum saperent, ut eos Christo lucrifacerent, permiserunt.

DUBIUM V.

An liceat Viro Christiano in Terris Infidelium uti Signo, aut Veste protestativa, vel distinctivâ eorum Sectæ?

§. I.

Quædam supponuntur.

I. De tribus generibus vestimentorum, seu signorum potest esse sermo. Primò enim loqui possumus de illo vestimento, vel signo, quo Infideles utuntur independenter ab eorum sectâ; quo nimirum uterentur etiam, si talis Religionis non essent, vel eam non mutarent: quia, nempe, est vestis propria nationis, seu Regni. Sic Turcæ utuntur turbante, non quia Maumetani sunt, sed quia Arabes, aut Lybii. Et hoc genere vestis, ac signi certum est apud omnes, posse Christianos apud Infideles commorantes absque ullo scrupulo uti. Natio enim ex terminis damnabilis non est; & proinde vestis indicativa nationis neque erit damnabilis. Legimus enim, *Genes.* 41. Joseph habitu Ægyptio coram Pharaone, & Danielem cum sociis coram Nabuchodonosor veste babylonicâ ab idololatria mundos permansisse (*Daniel.* 1.) Unde Tertullianus l. de Idololatria c. 17. *Joseph* (inquit) *& Daniel mundi ab idololatria, & potestatem, & dignitatem administraverunt, in ornamento, & purpurâ extitere totius Ægypti, sive Babylonia.* Et post multa ostendit, tales vestes esse indicia honoris non

non Religionis, dicens: *Nam si ita esset, utique tantæ sanctitatis, & constantiæ viri, statim habitus inquinatos recusassent*. Et ratio est. Quia in usu talis vestis nulla fit damnatæ sectæ protestatio; sed qui illâ utitur, ad summum fidem propriam occultat, quod licitum est: dummodo non sit in circumstantiis, in quibus eam prodere teneatur, ut supra dictum est.

II. Aliud genus vestis, aut signi est institutum quidem ad distinctionem unius sectæ ab alia, non tamen per se primò ad protestationem illius: qualia sunt Tobalia, idest, vela, seu lintea alba, quæ in usu sunt apud Turcas, & Persas. Et de hoc genere vestis vel signi non est facile determinare, an licitè possit Christianus illo uti; cùm auctoritas Doctorum pro utraque parte stantium utrumque reddat probabile.

Cajetanus enim in 2. 2. *q.* 3. *a.* 2. dicit primò: quòd si alicubi sit lex, etiam lata à Tyranno, aut etiam consuetudo ab omnibus observata, ut Christiani omnes aliquâ certâ veste, aut signo certo ad professionem suæ fidei uterentur; & hoc ab omnibus, sive habitantibus, sive transeuntibus observaretur; peccaret mortaliter Christianus, qui ut se talem occultaret, eo signo non uteretur. Quia tunc est locus, & tempus confitendæ fidei, cùm tali lege, vel consuetudine interrogetur de fide, & stet quasi testis pro Christo: ideoque urgeat præceptum fidei manifestandæ. Dicit secundò: quòd si usus esset, aut lex, quòd Infideles uterentur aliquo signo distinctivo à Christianis; non liceret Christiano illud signum assumere: ut si Christianus gestaret pileum, quem Romæ gestant Judæi. Et ratio est. Quia tunc facto protestaretur, se esse Judæum; cùm lege sancitum sit, ut significet, Judæum esse, qui eo utitur. Ita Cajetanus. Sed quia videtur nimis rigidus:

III. Ideo dicunt alii primò: licitum esse aliquando viro Christiano relinquere signum lege à tyranno mandatum; ubi nullum scandalum proximorum fuerit, neque utilitas debita proximo, & honor debitus Deo periclitetur. Unde, in casu primi dicti Cajetani, poterit Christianus non uti tali signo, si hoc fiat sine scandalo Christianorum; & ipse aliàs non agnoscatur ab Infidelibus esse Christianus: in tali enim casu non negat, sed solùm occultat fidem suam, nec ipse specialiter interrogatur de fide, ut ponatur in circumstantia, quâ debeat illam protestari. Et ratio est ex D. Tho. hâc *q.* 3. *a.* 2. Quia tunc solùm obligat præceptum confessionis fidei, quando per ejus omissionem subtraheretur honor Deo debitus, & utilitas proximis impendenda: quod in casu præsenti non supponitur.

Accedit: quòd plerumque tales leges contra Christianos non ordinantur ad fidei confessionem; sed vel ad politicum bonum verum, vel æstimatum, puta, ad punitionem, vel evitationem eorum, vel ut ab eis caveatur: ut contingit Judæis apud Christianos, qui discernuntur signo, non ad professionem suæ fidei, sed ut cognoscantur, & cavere possimus ab eis: In quo casu etiam Cajetanus concedit, licitum esse non uti tali signo, vel veste.

Dicunt secundò. Secluso scandalo, & detrimento honoris Dei, licitum esse Christiano uti signo proprio Infidelium, ut linteo albo pro tegumento capitis distinguente Paganos à Christianis. Et probant. Qui enim induit talem vestem, non mentitur falsam Religionem, nec eam censendus est profiteri, sed solùm occultare veram. Ant. prob. à pari. Laicus induens habitum monachalem, ut effugiat Prætoris manus, & Monachus induens habitum laicalem, dum iter agit per Angliam, ne ut Papista occidatur, vel persecutionem patiatur, non peccant, nec mentiuntur; quamvis sint leges expressè vetantes, ne laicus induat habitum monachalem, & Mo-

& Monachus laicalem, sed solùm censentur velle occultare statum suum, ut imminens periculum evadant; ergo à pari si Fidelis, transiens per terras Infidelium, assumat vestem, vel signum distinctivum, & proprium Infidelium, non censetur profiteri eorum sectam, & facto mentiri, sed occultare suam fidem. Conf. prob. Quia sicut habitus Infidelium distinguit eos à Fidelibus: ita habitus monachalis est signum distinguens Monachos à laicis, & habitus laicalis distinguens laicos à Monachis. — Secundò. Si utens tali veste, vel signo profiteretur falsam sectam, sequeretur, quòd Infidelis eâ utens, in tali usu profiteretur falsam suam sectam, & proinde in tali usu peccaret; unde peccarent Judæi gestantes signum in pileo: sed hoc est falsum, aliàs peccaret etiam Princeps Christianus præcipiens eis, ut tale signum deferrent: induceret enim illos ad peccandum; ergo &c. Quorum omnium ratio est. Quia signa illa etsi ex consuetudine, vel lege trahantur ad distinguendos Infideles à Fidelibus; ex sua tamen primaria, & absolutâ significatione, puta vestis, habet, ut sit instituta ad tegendum corpus, à qua non deponitur, per hoc, quòd ei superaddatur alia, nempe, ut sit distinctiva. Hæc opinio videtur communior.

IV. Tertium vestimentorum genus est non solùm distinctivum, sed & protestativum damnatæ sectæ: sicut sunt apud Turcas vestes, in quibus figura Lunæ picta est, & capilli longi in occipite cæteris tonsis, quæ in honorem Mahumetis ab eis deferuntur. Hæc autem vestimenta alia sunt purè deservientia cultui Religionis, ut vestes Sacerdotales: alia verò etiam ad tegumentum corporis adhibita. De utroque hoc genere vestium, aut signorum præsens dubium procedit.

§. II.

Resolutio Dubii.

V. Dico primò. Loquendo de veste institutâ ad protestationem falsæ sectæ, etsi non ad cultum, probabilius est, non licere eâ uti vero Christiano. Probo primo. Nam perinde est profiteri exteriùs falsam fidem facto, ac verbo: ut enim docet S. Tho. hâc 2. 2. q. 111. a. 1. *Non refert autem, utrum quis mentiatur verbo, aut quocumque alio facto.* Sed qui utitur apud infideles veste institutâ ad profitendam falsam sectam, facto exteriùs eam profitetur; ergo mentitur, & peccat — Nec obstat differentia, quam assignant aliqui inter voces, & alia signa externa: quòd voces significationem hujus rei potiùs, quàm alterius non habent ex natura suâ, sed unicè ex communi hominum voluntate: at res, ut vestes &c. ex natura suâ habent, ut significent id, ad quod naturaliter sunt institutæ, nempe, ad vestiendum. Quòd verò ordinentur ad protestandum Religionem veram, vel falsam, accidentaliter eis convenit: ideoque potest quis eis uti, intendens earum nativam institutionem, non verò accidentariam, nempe, falsæ sectæ protestationem.

VI. Nam esto Metaphysicè, & abstractè loquendo hoc verum sit; moraliter tamen, & in concreto locum habere non videtur. Sicut enim dum quis voce utitur apud eos, apud quos est, ad significandum institutâ, non potest eam in alia significatione usurpare, nec dicere, se in sensu materiali eam proferre; sed eam censetur proferre in sensu, quo apud illos significat: ita dum vestem institutam ad protestandam falsam sectam induit apud eos, apud quos viget institutio, & hoc facit seriò, non ludicrè; prudenter ab omnibus credi debet, quòd quis eam defert, sit professor illius sectæ, & si aliud intendit, facto mentitur. Unde

de ficut ille, qui verbo ufitato profitetur fectam Turcam, ab omnibus moraliter habetur pro Turca: ita qui vefte, vel figno ufitato profitetur eamdem fectam, habendus eft pro Turca.

VII. Neque dicas. Superiùs probabile judicavimus, licitum effe, uti vefte diftinctivâ Religionis falfæ à vera. Cur ergo non erit licitum, uti vefte, vel figno proteftativo ejufdem?

VIII. Refpondeo, difparitatem effe. Nam fignum externum merè diftinctivum falfæ fectæ non involvit profeffionem, vel cultum illius; ideoque ad alium finem poteft affumi: cujus fignum eft, quòd Infideles utentes figno merè diftinctivo non peccant; nec Princeps fidelis præcipiens eis, ut tali externo figno utantur, & eo à fidelibus difcernantur, peccat: alioquin peccaret Pontifex jubens, ut Judæi Romæ deferant fignum in pileo. At Infideles utentes figno proteftativo falfæ fectæ peccant, & peccaret is, qui eos tale fignum geftare compelleret; quia geftare fignum falfæ fectæ proteftativum, eft exteriùs talem fectam profiteri, & cultum ejus exhibere: nullus enim poteft effe major cultus alicujus fectæ, quam publica ipfius profeffio, aut proteftatio externo figno facta.

Addo: quòd eftò quando ex fola voluntate Infidelium veftis deputatur ad malum ufum, poffit à Fideli determinari ad bonum ufum: non tamen cùm non folùm à voluntate Infidelium, fed etiam per expreffam formam, feu effigiem, determinatur ad profeffionem idololatricam, etiam quodammodo ex ipfa veftis naturâ: unde non relinquit locum, ut determinetur ad bonum ufum.

IX. Dico fecundò. Multò minùs licet Chriftiano uti vefte, vel figno fpecialiter deftinato ad cultum falfæ fectæ: qualis eft apud Judæos veftis Summi Sacerdotis, & Sacerdotum veftes apud Idololatras, & apud Saracenos fpecialis veftis cum imagine Mahumeti, & Lunæ. Et ratio eft. Quia tales veftes proximiùs ordinantur ad cultum falfæ fectæ: & quemadmodum Infideles, dum eas induunt, peccant, ita peccaret Chriftianus, qui eas indueret, licèt interiùs fidem retineret, quemadmodum fi exteriùs in altari Paganorum thus adoleret. Nam ficut thus hìc, & nunc inflammatum determinatum eft ad cultum idoli: ita veftis illa tali tempore, & loco determinata eft ad cultum falfi Numinis.

X. Advertendum eft tamen: quòd hæc Affertio non obftat, quin fit licitum in comædiis, talibus veftibus uti repræfentantibus perfonas infidelium Sacerdotum. Tunc enim cùm ab omnibus intelligatur, ufum illum non ordinari ad proteftationem impiæ fectæ, fed potiùs ad illufionem, & fpretum; nulla Deo fit injuria, neque proximis fcandalum datur.

XI. An verò liceat Chriftiano in terris Infidelium degenti deponere veftem, vel fignum lege, vel confuetudine pro Chriftianis ftatutum; ut fic diffimulet,fe effe Chriftianum: probabiliùs cenfeo, licere, ut dixi §. præcedente *num.* 3.

§. III.

Solvuntur Contraria.

XII. Primò objicies. Jofeph, & Daniel apud Reges idololatras veftibus idololatricis ufos fuiffe — Sed ad hoc refpondetur, negando ant. Veftes enim, quibus utebantur Jofeph, & Daniel, erant veftes honoris civilis, & Magiftratus, ut fupra §. 1. *num.* 1. ex Tertull. *l. de Idololatria c.* 7. dictum eft (ficut funt fortè veftes, quibus utuntur Mandarini apud Sinas) non Religionis: ideoque potuerunt illis licitè uti.

XIII. Secundò objicies. Licet Clerico, habitu ecclefiaftico depofito, fecularem affumere, eftò de hoc leges contrariæ fint; ergo fimiliter licebit Catholico in cafu urgenti, habitum

Ca-

Catholicum deponere, & induere paganum.

XIV. Respondeo, neg. conf. Leges enim de non deponendo habitu ecclesiastico sunt humanæ; nec obligant in casu necessitatis, sed solùm regulariter. Deinde qui deponit vestem ecclesiasticam, & induit secularem, negat quidem statum suum, sed non negat fidem suam; quam negaret, qui vestem protestativam falsæ sectæ indueret. Demum vestis ecclesiastica, & secularis est instituta ad distinctionem, non ad professionem status: unde solùm infertur, posse Fidelem uti veste Infidelium, quæ sit purè distinctiva, quod probabile judicavimus.

XV. Tertiò objicies. In usu talium vestium, etsi protestativæ sint, nulla est etiam virtualis negatio fidei; ergo &c. Ant. prob. Primò. Quia potest quis eis uti ex fine communi vestis, qui est tegere corpus — Secundò. Si vestis illius gestatio esset virtualis negatio fidei, Gentilis ad fidem conversus deberet illam rejicere. — Tertiò. Pontifex non posset Judæis præcipere, ut signum suæ sectæ deferrent; & peccaret hoc præcipiendo.

XVI. Respondeo, negando ant. intellectum de vestibus falsæ sectæ nedum distinctivis, sed & protestativis. Ad primam probat. jam dictum est, quòd factâ institutione per legem, quòd tali veste fiat protestatio falsæ sectæ, talis significatio nequit ab ea separari, sicut nec à voce. Et ideo &c. — Ad secundam dico, conversum ad veram fidem debere statim deponere vestem, & signa instituta ad professionem falsæ sectæ: posse tamen occultare fidem, utendo vestibus nationis, & fortè etiam distinctivis, sicut fecisse legitur S. Sebastianus, qui conversus ad fidem vestem Infidelium non statim exuit. — Ad tertium dico, signum pilei, quod gestare coguntur Romæ, & alibi Judæi, non esse signum protestativum, ut dictum est, sed vel distinctivum, vel pœnale, ut à Christianis evitentur. Unde non est ad rem.

XVII. Quæres: An liceat Christianis, in bello contra Saracenos uti eorum vexillis, puta, cum effigie Lunæ, vel etiam ipsius Mahumetis?

Respondeo affirmativè. Quia licèt Turcæ eâ pingant in vexillis suis in protestationem, & cultum suæ sectæ; Christiani tamen ea pingunt ob alios fines, puta, ad decipiendos illos, quod in bello justo licitum est. In quo apparet disparitas inter usum vestium cum talibus imaginibus in Turcarum terris, & usum vexillorum. Nam Christianus, qui in terra Turcarum degens talibus vestibus uteretur, cùm ad nullum alium finem censeretur uti, quàm ad indicandum cultum Alcorani; daret ansam omnibus credendi, eum ad talem finem illas deferre: sicque facto exteriùs mentiretur eorum sectam. At in bello, in quo Christianus se gerit ut hostis Turcarum, ejusmodi significationem habere non possunt. Quis enim prudenter crederet, Christianos actu dimicantes contra Turcas, & in odium illorum, velle talibus signis fidem eorum profiteri? Hoc idem, nempe, vestes eorum assumere, liceret tempore belli in terris Turcarum facere, ad insidias eis parandas; nec nos id negamus: sed tantùm negamus, id licere, quando quis inter Infideles degens, metu mortis, similibus vestibus protestativis utitur.

§. IV.

An Liceat Fideli ad Fidem occultandam vesci coram Infidelibus cibis Prohibitis.

XVIII. Dupliciter potest contingere casus iste. Primò. Si quis transiens per hæreticorum fines, ubi, si non manducet, dignoscetur ut Catholicus, sicque periculum mortis subibit: an ipsi liceat in die prohibito, ut dissimulet se Catholicum, carnes manducare. Et casui ita proposito, communiter respondent Theologi, licere. Abstinentia enim à carnibus

tali

tali die non est per se instituta ad protestandam fidem Catholicam; sed tantùm instituta lege positivâ humanâ, quæ cum dispendio vitæ non obligat: unde in ea dispensatur ob infirmitatem, quia præceptum naturale conservandi vitam prævalet cuicumque legi positivæ: quantò ergo magis in casu imminentis mortis?

XIX. Secundò contingere potest casus. Si nimirum esus carnium die Veneris sit ab hæreticis institutus in protestationem suæ sectæ, & in contemtum Religionis Christianæ: an liceat viro Catholico apud ipsos versanti, carnes coram ipsis comedere; ne tanquam Catholicus agnoscatur, & supplicio etiam extremo afficiatur.

XX. Respondent aliqui, inter quos Becanus *c. 9. de Externo Actu Fidei n.* 13. quòd primò potest prætexere aliam causam, cur velit abstinere à carnibus, puta, debilitatem stomachi, nauseam, vel aliquid simile; modò sinè mendacio fiat. Si verò non putavit sufficere talem excusationem, vel de ea non cogitavit; secundò dicit, distinguendum esse. Nam si fit apud Lutheranos, ubi non est periculum vitæ, sed tantùm irrisionis; debet abstinere à carnibus, & se Catholicum fateri: maximè si ad hunc finem proponantur, ut dignoscatur, an sit Catholicus, nec ne. Si autem sit apud Calvinistas, & maximè in Anglia, vel alicubi, ubi viget persecutio; ita ut sinè vitæ periculo, ab eis abstinendo, se Catholicum fateri non possit; licebit illi, secluso scandalo, vesci carnibus, & hoc modo, ad evitandam mortem, Catholicum se dissimulare. Et hoc dicit esse in Anglia usitatum. Et dat rationem, quia esus carnium non est institutus ad professionem falsæ Religionis; nec abstinentia à carnibus est ab Ecclesia instituta ad discernendos Catholicos ab hæreticis, sed ad macerandam carnem. Lex autem humana non obligat cum periculo vitæ, quando utilitas, quæ nascitur ex legis observatione, non est tanta, quanta vita Catholici hominis. Quæ autem utilitas sperari posset, si, abstinendo à carnibus, quis proderet se Catholicum? Certè vix alia, quàm furorem hæreticorum contra se, cæterosque Catholicos concitare.

XXI. Alii verò negant, in illo casu licere. Quia apud Lutheranos, & Calvinistas esus carnium, puta, die Veneris, cùm sit introductus tanquam signum protestativum eorum sectæ, ut à Catholica distinctæ, sitque cum falso dogmate connexus; in ea circumstantiâ esus carnium non solùm est prohibitus lege humanâ, vetante communiter illis uti eo die, sed etiam lege divinâ, vetante fidem veram verbo, vel facto negare, & falsam profiteri.

XXII. Ego tamen utramque opinionem temperando distinguerem. Vel enim qui ad carnes edendas die vetito ab hæreticis ignorantibus, eum esse Catholicum, invitatur eo solùm animo, ut secum prandeat, non animo experiendi fidem ejus: & in hoc casu crederem, posse comedendo carnes occultare fidem suam; si tamen aliunde non esset, aut prævideretur scandalum apud Catholicos existimantes, eum hoc facto fidem Catholicam ejurasse. Tunc enim solùm urget præceptum ecclesiasticum, quod non obligat cum tanto periculo: & in hoc sensu veram existimo primam opinionem. Vel ab hæreticis invitatur animo experiendi tali facto, cujus Religionis sit professor, an Catholicæ, an Calvinisticæ, & hoc ipsi innotesceret: & in hoc casu cum præcepto ecclesiastico conjungeretur præceptum divinum de non profitendo falsam Religionem, & non negando veram. Tunc enim talis invitatio esset interrogatio de fide; & comedendo responderet, se esse Calvinistam: esset testis falsus, injurius Deo, & fidei. Et in hoc sensu vera est secunda opinio.

XXIII. Sed inquires: Quid si Catholico eâ die non adessent alii cibi, vel ei negarentur; adeo ut, si cibis eâ die veti-

vetitis non uteretur, mori fame compelleretur?

In hoc quæsito resolvendo affirmant aliqui, posse comedere: alii verò negant. Ego tamen sub præfata distinctione dicerem: quòd vel defectus alterius cibi est casualis, quia scilicet eâ die in ea regione alii cibi non possunt inveniri; & à causa fidei omnino præscinditur: & in hoc casu, si non adsit scandalum, licitè comedere potest, ne fame intereat: quia conservatio vitæ magis urget, quàm observantia præcepti humani, quod tunc solùm concurrit. Vel defectus alterius cibi ex industria ab hæreticis disponitur, ut experiatur ejus fidem: & sic, cùm præcepto humano conjungatur divinum, debet exemplo Eleazari, & S. Luciani Martyris mori potiùs fame, quàm contaminare fidem suam. Nec refert dicere, in illo extremæ necessitatis casu præceptum divinum non obligare: quia, qui viderent, prudenter judicarent, illum non comedere animo negandi fidem, sed tuendi vitam, ne fame periret. — Sed si hoc verum est, cur Eleazarus, & Lucianus cibos vetitos non comederunt? Similiter cur non poterit quis comminante mortem persecutore, ni faciat, genuflectere ante Idolum, aut ei thus adolere? Cur non licebit, propriam fidem verbis negare? Certè qui viderent, prudenter judicarent, hominem tales actus facere, non ut animo protestetur falsum cultum, sed ut mortem effugiat. Hàc ergo doctrinâ tolleretur necessitas subeundi, pro tuenda fide, Martyrium.

XXIV. Huic Resolutioni favere videtur S. August. *Ep.* 154. modò 47. *ad Publicolam*, in fine. Ubi quæsito sibi à Publicola proposito, *Epist.* modò 46. aliàs 153. *nu.* 11. nimirum: *Si Christianus aliquis ambulans, passus necessitatem, victus fame unius diei, vel bidui, vel multorum dierum, ut jam durare non possit; ita occurrerit, ut in ipsa necessitate famis, in qua videt sibi jam mortem proximare, invenerit cibum in idolio positum, ubi nullus sit hominum; & non possit invenire alium cibum: debet mori, aut exinde cibari?* Epist. 47. citatâ ita respondet: *Aut certum esse idolothytum, aut certum est, non esse, aut ignoratur. Si ergo certum est esse, meliùs christiana virtute respuitur: sin autem vel non esse scitur, vel ignoratur, sinè ullo conscientiæ scrupulo, in usum necessitatis assumitur.*

Sed dubitari meritò potest: an S. Doctor voluerit hìc insinuare tantùm consilium, dum ait: *meliùs Christiana virtute respuitur:* an etiam præceptum. Et fundamentum est: quia, ut docet Apostolus, 1. Cor. 10. v. 28. *Si quis autem dixerit: hoc immolatum est Idolis, nolite manducare, propter illum, qui indicavit, & propter conscientiam, conscientiam autem dico, non tuam, sed alterius.* Quibus indicat Paulus, ideo non licere manducare id, quod scitur esse immolatum Idolis (ut ait D. Tho. in hæc verba *L. 3. 6.*) propter illum, qui indicavit: *Ne scilicet credat, te manducare sub veneratione Idoli, non quòd cibus de se sit immundus:* At in casu, de quo loquitur Augustinus, supponitur, quòd ibi *nullus sit hominum*, qui possit credere, quòd manducet in venerationem idoli; ergo videtur, quòd possit licitè illum manducare.

Ex alia autem parte videtur Augustinus insinuasse præceptum non edendi: quia si cibus ille idolothytus non esset lege divinâ absolutè prohibitus; ille, qui in extrema necessitate est positus, teneretur illo uti, ut posset implere præceptum naturale conservandi vitam modo possibili; ergo dum ait: *Satiùs Christiana virtute respuitur*, loquitur de præcepto divino, non de consilio tantùm. Quare *lib. de Bono Coniugali cap.* 16. ait: *Sicut ergo satiùs est emori fame, quàm idolothytis vesci: ita satiùs est defungi sinè liberis, quàm ex illicito coitu stirpem quærere.* Sentit ergo, ita esse illicitum idolothytis vesci, sicut est illicita fornicatio. Crederem tamen, S. Augustinum loqui extra casum inevitabilis necess-

necessitatis moriendi fame, si non comedat: vel in casu, quo cibus ille positus esset eo fine, ut qui manducaret, protestaretur cultum Idolo, & hoc ipsi notum esset; imo præsciret, apud eos, qui postea rescivissent, scandalum oriturum. Quòd si nihil horum timeretur, posset imitari Christianos tempore Juliani, qui estò scirent, omnes cibos impiissimi Imperatoris jussu esse idololatricâ superstitione contaminatos; adhuc tamen (quamvis dolentes) iis vescebantur, ut diximus supra *Dub.* 4. §. 2. 9. — Nec tamen hinc sequitur, esse illicitam comestionem carnium, die vetito, in extrema necessitate constituto; etiamsi nullus sit homo, qui videat, & scandalum pati possit. Nam comestio carnium tali die solùm est prohibita lege humanâ: at comestio idolothyti est ex se mala, ac prohibita divinâ lege, quæ obligat etiam cum dispendio vitæ, sicut est prohibitus illicitus concubitus, juxta Augustinum.

§. V.

An liceat Christiano inter Turcas commoranti, Nomina Turcica sibi imponere.

XXV. HUic quæsito occasionem dederunt Christiani quidam, in partibus Albaniæ commorantes; qui, etsi quando cum Christianis agunt, nomine Christiano sibi in Baptismo imposito appellari se sinant; dum tamen cum Turcis agunt in convictu politico nomina Turcica, puta *Mahumetis*, *Alis*, *Assan* assumunt, & talibus nominibus apud Turcas appellantur: & hoc faciunt, ne coram Turcis appareant esse Christiani, & cogantur, tributum solvere. Præter hoc autem nullum actum sectæ Turcicæ faciunt, nisi quòd cum Turcis sedentes ad mensam carnes, etiam diebus vetitis, comedunt.

XXVI. Resolutio hujus quæsiti pendet ex hac aliâ: An scilicet assumtio nominis Turcici sit mera Christianæ fidei occultatio eo loco, & tempore, quo Christianus eam exteriùs confiteri non tenetur: An verò sit quædam Turcicæ sectæ exterior professio, & protestatio. Si enim nomina Turcica non sint nomina Religionis, sed potiùs nationis, & occultativa Religionis veræ, non protestativa falsæ; idem judicium ferendum erit de nominibus, ac de vestibus Turcicis: unde, sicut supra diximus, licere absolutè Christiano in terris Infidelium eorum vestes, dum tamen non sint vestes Religionis, assumere; & sub iis Religionem Christianam occultare, nisi urgeat præceptum eam manifestandi, ut supra dictum est: idem judicium ferendum erit, saltem absolutè loquendo, de nominibus à Turcis adhiberi solitis. Si autem nomina Turcica sint eorum sectæ quomodolibet protestativa: tunc non erit licitum, quâcumque ex causa, ea assumere, sicut nec vestes, & alia signa, ut supra dictum est. Ad rem ergo veniens

XXVII. Censeo, nomina præfata Turcica non esse nec absolutè, nec in praxi protestativa sectæ Turcicæ: ideoque ea assumere, esse occultare se Christianum, non se prodere Turcam. Hanc Assertionem, quam à nemine tractatam reperi, colligo primò ex *cap.* 1. *Danielis* ubi *v.* 7. legitur, Danieli, & tribus adolescentibus unâ cum eo in servitutem Chaldæorum abductis, nomina Chaldaica, dimissis Hebraicis, ab Eunucho eorum custode fuisse imposita: Danieli quidem *Baltbasar*, Ananiæ *Sidrach*, Misaeli *Misach*, & Azariæ *Abdenago*; vestes etiam Chaldaicas eis superindutas. Quibus, Chaldæis quasi permixti, tanquam veri Dei cultores non apparuerunt, nisi post longum tempus: tres quidem adolescentes, cùm post viginti septem annos captivitatis statuam adorare recusarunt. Quare *Daniel.* 3. *v.* 14. dixit eis Rex: *Verène Sidrach, Misach, & Abdenago, Deos meos non colitis?* Daniel autem, tunc solùm veri

ri Dei cultorem se manifestavit, cùm *cap.* 14. Bel, & draconem pro Deo venerari recusavit. Quòd si vestes, & nomina illa Chaldaicæ superstitionis quodammodo protestativa, aut simulativa fuissent, sancti illi viri vestes illas abjecissent; & nominibus illis se invitos nuncupari, saltem aliquo signo, manifestassent. Si ergo tàm vestes, quàm nomina Chaldaica se gestare passi sunt; signum est, ea nomina, sicut & vestes, esto occultarent veram Religionem, non tamen simulasse falsam: & propterea de illis nominibus dici posse, quod de vestibus, *lib. de Idololatria cap.* 18. dixit Tertullianus: *Si ita esset; utique tanta sanctitatis, & constantia viri statim habitus inquinatos recusassent: statimque apparuisset, Danielem Idolis non deservisse, nec Belem, nec draconem colere, quod multò postea apparuit.*

XXVIII. Similiter de nominibus Turcicis loquendum videtur: nimirum esse nomina arabica, ex nationis usu imponi solita ad distinguendum unam personam ab alia, nihil de Religionis superstitione redolentia: & quidem primò. Nam si aliqua nomina essent religionis falsæ Turcarum protestativa, essent ista *Mahumetis* institutoris; *Omari* propagatoris, *Hali*, & similia: atqui ista nullam videntur dicere relationem ad sectam. Nam præfati sectæ Turcicæ Coriphæi non assumserunt præfata nomina post sectæ institutionem, nec in signum sectæ institutæ; sed habuerunt sibi imposita à nativitate, eaque retinuissent, etiam in hypothesi, quòd sectam non instituissent. Hinc nec qui modò ea assumunt, videntur id facere in protestationem sectæ, aut venerationem Institutorum ejus: sed potiùs, sequentes morem regionis, eadem unà cum idiomate à Majoribus successivè accipere; ut si abrogatâ Mahumetanâ sectâ, alia similiter falsa in illis regionibus induceretur, eadem nomina retinerent.

Secundò. Quia in actu impositionis præfatorum nominum, etiam post institutam sectam, nullus ritus, nulla cæremonia adhibetur; sed à parentibus, statim natis filiis, nomina aliquorum ex Majoribus, aut consanguineis, prout libuerit, imponuntur: non verò in actu circumcisionis, quæ apud Turcas ad septennium, & etiam ad decimum tertium annum differri solet. Videntur ergo nomina Turcica, sicut & idioma Turcicum, usu, & consuetudine nationis, non Religionis ritu, fuisse inducta, ut ait August. lib. 3. de Musica c. 2. *Nomina verò, ut cuique placuit, imposita, quorum vis auctoritate, & consuetudine maximè nititur: unde etiam esse linguarum diversitas potest.*

XXIX. Quod verò tangit comestionem carnium diebus ab Ecclesia vetitis: si hoc fiat sinè scandalo, nec exigatur in comtemtum fidei, & Ecclesiæ; sed purè, ne quis detegatur esse Christianus, aut Catholicus: licitam esse Christiano inter hæreticos commoranti, superiùs ostendimus §. præcedente, & docet Cardinalis Albitius *p.* 1. *c.* 8. *num.* 31. Quòd si hoc licet Catholico moranti apud hæreticos, qui comestionem carnium quocumque die, & tempore faciunt signum suæ sectæ protestativum; magis licebit Christiano apud Turcas degenti, qui talem comestionem non faciunt signum suæ sectæ protestativum, neque distinctivum à Religione Christiana.

XXX. Respònderi tamen potest, omnia hæc sustineri posse, si considerentur quasi in abstracto; non verò si sumantur concretivè ad casum præsentem. Nam Albanenses, de quibus agitur, non patiuntur sibi imponi nomina Turcica, ut olim Daniel, & socii passi fuerunt, Chaldaicis nominibus nuncupari: sed ea, datâ operâ, sibi imponunt. Et insuper hoc fine, ut hoc modo simulent se Turcas, ac eos decipiant: quod est mentiri in re gravissimâ, & proinde nunquam licitum, maximè si adsit scandalum.

XXXI. Verùm quòd Albanenses nomina Turcica sibi ex industria imponant,

ponant, non verò ea sibi imponi à Turcis patiantur, non existimo variare casum præsentem; si semel admittatur, quòd nomina illa non sint sectæ Turcicæ protestativa. Semel enim hoc admisso, quare non licebit, ea ex industria assumere, eo modo, quo licet, vestes assumere, quando non sunt sectæ Turcicæ protestativæ? Quòd si essent protestativa, non solum non liceret ea assumere, sed nec pati, quantùm fieri posset, ut sibi imponerentur: sicut nemo patitur, se vocari nomine ignominioso, & nemo pati debet, se indui veste falsæ sectæ protestativâ. Unde quemadmodum supra ostendimus ex Tertulliano, si vestes, quibus induti fuerunt Daniel, & socii, fuissent idololatrico ritu inquinatæ, eas recusassent: ita eâdem ratione conati fuissent, talia nomina à se avertere.

XXXII. Neque etiam determinatè dicendum est, Albanenses præfatos Turcica nomina assumere, ut simulent, se esse Turcas. Nam cur potiùs dici non poterit, illa eos assumere, ut occultent Turcis, se esse Christianos, seu ne à Turcis dignoscantur, esse Christiani; sicut dicitur de eo, qui assumit vestem Turcicam? Quòd si quamvis vestes illæ ex usu adhiberentur ad dignoscendos Turcas à Christianis, adhuc licitum putant, eas induere Banez, Duualius, Azorius, Sanchez, & alii; nec talibus vestibus Christianum se simulare Turcam, sed potiùs dissimulare, & tegere, se esse Christianum: quæso, cur idem dici non poterit de nominibus Turcicis, quamvis ex usu facta essent distinctiva Turcarum à Christianis, dum ex sua primaria institutione id non habent? Cùm ergo nomina, quibus modò Turcæ utuntur, ex sua primævâ institutione habuerint usum politicum, & civilem, nempe, distinguere unam personam ab alia, secundùm morem nationis, ut probatum est; quamvis postea, ex consuetudine, facta sint propria Turcarum, & discretiva eorum ab aliis, præsertim à Christianis, non videntur esse facta sectæ protestativa: ita ut, si non adsit læsio divini honoris, vel scandalum Fidelium existimantium, Christianum talis nominis assumtione mutasse fidem, non liceat eis uti, ut se occultet Christianum. In casu autem præsenti scandalum non adesse, ex eo ostenditur: quia ejusmodi morem occultandi Religionem Christianam, per assumtionem nominum Turcicorum, etiam ab iis, qui veri Christiani sunt, dum conversantur cum Turcis, cæteri Fideles ibi existentes noverunt, jam apud non paucos inolevisse, & proinde nec scandalum, nec admirationem concipiunt.

XXXIII. Neque obest, quòd Turcæ hoc videntes credant, eos verè Turcas esse. Nam cùm assumtio talis nominis, sicut gestatio talis vestis, non sit de se significativa Religionis Turcicæ, sed potiùs signum æquivocum, per se non influit in tale judicium: quare qui judicant ex hoc præcisè, eos esse Turcas, imprudenter, & temerè judicant. Deberent enim advertere, hoc signum ex una parte de se, & ex sua primævâ institutione usum alium habere; & ex altera apud omnes nationes receptum esse, quòd ad se occultandum, & protegendum unicuique licitum est, uti mediis quibuscumque, contra jus naturæ, & divinum non pugnantibus. Quare ad formandum prudens judicium deberent ab eis inquirere certiora signa, puta: an cum illis orando communicent, an eorum Mesquitas adeant, an elevent digitum, vel aliud quidpiam agant sectæ eorum determinatè protestativum.

XXXIV. Ex quo fit, quòd talia nomina assumentes facto suo non mentiantur, aut falsæ Religionis simulatione utantur: quia nihil faciunt, unde prudenter possint Turcæ colligere, eos esse suæ sectæ. Neque etiam intendunt, hanc opinionem eorum mentibus ingerere; sed solùm occultare suam Religionem in ea circumstantiâ,

im

in qua eam prodere non tenentur. Alioquin dici deberet, quòd etiam nautæ, qui, ut evadant è Turcarum manibus, vel ut eos invadant, erigunt in suis navibus vexilla Turcica; hoc faciant, ut simulent eorum sectam: cùm tamen id præcisè faciant, ne à Turcis dignoscantur esse Christiani: & propterea ut licitum à plerisque admittitur, ut supra dictum est. Eo quia si Turcæ propiùs accederent, & meliùs observarent, dignoscerent, navem illam esse Christianam, ac semetipsos decepisse.

XXXV. At dices: eos esse in continuo periculo negandi fidem, si de fide interrogentur. At cur in eodem periculo non erunt, qui vestem Turcicam deferunt? Dico ergo, non esse in periculo proximo: quia non sunt in circumstantia, in qua agatur causa fidei, sed remoto, à quo se avertere homo non tenetur. Essent quidem in periculo proximo negandi fidem, si cogerentur talia nomina deponere, & coram Turcis se profiteri Christianos. Quia Turcæ indignati, se ab iis fuisse delusos; vel eos ad sectam verè profitendam adigerent, vel talibus suppliciis eos onerarent; ut non habentes spiritum Martyrii, nec animum tot mala perferendi, facillimum esset, ut fidem ejurantes veri Turcæ de apparentibus fierent.

XXXVI. Censeo igitur, qui nomina Turcica assumunt, ne dignoscantur à Turcis esse Christiani (si tamen sint parati ad fidem palàm confitendam, casu, quo de illa interrogentur) non esse abjiciendos, tanquam à fide apostatas, nec arcendos à communione Sacramentorum: sed caritativè potiùs à Pastoribus monendos, ne propter temporale commodum, aut etiam propter vitam servandam, Christum erubescant: ne imitentur Nicodemum, qui die cum Judæis Judæus erat, noctu coram Cristo Cristianus [*Joan.* 3. *v.* 2.] se Christianos esse, sed imperfectos, in confinio Mahumetanismi, & Christianismi, exteriùs saltem hærentes, corde debiles, faciles, ut Mahumetano nomini, si tentatio urgeat, jungant rem, ac confessionem. Apertè igitur confiteantur Christum coram hominibus, ut ipse confiteatur eos coram Patre suo. Quod si in ea regione absque gravi periculo hoc eis non liceat; quærant alias regiones, in quibus re, & nomine Christiani vivere possint.

DUBIUM VI.

An liceat Fidelibus, & Catholicis adire Templa Infidelium, & Hæreticorum?

§. I.

Quædam prænotantur.

I. Aditus ad templa Infidelium, vel hæreticorum considerari potest dupliciter. Primò, secundùm se. Et sic non est prohibitus: quia ex se, & ex natura suâ non est protestativus falsæ sectæ, & potest multis in casibus cohonestari. Primò quidem. Si quis Catholicus curiositatis gratiâ, ut videat structuram, ingrediatur templum Infidelium, vel Sinagogam Judæorum; maximè eò tempore, quo non est periculum, ut inficiatur eorum concionibus, psalmodiis, vel Sacrificiis. Tunc enim nemo suspicari potest, eum intrare, ut ibi cultum protestetur; sed ut muros, & structuram parietum inspiciat.

Similiter si quis inserviat Infideli, hic poterit famulatus causâ templum ingredi cum domino suo, ut ei famuletur, in iis tamen, in quibus ei famulatur extra templum. Imò si ejus officium esset, dominum sustentare; posset, eo genuflectente, genuflectere ad effectum auxili præstandi. In quo sensu, ut supra diximus, Elisæus concessit Naaman, ut Rege templum ingrediente, posset & ipse templum ingredi, ac Rege adorante & ipse cum eo procumbere. Eâdem ratione licèt Catholico geren-

gerenti Magistratum apud Principem hæreticum, illum ad templum euntem præire cum gladio, vel alio regali insigni; ibique permanere, etiam dum divina officia celebrantur, ad effectum ibi præstandi civile servitium, quod etiam extra templum præstare solet: imò etiam si in solo templo illud præstaret, causa tamen illud præstandi non esset Religio, sed cultus civilis Principi ea occasione debitus, ut notat Albitius *cap.* 24. *num.* 54.

Eâdem ratione, si quis criminis reus in templum Infidelium, ut in asylum, confugiat evadendi causâ manus satellitum. Is enim templum ingreditur, non ut ibi cultum exerceat, non amore Religionis; sed amore sui, & propriæ securitatis. Uno verbo: talis ingressus cùm non sit per se malus, debet regulari à causa, nec debet operari ultra intentionem agentis, præcisis tamen circumstantiis.

II. Potest deinde considerari ingressus in templum Infidelium ex circumstantiis, quæ ipsi accidere possunt; in quibus potest fieri illicitus, etiamsi intentio absolutè sit bona. Ut si adsit Principis lex, ut omnes templum ingrediantur, ibi psallant cum Infidelibus, eorumque cæremoniis superstitiosis adsistant in protestationem suæ sectæ. Sicut Regina Angliæ præcepit omnibus suis subditis, ut adirent templa hæreticorum, eorum conciones audirent, preces cum eis funderent, aliisque eorum ritibus communicarent; pœnas gravissimas, ac mortem ipsam non facientibus comminando. Et in hoc sensu procedit quæstio præsens: an in his circumstantiis, ad pœnas vitandas, templa hæreticorum adire liceat.

§. II.

Resolutio Dubii.

III. Dico. Non licet Fidelibus, & Catholicis hoc modo, & in præfatis circumstantiis templa Infidelium, & hæreticorum adire. Ita respondet Paulus V. in Decreto, quo formulam juramenti præscripti à Rege Angliæ irritavit, his verbis: *Cogimur monere vos, & obtestari, ut nullo pacto ad templa hæreticorum accedatis, aut eorum conciones audiatis, vel cum ipsis in ritibus communicetis: non enim licet vobis, hoc facere, sinè detrimento divini cultus, & propria salutis.* Quod Decretum emanasse 10. *Kal. Oct.* 1606. & fuisse confirmatum anno sequenti 1607. ex Suarez refert Albitius citato *cap.* 24. *num.* 48.

IV. Et ratio prima est. Nam communicare in Sacris cum Infidelibus, & hæreticis per se illicitum est: sed templa infidelium adire, dum Sacra peragunt, eorum concionibus, ac psalmodiis interesse, ex eorum mensa participare, est cum eis in Sacris communicare; ergo &c. Maj. est certa ex Paulo. Tum 1. *Cor.* 10. *v.* 20. ubi monens eos, ne cum Gentilibus in idolio communicarent: *Nolo autem* (inquit) *vos socios fieri Dæmoniorum: non potestis calicem Domini bibere, & calicem Dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ Dæmoniorum.* De quo videndus est D. Thom. ibi *lect.* 5. Tùm 2. Cor. 6. v. 14. *Nolite jugum ducere cum Infidelibus &c.* Et v. 17. *Propter quod exite de medio eorum, & separaminè, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis.* At audire cum hæreticis eorum conciones, cum ipsis in templo psallere, eorumque ritibus communicare, esset Fideli velle, participem esse mensæ, & calicis Domini, & Dæmoniorum, jugum ducere cum Infidelibus; ergo &c.

V. Secundò. Hoc idem constanter asserunt Patres, inter quos Tertullianus, *lib. de Spectaculis, cap.* 13. & *lib. de Idololatria, cap.* 13. ubi rem hanc expressè tractat. Præsertim verò S. August. *Serm.* 6. *de Verb. Domini*, modò *Serm.* 62. *cap.* 8. ad illud Roman. 13. v. 2. *Qui autem potestati resistit, Dei ordinationi resistit*, interrogat: *Sed quid.*

tanea, ac legitima est, eamque decet omnibus Sanctis accommodare . . . quam fuga causam ita Joannes (c. 7. v. 4.) *descripsit* : Quærebant illum tenere, & nemo misit in illum manum, quia nondum venerat hora ejus.

Inde procedens Athanasius ostendendo, exemplo Christi, tunc solùm homines debere se permittere pro fide torquendos, cùm tempus advenerit; quod quia ipsis notum non est, sicut notum erat Christo, propterea posse fugam arripere: reservantes se animo semper parato ad illud tempus, quo Deo notum est, ipsos vel à persecutoribus liberandos, vel in eorum manus tradendos esse. *Cùmque* (ait S. Doctor) *utpote homines, definiti sibi à Providentia temporis terminum ignorarent, nolebant seipsos insidiatoribus dedititios offerre. Cumque item nosset illud, quod scriptum est, nempe, in manibus Dei esse sortes hominum, & Dominum mortificare, & vivificare; ideo ad finem usque exp. ctarunt . . . . donec definitum mortis tempus adveniret: aut qui tempus definierat Deus, eos alloqueretur, ac insidiatores sedaret: aut certè persecutoribus persecutionem patientes traderet, ut sibi congruum visum fuerit*. Ita Athanasius.

IV. Tertiò. Probatur exemplo Apostolorum, qui metu Judæorum sese occultarunt. Petrus (*Act.* 12.) Herodis carcerem, ac mortem sibi paratam, Angelo ostium aperiente, evasit. Paulus artificio usus, ut fugeret è manu Arethæ Regis, se demitti fecit per fenestram in sporta, ut refert ipse, 2. Cor. 11. *v.* 33. Unde Athanasius: *Si quis est* (inquit) *qui hoc crimini det, is audeat & magnum Apostolum Petrum incusare, quòd in carcere reclusus, & à militibus custoditus vocantem se Angelum sequutus sit: e carcereque egressus, atque liberatus, non se ipsum traditurus redierit, etsi Herodis facinora comperisset. Illud quoque furiosus Arianus Paulo Apostolo vitio vertat, quòd è muro demissus sententiam non mutarit, nec reversus seipse tradiderit. Moysi item, quòd ex terra Madian in Egyptum regressus non sit, ut à quærentibus se apprehenderetur: Davidi, quòd dum in spelunca esset, Sauli non venit ob viam: sed & Prophetarum filiis, quòd in speluncis remanentes sese Achabo non dediderint*. His, aliisque exemplis probat Athanasius, non incusandos eos, qui persequuti fugam arripiunt: ad quem Studiosum remitto.

V. Ratio autem est. Quia talis fuga non est negatio adhuc virtualis fidei, sed potiùs virtualis fidei confessio. Qui enim imminente persecutione fugit, & multa incommoda patitur: qui autem propter fidem patitur, fidem profitetur: qui verò vult negare fidem, non fugit, sed stat: & tunc maximè, quando stanti præmia promittuntur, & fugienti fit comminatio suppliciorum.

VI. Dico secundò. Pastori non licet in persecutione fugere, quando ex ejus permanentia prævideat gregis constantiam, & ex fuga ejus dispersionem; secus autem, si hoc non prævideat, vel huic malo possit per alium occurri. Hanc veritatem statuit S. Thomas 2. 2. q. 185. a. 5. his verbis: *In qualibet obligatione præcipuè attendi debet obligationis finis. Obligant autem se Episcopi ad exequendum Pastorale officium propter subditorum salutem: & ideo, ubi subditorum salus exigit personæ Pastoris præsentiam; non debet Pastor personaliter suum gregem deserere, neque propter aliquod commodum temporale, neque etiam propter aliquod personale periculum imminens: cùm bonus Pastor animam suam ponere teneatur pro ovibus suis*.

Si verò subditorum saluti possit sufficienter, in absentia Pastoris, per alium provideri; tunc licet Pastori, vel propter aliquod commodum Ecclesiæ, vel propter personæ periculum corporaliter gregem deserere.

VII. Hoc etiam probat S. Tho. ex S. August. *Epist.* 180. modò 228. *ad Honoratum* ad illa verba: *Cùm autem persequentur vos in Civitate istâ, fugite*

gite in aliam, dicente: *Quis autem credat, ita hoc Dominum fieri voluisse; ut necessario ministerio, sinè quo vivere nequeunt, deserantur greges, quos suo sanguine comparavit?* Deinde ostendens, Christum fuisse in Ægyptum, sed quando *nondum Ecclesias congregaverat:* Paulum effugisse per fenestram, ne eum comprehenderet inimicus, quia aderant alii, quibus Ecclesiæ ministerium impleri poterat: *Eis quipe volentibus hoc Apostolus fecerat, ut seipsum servaret Ecclesiæ, quem propriè persecutor ille quærebat:* subjungit: *Faciant ergo servi Christi, ministri verbi, & Sacramenti ejus, quod præcipit, sive permisit. Fugiant omnino de Civitate in Civitatem, quando eorum quisquam specialiter à persecutoribus quæritur, ut ab aliis, qui non ita requiruntur, non deseratur Ecclesia: sed præbeant cibaria conservis suis, quos aliter vivere non posse noverunt. Cùm autem omnium, idest Episcoporum, Clericorum, & laicorum est commune periculum, hi, qui aliis indigent, non deserantur ab his quibus indigent. Aut igitur ad loca munita omnes transeant; aut qui habent remanendi necessitatem, non relinquantur ab eis, per quos illorum est ecclesiastica supplenda necessitas: ut aut pariter vivant, aut pariter sufferant, quod eos pater familias volet perpeti.*

VIII. Quia verò respondebatur. Quid profuturi erimus nobis, vel populo, si maneamus: nisi ut ante oculos nostros viri cadant, fœminæ constuprentur, Ecclesiæ incendantur, & nos ipsi in tormentis deficiamus. Reponit Augustinus, posse Deum ad preces familiæ suæ omnia ista mala avertere: *Nec ideo tamen propter ista, quæ incerta sunt, debet nostri officii esse certa desertio, sinè quo est plebi certa pernicies, non in rebus vitæ hujus, sed alterius incomparabiliter diligentiùs, solicitiùsque servanda.* Et post multa concludit: *Cur enim sibi putant, indifferenter obtemperandum esse præcepto, ubi legunt de Civitate in Civitatem esse fugiendum, & mercenarium non exhorrent, qui videt lupum venientem, & fugit, quoniam non est ei cura de ovibus?* Hæc & alia ad rem hanc fusè prosequitur S. Augustinus, propterea videndus.

IX. Hæc tamen intelligenda sunt, quando non specialiter à persecutore quæritur Pastor, vel Episcopus; sed est communis omnium persecutio, & commune periculum, & ex fuga Pastoris prævideretur ruina spiritualis gregis. Ut enim dicit Nicolaus I. *Relatus 7. q. 1. cap. Sciscitaris* (apud D. Tho. citato loco) *Si perniciosum est, Proretam* (idest rectorem navis à prora, quæ est anterior pars navis, ut ait Glossa) *in tranquillitate navem deserere, quantò magis in fluctibus?* Si tamen, vel specialiter Pastor quæratur, vel ex ejus absentiâ nulla divini honoris injuria, nullum proximorum scandalum, aut subversio timeatur; tunc licebit, & fortè tenebitur Pastor fugere. Ut si tantæ infirmitatis sit conscius, ut prudenter timeat, se non fore constantem in tormentis: vel expediat, ut se reservet ad aliud tempus ad prædicandum, vel ministrandum Sacramenta illis, qui post persecutionem superfuerunt, aut si eo absente cessatura videatur persecutio: *Ille autem, qui ad evitandum periculum recedit absque detrimento gregis, non tanquam mercenarius fugit* (inquit S. Tho. citatus *ad 1.*) & hisce rationibus Petrus, Paulus, Athanasius, aliique Sancti Episcopi fugerunt, vel se se absconderunt; & veri Pastores, non mercenarii fuere, quia ad majus Ecclesiæ bonum se reservarunt.

§. II.

Respondetur Objectionibus.

X. Primò objicitur contra primum assertum. Stante edicto Principis, ut omnes simul ingrediantur templum hæreticorum, non licèt viro Catholico illud ingredi; ergo stante edicto de non exeundo à Regno, non licet viro

viro Catholico egredi. Conf. prob. Quia sicut ingrediens in ea circumstantiâ templum videretur negare fidem Catholicam: ita exiens à Regno, stante edicto prohibente, videretur nolle profiteri fidem Catholicam.

XI. Respondeo, neg. conf. Quia ingredi Templum hæreticorum in ea circumstantiâ, esset facto protestari falsam Religionem, & ejurare veram, ut vidimus. At exire à Regno ad vitandam persecutionem, non est falsam Religionem protestari; sed potiùs facto indicare, se illam detestari, & ab ea recedere, ac potius mala, & incommoda exilii velle subire, quàm veram fidem deserere — Ad prob. conf. disparitas est. Quia negare fidem Catholicam est contra præceptum negativum, quod semper obligat, & pro semper. At profiteri veram fidem pertinet ad præceptum affirmativum, quod non obligat pro semper, sed pro loco, tempore &c.

XII. Contra est. Stante Decreto Innocentii XI. *Proposit.* 18. non licet Catholico, interrogato de fide à publica potestate, absque peccato eam dissimulare, & tacere: sed edictum Regium, ne ullus exeat à Regno, est publica interrogatio de fide; & qui fugit, vel se occultat, tacet, & fidem non confitetur; ergo &c.

XIII. Respondeo primò, neg. min. pro secunda parte. Qui enim fugit, facto profitetur, se esse Catholicum. Si enim non esset Catholicus staret, & non fugeret — Secundò dico, Decretum Innocentii intelligendum esse de expressa, & directâ interrogatione: tunc enim silentium per se videtur signum negationis fidei. Non de edicto generali, quod neminem nominatim interrogat. — Addo: quòd si quis interrogatus de fide taceret quidem, sed hilari vultu collum laqueo offerret, & humeros flagellis; iste certè non solùm non negaret, sed constanter fidem profiteretur: cùm ergo qui fugit, estò non respondeat verbis, hilari tamen vultu subjiciat amissioni bonorum, dignitatis, ac mille incommodis; tantum abest, ut neget, quin potiùs fidem apertè confitetur, ac facto protestatur.

XIV. Secundò objicitur. Illicitum est erubescere Christum, juxta illud Lucæ 9. v. 26. *Qui me erubuerit &c.* sed fugere imminente persecutione est Christum erubescere; ergo &c.

Confirmatur. Inconstantia in fide nullo modo licita est: sed fuga imminente persecutione includit inconstantiam in fide; ergo &c.

XV. Respondeo, neg. min. Erubescere enim Christum, est ab observantia mandatorum ejus, & fide recedere, eamque parvi pendere. Christum erubescebant Judæi, & Gentiles, quibus Crux Christi erat scandalum, & stultitia. Unde, *Marci* 8. *v.* 38. aliis terminis dicit: *Qui enim me confusus fuerit, & verba mea .... & filius hominis confundetur eum &c.* Qui autem fugit, Christum non despicit, neque confundit: sed exemplo, & consilio suo, ne Deum tentet, fugâ se proripit, & potiùs eligit subire incommoda, quàm se in periculo eum negandi constituere.

XVI. Sed dices. Apostoli quando in Passione Christi fugæ se dederunt, verè Christum erubuerunt, & eorum fuga fuit virtualis Christi negatio; ergo similiter Christianus in persecutione fugiens &c.

XVII. Respondeo primò. Non esse certum, Apostolos tunc peccasse contra fidem; licèt fortè venialiter peccaverint ob nimiam pusillanimitatem, & defectum promissionis — Dato tamen ant. nego conf. Quia si Apostoli directè, vel indirectè peccaverunt contra fidem; ideo fuit, vel quia vacillaverunt in fide, & circa Christi promissa, Personam, & divinitatem: vel quia gravi scandalo fuerunt Judæis, qui ex eorum fuga confirmati in prava opinione de Christo, magis eum credebant Pseudoprophetam. Qui autem Christum in his circumstantiis fugeret, nos quoque damnamus. Sed

Resolutio nostra procedit absolutè, & ex terminis.

XVIII. Ad Confirm. nego absolutè min. Christus enim persecutionem aliquando fugit, nec tamen passus est inconstantiam. Fugimus, ut meliori tempori nos reservemus, ne temerè vitam projiciamus. Deinde inconstantia, alia est de præsenti, alia de futuro. Inconstantia de præsenti reum facit; quæ autem solùm est de futuro, quia scilicet quis sibi timet, dum in medio malorum fuerit, non facit reum: imò tenemur hanc præcavere: præcavet autem, qui per fugam subtrahit se à periculis.

XIX. Tertiò objicitur. Eadem proportionalis est ratio de ovibus, ac de Pastore in casu persecutionis, & materia fidei. Sed, ut diximus in secunda Assertione, Pastori non licet fugere; ergo &c.

XX. Respondeo, neg. maj. Alia enim est ratio de ovibus quantùm ad hoc, ac de Pastoribus. Ovibus enim particularibus non est tanta obligatio persistendi; quia non incumbit eis ex officio cura spiritualis aliorum, qui ex eorum fuga ruinam animæ pati possent. Pastores autem, quibus cura ovium commissa est, debent, si necessitas urgeat, animam suam ponere pro ovibus suis. Quia tamen Deus unicuique mandavit de proximo suo; ideo aliquando accidere potest, ut aliquæ oves permanere teneantur: quia possunt esse necessariæ ad aliorum conservationem in fide, vel ratione auctoritatis, vel doctrinæ, vel sanctitatis. Cæterùm quando necessitas non urget, & expedit maiori utilitati gregis, ut Pastor reserveiur; tunc etiam Pastor potest, & debet fugere, & se occultare. Et ubi plures sunt Pastores, aliqui possunt, ac debent fugere, ne simul omnes pereant, & qui ex grege remanserint, sinè Pastore relinquantur; & inter istos, qui magis necessarius, & utilis erit, ut reservetur pro majori bono in futurum, iste reservari debet per fugam. Ea ratione servi David 2. *Reg.* 18. *v.* 3. rogaverunt eum, ne egrederetur ad prælium contra Absalon, sed maneret in civitate præsidio: quia *tu unus pro decem millibus computaris*. Qui autem magis idoneus reputabitur, ut sustineat persecutionem, & retineat oves, ne deficiant, hic manere debebit.

TRA-

TRACTATUS
DE INFIDELITATE.

Quia oppositorum eadem est disciplina; ideo tractatui de fide statim subiicimus tractatum de infidelitate illi opposità. Non loquimur tamen de infidelitate opposità fidelitati, quâ videlicet quis non stat promissis; unde Ecclesiastæ 5. v. 3. *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere, displicet enim ei infidelis, & stulta promissio:* & mulier, quæ violat fidem, seu promissionem datam marito, dicitur infidelis. Sed loquimur de infidelitate oppositâ fidei divinæ, de qua supra tractavimus.

QUÆSTIO I.

Infidelitas Quid sit, & Quotuplex.

Infidelitas fidei divinæ opposita, secundùm S. Thomam 2. 2. q. 10. a. 1. contingit dupliciter. Primò, secundum puram negationem; quo pacto dicitur quis infidelis ex hoc solo, quòd non habeat fidem: unde vocatur infidelitas negativa, qualis est in eis, qui, vel nihil de fide audiverunt, vel non taliter, ut ad eam suscipiendam sint obligati. Secundo modo, per oppositionem ad fidem, & dicitur infidelitas privativa, vel positiva: & hâc infidelis dicitur, qui repugnat auditui fidei, vel fidem contemnit. De infidelitate negativâ hîc non agimus, sed de privativa, sive contrariâ; quæ tripliciter potest evenire. Vel purè privativè: & hæc est carentia fidei in eo, qui potuit, ac debuit credere, sed non voluit, etiamsi nullum habeat errorem positivum in intellectu: ut in eo, qui non credit, Deum esse incarnatum. Vel positivè, & contrariè: & hæc est in eo, qui non solùm non credit veritatem fidei, sed formaliter asserit errorem oppositum: ut in eo, qui credit, & sustinet, Deum non esse incarnatum. Vel per hoc, quòd vacillet, & dubitet circa ea, quæ fides dictat, vel falsò opinando, vel suspicando, seu pro suspecta habens veritatem fidei: vel neutraliter se habens, neque assentiendo, neque dissentiendo his, quæ fides dictat. Cùm enim divina fides firmum, ac certum exigat assensum; hoc ipso, quòd aliquis non certò assentitur, sed dubitat, Infidelis est: dummodo tamen sciat, id, de quo dubitat, esse ab Ecclesia, ut de fide, statutum, & adhuc deliberatè pertinaciter dubitare velit; ut, post alios, Albitius de Inconst. in fide p. 1. c. 7. num. 5. De Infidelitate ergo sic explicatâ sermo erit in hac, & sequentibus quæstionibus.

DUBIUM I.

An Infidelitas Negativa sit Peccatum?

§. I.

Resolutio Dubii.

1. Dico. Infidelitas purè negativa, modo supra explicato, non est peccatum. Hanc veritatem contra Jansenium firmavimus *Tom. 3. in 1. p. Tract. de Volunt. Dei Q. 2. §. 5. à num. 44.* Nunc autem probatur primò ex illo, Joann. 15. v. 22. *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent:* sed eis, qui infideles sunt negativè, Christus nec per se, nec per suos ministros locutus est

est mysteria fidei . ut supponimus ; ergo peccatum infidelitatis non habent . De hoc enim peccato solo intellexisse Christum, fatetur S. Augustinus, *Tract.* 89. *in Joann.* Ubi quærens de his , *ad quos non venit Christus* , *nec locutus est eis* (per se scilicet , vel per suos ministros) utrum *excusationem habeant de peccato suo ;* respondet : *Habere illos excusationem, non de omni peccato suo ; sed de hoc peccato, quo in Christum non crediderunt , ad quos non venit , & quibus non est locutus .* Quod repetens Qu. 52. in Deuteron. *Peccatum* (inquit) *non haberent , non utique omne , sed hoc peccatum , quo non crediderunt in eum .* Et *Epist.* 105. modò 194. *ad Sixtum c.* 6. ait : *Ipsa ignorantia in eis , qui intelligere noluerunt , sinè dubitatione peccatum est : in eis autem , qui non potuerunt , pœna peccati .* Videantur quæ diximus *Tom.* 6. *in* 1. *p. Qu.* 8. *de Peccat. Origin. Dub.* 2. § 3. *num.* 22. & *Tom.* 1. *in* 1. 2. *Tract. de Act. Human. q.* 1. *de Voluntario , Dub.* 7. §. 5. *num.* 27. Quæ omnia claudit S. Thom. hàc *qu.* 10. *a.* 1. dicens : *Infidelitas si accipiatur secundùm puram negationem , sicut in illis , qui nihil audierunt de fide , non habet rationem peccati , sed magis pœna : quia talis ignorantia divinorum ex peccato primi Parentis consecuta est .* Quare meritò S. Pius V. hanc Baii *Proposit.* 68. expunxit : *Infidelitas purè negativa in his , quibus Christus non est prædicatus , peccatum est .*

II. Prob. secundò ex Apost. Rom. 10. v. 14. *Quomodo credent ei , quem non audierunt ? Quomodo autem audient sine prædicante ?* Ex quibus formatur ratio. Infidelis negativè est ille , qui cùm nihil audierit de Christo , & ejus fide , non potest credere : cùm enim mysteria fidei , utpote supernaturalia , lumine rationis , & naturali discursu nequeant cognosci ; debent exteriùs proponi , vel interiùs inspirari : unde qui omni illustratione tàm internâ , quàm externâ per prædicationem destitutus est , non potest ea credere ; sed nemo peccat omittendo id , quod non potest facere , & ignorantia invincibilis à peccato excusat ; ut contra Jansenium statuimus citato *Tom.* 1. *in* 1. 2. *q.* 1. *de Voluntario Dub.* 7. *à* §. 4. ergo &c.

§. II.

Solutio Argumentorum .

III. Objiciunt primò . Ignorantia , quæ habet causam voluntariam , voluntaria est , & culpabilis : sed ignorantia fidei habet causam voluntariam , nempe , peccatum primi Parentis , in quo omnes voluntariè peccaverunt , & quo demeruerunt justè privari cognitione fidei : & etiam peccata personalia actualia præterita , quæ si homo non commisisset , sed fecisset quod in se est , servando , vel proponendo servare legem naturæ , Deus illuminasset ipsum de necessariis ad credendum ; ergo &c.

IV. Confirmatur primò . Si quis in pœnam præcedentium peccatorum privaretur omni auxilio sufficiente , ita ut non posset legem implere , adhuc non excusaretur à transgressione legis ; ergo similiter si quis in pœnam originalis , vel actualis peccati privetur illuminatione fidei , non excusabitur &c.

V. Confirmatur secundò . Docet S. Thom. *Quolib.* 3. *a.* 10. Non posse dari ignorantiam invincibilem juris divini circa ea , quæ sunt de necessitate salutis : sed fides aliquorum mysteriorum est de nec.ssitate salutis , ut diximus ; ergo circa illa &c.

VI. Respondeo primò . Maj. veram esse de ignorantia , quæ habet causam voluntariam voluntate propriâ personæ ; non autem de ea , quæ est voluntaria tantum voluntate naturæ , qualis est ignorantia orta ex peccato originali , ut diximus *Tom.* 1. *in* 1. 2. *Q.* 1. *de Voluntario, Dub.* 7. §. 6. *n.* 55. — Respondeo secundò, dist. maj. Ignorantia , quæ habet causam voluntariam, est voluntaria , si sit prævisa , con. maj. Si non

non sit prævisa, nego maj. Cùm enim ignorantia, & alii defectus sequantur ad peccatum, per modum pœnæ; & de ratione pœnæ sit, quòd voluntati repugnet, ut docet D. Thom. 1. *p. q.* 48. *a.* 5. non sequitur, quòd si peccatum est voluntarium, voluntaria sit etiam pœna, nempe, ignorantia, nisi sit prævisa ex peccato secutura: tunc enim sicut peccatum est voluntarium, ita pœna, ex eo secuta, est voluntaria. Et hâc ratione privatio justitiæ originalis est voluntaria, & peccatum, quia prævisa fuit in illa comminatione: *Quacumque die comederis ex eo, morte morieris*. Cùm autem ante peccatum originale, sive actuale prævisa non fuerit carentia illuminationis de rebus fidei; sequitur quidem, quòd sit effectus peccati, non tamen peccatum: sicut fomes, & aliæ pœnalitates naturæ corruptæ sunt pœnæ, & effectus peccati, non tamen peccatum.

Similiter. Estò, si homo actualiter contra legem naturæ non peccasset, Deus illum illuminasset de rebus fidei; hoc fuisset donum Dei ex pura suâ misericordiâ. Unde carentia talis illuminationis non est voluntaria, & peccatum in eo, qui contra legem peccavit: quia dum prorsus ignorat res fidei, non cognoscit, talem esse ordinem divinæ misericordiæ, ut facienti quod in se est, vel non ponenti obicem Deus det gratiam illuminationis; non facienti autem eam neget. Sicque, etsi non faciat, & ideo ignoret, non sequitur, quòd ignorantia sit illi voluntaria, & culpabilis: quia ab illo, qui nil audivit de fide, non potuit prævideri.

VII. Ad primam Confirm. dico, ostensum esse *Tom.* 3. *in* 1. *p. Tract. de Volunt. Dei Quæst.* 2. *Dub.* 3. neminem, quamvis Infidelem, obstinatum, obcæcatum, dum est in hac vitâ, privari omni auxilio, etiam remoto, sufficiente ad servandam legem. Quòd si privaretur, esset excusabilis, & non peccaret.

VIII. Sed dices. Si ergo homo quilibet, etsi Infidelis, habet auxilium sufficiens, quilibet homo poterit, & tenebitur credere; ergo, si non credit, non excusabitur, nec erit Infidelis solum negativè.

Nego primum illatum. Non enim cuilibet homini, & pro quolibet tempore datur auxilium proximè sufficiens ad credendum, maxime Infideli; sed tunc solùm quando instat obligatio credendi: hæc autem non urget, nisi quando ei fides proponitur. Quare eo, cui fides non est proposita, non est collatum auxilium sufficiens, nec tenetur ad credendum.

IX. Ad secundam Confirm. dico, S. Thomam non negare ignorantiam invincibilem juris divini supernaturalis in eo, qui nunquam audivit de fide; sed in eo, qui audivit de fide à magistro falso, puta Ario, vel Nestorio: hic enim si audiat aliquid, quod judicet, vel sibi videatur, aut suspicetur esse contra Evangelii veritatem; tenebitur non quiescere, sed veritatem indagare, alios consulendo.

X. Objiciunt secundò. Saltem circa materiam juris naturalis non potest dari ignorantia invincibilis: sed fides se extendit etiam ad ea, quæ juris naturalis sunt; ut quòd Idola non sint colenda, sed unus Deus; ergo si quis adoret Idola, non excusabitur.

Rursus: qui semel edoctus, & instructus est, non excusatur, si non credit: sed omnes homines in primo instanti usus rationis edocentur interiùs à Deo tali instructione, ut vi illius possint converti ad fidem; ut docuimus cum D. Thom. *Tom.* 2. *in* 1. *p. Qu.* 1. *Dub.* 2. §. 2. & *Tom.* 3. *de Volunt. Dei, Qu.* 2. *Dub.* 3. §. 2. *&* 5. ergo si non credunt, non excusantur.

XI. Respondeo, circa quæstionem: an dari possit ignorantia invincibilis juris naturalis: videnda esse, quæ diximus *Tom.* 1. *in* 1. 2. *Tract. de Act. Human. qu.* 1. *de Voluntario Dub.* 7. §. 7. Nunc dico, quòd estò dari nequeat ignorantia invincibilis de hoc præcepto: non esse colenda Idola, sed

unum

unum Deum auctorem naturæ: quòd tamen hic unus Deus sit etiam auctor gratiæ, & gloriæ, potest invincibiliter ignorari ab eo, qui nihil unquam audivit de fide; nec interiori illustratione edoctus fuit de mysteriis, quorum fides necessaria est ad Deum auctorem gratiæ, ut oportet, colendum. Cum enim præceptum fidei sit præceptum positivum, non obligat eos, quibus non est promulgatum. Ad id, quod additur, respondeo ex dictis, præcipuè *Tom. 2. in 1. 2. Q. 3. de Pecc. Mortali, & Veniali, Dub. 5. §. 3. n. 25.* veram esse maj. si illius primæ instructionis recordetur: non autem si illius, crescente ætate, naturaliter ita oblitus sit, ut perinde se habeat, ac si illam nunquam habuisset. Cùm verò homo, estò in primo instanti usus rationis à Deo instructus interiori illustratione de fide (& pro eo tempore obligatus ad credendum) progressu tamen temporis, illustrationis habitæ in ætate adeo tenerâ obliviscatur, eum non amplius obligat, ac si nunquam illam habuisset: sicut quis peccati commissi ita naturaliter oblivisci potest, ut illud confiteri non teneatur.

DUBIUM II.

An Infidelitas Privativa sit Peccatum?

§. I.

Resolutio Dubii.

I. DIco. Infidelitas *privativa*, ejus nimirùm, qui fide sufficienter sibi propositâ, eam non accepiat; vel *contraria*, ejus nempe, qui errorem fidei contrarium pertinaciter sustinet, semper peccatum est. Prob. primò. Quia nemo condemnatur, nisi propter peccatum: sed *qui non crediderit, condemnabitur*, Marci ult. v. 16. *Et qui non credit, jam judicatus est*, Joan. 3. v. 18. ergo infidelitas peccatum est.

Secundò. Christus supra citato loco, Joan. 15. v. 22. *Si* (inquit) *non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem* (quia veni, & locutus sum eis, & non crediderunt) *excusationem non habent de peccato suo:* sed infidelitas eorum, quibus Christus locutus est, & non crediderunt, est infidelitas privativa; ergo hæc peccatum est.

II. Probatur hoc discursu. Quicumque non vult obedire præceptis pertinentibus ad gradum suum, & recusat subjici eis, peccat: sed homo per infidelitatem privativam recusat subjici præceptis pertinentibus ad gradum supernaturalem, ad quem natura rationalis est elevata, quæ sunt credere, sperare, & diligere; ergo per infidelitatem peccat. Maj. explicatur. Tùm quia: quilibet tenetur subjici præceptis spectantibus ad suum gradum; rusticus præceptis legis agrariæ, Miles præceptis militiæ &c. Tùm etiam à pari: si homo recuset subjici præceptis spectantibus ad gradum vegetativum, aut sensitivum, aut rationalem naturalem; nolens manducare, moderari passiones, & justè, seu virtuosè vivere, certè peccat: quia recusat subjici præceptis spectantibus ad illos gradus. Et si omnes Cives essent evecti ad gradum nobilis, & nollent præcepta regia spectantia ad statum nobilis acceptare, jam rei criminis essent; ergo &c.

§. II.

Satisfit Objectis.

III. PRimò objicitur. Omne peccatum est contra naturam: sed infidelitas non est contra naturam; ergo &c. Maj. patet ex probatis *Tom. 2. in 1. 2. Tract. de Vitiis, & Pecc. Qu. 1. Dub. 2.* Min. prob. Habere fidem non est juxta naturam: homo enim non habet fidem, ut homo est, sed ut Fidelis est. Unde August. lib. de Prædest. SS. cap. 5. *Posse* (inquit) *habere fidem, sicut posse habere caritatem,*

XIII. Respondeo, maj. admitti posse, quando hæretici administrant Sacra ritu catholico, nullo interveniente ritu damnato: quando talis communicatio non est externa protestatio falsi dogmatis, aut sectæ: & quando nullum est edictum Principis id præcipiens in contemtum veræ Religionis: quæ omnia in casu nostro sunt.

XIV. Sed dices. Illis edictis Princeps non intendit fidei protestationem, sed potius pecuniam: ideoque frequentiùs mulctas pecuniarias imponit; ergo ei parere, non est protestari ejus falsam sectam.

Respondeo, quidquid sit de fine extrinseco operantis, seu de intentione præcipientis, certum est, quòd finis intrinsecus operis est cultus sacrilegus, & superstitiosus, quia ad hoc est institutus; unde exui malitiâ non potest, sive ab intentione præcipientis, sive exequentis: sicut mendacium verbo, vel facto, quocumque fine præcipiatur, aut proferatur, semper est malum. Alioquin si Princeps præciperet Christiano, ut thus adoleret Idolo, mulctam pecuniariam imponens; sequeretur, quòd licitum fieret Christiano thus adolere: quia Princeps id non exigeret intendens cultum falsum, sed pecuniam.

DUBIUM VII.

Resolvuntur Casus circa Præsentem Materiam.

§. I.

Tres Casus.

I. PRimus est. Quidam in seculo didicerat pulsare organa. Missus ad Missiones, ut se, suamque fidem celaret, acceptavit officium pulsandi organa in templo hæreticorum; ubi mos est pulsare, dum Psalmos canunt, aut celebrant Cœnam: ipse tamen nec Psalmos recitabat, nec de Cœna participabat. Quæritur: An licitè ageret?

II. Respondeo negativè. Illâ enim pulsatione positivè concurreret, & communicaret cum hæreticis in ritu superstitioso eorum: porro illa pulsatio est veluti pars illius psalmodiæ, quæ ex cantu, & sono conflatur, & quasi ritus administrandæ Cœnæ. Quare pulsatio organi, quæ physicè, & materialiter indifferens est, in talibus circumstantiis determinatur ad ritum pravum. Sicut deferre scalam ad ascendendum fenestram, physicè res indifferens est: sed eam deferre Domino volenti ascendere fenestram, ad stuprandam virginem, determinatur ad usum malum, & illicitum, ut declaravit Innoc. XI. *Proposit.* 51. inter damnatas: etsi id faciat famulus metu notabilis detrimenti; puta, ne à domino malè tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

III. Secundus casus est. Sacerdos habitu sæculari incedens, ut moris est in partibus hæreticorum; cùm adverteret, quosdam supra ipsum invigilare, ut agnoscerent, an esset Sacerdos Papista, vel laicus, & sic eum proderent Magistratui: ut ipsos eluderet, convenit cum muliere occultè Catholicâ, ut secum in eadem domo habitaret, sibique in rebus domesticis inserviret. Ita factum est. In conversationibus autem domesticis coram hæreticis eam solebat commendare, vocando illam dominam suam: *Domina mea*, dicebat, delicatum jusculum dedit in prandio, vel aliud simile; utens æquivoco illo verbo *Dominâ*, quo familiariter conjuges vocare solent uxores suas: unde videbatur indicare, eam esse suam uxorem, ut sic ab hæreticis averteret suspicionem, se esse Sacerdotem Papistam. Quæritur ergo: an iste hoc artificioso loquendi modo virtualiter negaret fidem, & sic illicitè se gereret.

Scio, aliunde ut illicitum posse damnari, quia domestica illa conversatio posset decursu temporis esse causa gravis tentationis, & lapsus contra votum castitatis. Sed hoc prætereo,

& solum quæsitum devolvo: an illud artificium, quo videbatur indicare, se esse uxoratum, includeret negationem Romanæ fidei.

IV. Respondeo negativè. Et ratio est. Quia tali loquendi modo ad summum indicabat, se non esse Sacerdotem, cùm videretur habere uxorem: hoc autem non est fidem negare; sicut eam non negaret, si apertè diceret, non sum Sacerdos: optimè enim stat, non esse Sacerdotem, & esse Catholicum Romanum. Solùm ergo videretur negare conditionem particularem proprii status, quem in Ecclesia Catholicâ haberet; non autem professionem Catholicismi, qui dividitur in laicos, & Sacerdotes: & sic mentiri quidem, sed non circa fidem. Dixi, quòd videretur negare conditionem Sacerdotis: nam in rigore, nec istam negaret, sed ad summum tegeret, & dissimularet. Quia ille terminus *Domina mea* non est ita determinatus ad significandam propriam uxorem; quin etiam benè, & satis frequenter accipiatur ad significandas mulieres honestas in aliquo servientes.

V. Tertius casus est. Quidam didicerat acta, mores, & vitam Calvini, sive Lutheri, ac eorum hæreseos propagationem. Obortâ persecutione contra Catholicos, ut se tegeret, in colloquiis domesticis, & conviviis sæpè discursus historiales de vita, moribus, ingenio, & stylo utriusque intermiscebat; neutrius tamen doctrinam tangendo, aut approbando: imò aliis tangentibus, ipse nil dicebat; vel ad summum asserebat, de tali materia disputavit Calvinus Genevæ, vel tali libro Institutionum, omnia merè historicè proferendo. Quæritur: an benè se gesserit.

Certum est, quòd inspectis generalibus principiis licitum videtur: quia narrare vitam, gesta, ingenium hæretici nil mali continet: cùm vitæ, gesta, mores, ingenia Imperatorum, ac Philosophorum gentilium ab omnibus legantur. Loqui etiam merè historicè apud hæreticos de sua secta; non est illam approbare, sed solùm ostendere eruditionem de tali re. Sicut nos eruditè discurrere solemus de bello Gallico; quin ex hoc indicemus, nos esse Gallos; & de bello Judaico ex Josepho; quin judicemur esse Judæi.

VI. In praxi tamen præsentis casus aliquod periculum deprehendo; ne si id frequenter faciat, indicet, se speciali affectu ferri erga personam Calvini, aut Lutheri: ex quo fiat, ut audentes prudenter inferre possint, eum sic loquentem esse affectum etiam erga doctrinam; maximè si audiens tangi doctrinam alterutrius, nihil in contrarium dicat: sic enim ex antedictis videtur etiam doctrinam approbare. Non licet autem adhibere signa, quæ ratione circumstantiarum accipi prudenter possint pro approbatione falsæ Religionis.

§. II.

Alii Casus.

VII. Quartus casus est. Quidam interrogatus de Religione in familiaribus congressibus, expeditè respondit: ego sum ex Religione Pauli Apostoli, qui cum Judæis Judæus erat, cum Gentilibus, Gentilis erat: ego sum omnibus omnia factus: intendens semper in corde suo sensum Pauli, qui ad lucrandas animas omnibus se accommodabat: hoc artificio utens, ut faciliùs posset instruere Neophitos, ac in fide deceptos trahere, suos consolari, & confirmare. Quæritur: an hujusmodi loquutio involvat aliquid contra fidem.

VIII. Videtur aliquibus licitè egisse: quia licèt ab hæreticis interrogaretur de Religione, cùm tamen ipse protestetur, se esse religionis S. Pauli, qui cum Judæis erat Judæus, & Gentilis cum Gentilibus, non quia eorum fidem mentiretur: sed quia, ut eis subveniret, eorum infirmitatibus se accommodabat; ut supra ex August. dice-

dicebamus, *Dub.* 4. §. 3. *num.* 20. in eodem sensu videtur loqui, & consequenter fidem Calvinianam non mentiri, aut hæreticam. Quòd si audientes aliter intelligant, & credant; hoc est, quia non advertunt: si enim adverterent, possent suam deceptionem nosse, ut supra; citato *Dub. & §. nu.* 18. in facto quorumdam SS. Martyrum dictum est.

IX. Alii verò tutiùs credunt, asserere hoc in circumstantiis illis ei non licuisse. Cùm enim interrogaretur de Religione, respondens, se esse Judæum cum Judæis &c. videretur dicere, se cum Lutheranis esse Lutheranum, cum Calvinistis Calvinistam, & sic mentiendo negare, se cum illis esse Catholicum. Et hoc esset abuti Paulo, quemadmodum ejus dicto abutebantur Priscillianistæ; ut citato loco, *num.* 20. ostendimus. Neque ipsum excusaret, quòd fuerit, ut eluderet responsionem, & quia ex hoc speravit fructum conversionis deceptorum, & confirmationis conversorum. Nullum enim eorum ipsum salvat.

Non primum. Nam si illa responsio fuit negatio fidei, non potuit ei esse licita; cùm nec pro minimo instanti Catholica veritas neganda sit: dicente Auguft. l. contra Mendac. c. 6. *Semper cum timore recolendum est:* Quicumque me negaverit coram hominibus, negabo eum coram Patre meo, qui in Cœlis est. *An verò Christum coram hominibus non negat, qui eum coram Priscillianistis negat; ut eos latentes blasphemo mendacio nudet, & capiat?*

Non secundum. Non enim possumus blasphemare, ut blasphemum corrigamus; neque nos mentiri lupos, ut lupos convertamus in oves. *Veritate* (ait Auguft. eod. c. 6.) *sunt cavenda, veritate capienda, veritate occidenda mendacia. Absit, ut blasphemias ignorantium, scienter blasphemando vincamus... si enim ut capiatur qui blasphemat nesciens, blasphemabo sciens; pejus est, quod ago, quàm quod capio.* Cùm ergo qui mentiretur se Calvinistam, ut deceptos caperet, sciens, Christum negando, blasphemaret, pejùs esset quod ageret, quàm quod caperet. Unde *cap.* 21. concludit: *Absit ergo, ut Christianus neget, atque blasphemet Christum, quò possit alium facere Christianum; & pereundo quærat inveniendum, quem si talia doceat, perdat inventum.*

Non tertium. Quia non esse mentiendum studio servandi alios ad vitam æternam, probat. Auguft. *l. de Mendacio c.* 8. Tùm quia: fructus, qui speratur est incertus, mendacium autem præsens malum est certum. Tùm quia: non sunt facienda mala, ut veniant bona.

X. Quintus casus est. Catholicus quidam defecit à fide Catholicâ. Factus miles, ob gravia crimina suspendio damnatur. Sacerdos Catholicus, ut eum revocet ad fidem, rogat ministros, ut dum ducetur ad supplicium, possit eum comitari, & ad mortem viriliter tolerandam excitare. Quod petit, obtinet. Ad reum accedens, monet illum de periculo æternæ vitæ &c. Gratiâ Dei tangente cor ejus, cum lacrymis dicit, se ejurare omnem errorem; & libenter reversurum ad fidem, si daretur tempus expiandi conscientiam suam. Ad hæc Sacerdos dicit, sat esse, ut ferventes eliciat actus fidei, spei, & caritatis, atque unum, vel alterum ex criminibus ei aperiat cum detestatione hæresis, ac dolore generali; ipse absolutionem Sacramentalem impertietur. Hoc facto, petit reus, si possibile foret, refici Corpore Christi. Tunc Sacerdos eruens è sinu capsulam pro tabacco divisam in duas partes; in quarum unâ tabaccum, in altera auratâ deferebat particulas consecratas: videntibus omnibus, dedit reo tabaccum. Deinde accipiens duobus digitis secretò particulam, & aliis linteum, specie tergendi sudorem à fronte, mirâ dexteritate ipsum communione refecit: & adjiciens, ut supra patibulum daret signum aliquod suæ constantiæ in fide, datâ conventione, ut invocaret nomina *Jesus, Ma-*

via, *& Joseph*, pervenerunt ad locum patibuli, & Sacerdos secedens se immiscuit turbæ. Reus constans, & fortis collum aptavit laqueo, & in actu projectionis à carnifice clarâ voce exclamavit: *Jesus*, *Maria*, *Joseph*. Ad hæc commoti adstantes, exclamare cœperunt: Papista est. Inter quos unus, qui vidit colloquium rei cum Sacerdote: hoc fecit, inquit, Sacerdos N. Sacerdos N. inter nos est. Sacerdos, hoc audito dimisit pallium, & excurrens hinc inde clamitare cæpit, ubi est Sacerdos N? Ubi est? Quæramus eum. Et hac industriâ commovens turbam, evasit, & abscondit se. Visum fuit aliquibus, tali artificio fidem Catholicam negasse, & falsam simulasse.

XI. Alter casus huic similis accidit. Sacerdos N. Catholicus invitatus ab hæreticis ad choreas, ne detegatur, vadit. Inter saltandum cadit ei Diurnum horarum canonicarum. Rem advertens, oculisque perspiciens, ubi cecidisset, inter saltandum se inclinans, illudque aperiens exclamare cæpit: Diurnale Papisticum est hoc: unus ergo Papista inter nos erit. Quis est iste? Singuli cæperunt dicere: non sum ego. At ille repetiit: quis ergo est? Sicque dissolutis choreis mansit ut antea occultus. Erant duo in angulo domus recentes Catholici non saltantes, ad quos accedens, vidistis, inquit, quid acciderit circa Diurnale? Ita, ajunt, & mirati sumus, te negasse esse Papistam, cùm semper nos docueris, id non licere. Quibus ille: Percepistisne, quid dixerim? Nunquam negavi, sed dixi: hîc ergo est aliquis Papista, quod verum est; & suspensiva locutione addidi: quis ergo est? Hæc ille. Quæritur: an licuerit res ista?

XII. Alius item contigit casus. Missionarius Catholicus coactus fuit aufugere à Civitate. Ministri Heterodoxi, ut si rediret, prorsus caperetur, ejus imaginem suspenderunt ad portam Civitatis. Ægrè ferens ille, se non posse ovibus suis assistere, meditatur regressum: induitusque viliori veste, ac facie luto deformatâ ad portam Civitatis accedit: ibique suam videns imaginem stetit, & illam amentis more inspectans, exclamavit: *ab nequam!* Deinde accepto luto, & pulvere projecit in faciem picturæ. Sic elusit custodes, & ingressus est Civitatem. Quæritur: an hæc fuerit vera simulatio contra fidem Catholicam.

XIII. Ad primum ex his tribus casibus dico, nullam ibi implicari fidei negationem, neque mendacem simulationem. Si enim in eo esset negatio, hoc esset; quia cùm ipse sit Sacerdos, & sciat, ostendit, se nescire, quis sit: & cùm sciat, ubi sit, ostendit se nescire, ubi sit. In hoc autem nulla fallacia est: non enim est mendax fallacia, unum veris verbis proferre, & aliud non dicere. Quia ut docet S. August. lib. contra Mendac. cap. 10. *Non autem hoc est occultare veritatem, quod est proferre mendacium*. Sic Abraham, dum de Sara dixit, sororem suam esse, verum dixit: sed dum non dixit esse etiam uxorem, verum tacuit, sed mentitus non fuit. Unde concludit: *Non est ergo mendacium, cum silendo absconditur verum, sed cum loquendo promitur falsum*. Sic in præsenti casu: non negat se: sum præfatus Sacerdos; sed verbis utitur veris unum significantibus, non detegendo aliud: *Quis est ille Sacerdos? Ubi est? Quæramus eum*. Hæc verba clarum, & apertum habent sensum; non tamen detegunt, ipsum ea proferentem esse Sacerdotem quæsitum, sed hoc non est necesse. Utens enim illâ figurâ interrogationis, & suspensionis simul distraxit species, & applicationem adstantium; ne in se attentionem figerent, ac eum detegerent. Ait imputandum est ipsis, ut sint decepti: poterant eum adhuc reflectere, eumque detegere.

XIV. Secundus casus eâdem solutione diminuitur. Usus enim fuit figurâ admirationis simul, & suspensionis. Locutiones etiam adhibitæ nullam

lam negationem fidei includunt; imò ad eam tuendam videntur fuisse ordinatæ. An verò peccaverit peccato scandali, propter recenter conversos, quibus artificium illud visum est minus rectum; excusare eum posset inadvertentia, & etiam Neophitorum inconsideratio præcipitata, & defectus debitæ attentionis ad verba. Prudens tamen Minister periculo providit, cum eos post factum interrogavit, & edocuit.

XV. In tertio casu nulla est fidei negatio, neque indirectè. Tùm quia: simplex derisio hominis Papistæ non est derisio fidei Catholicæ Romanæ. Tum quia: actiones stultorum etiam putativè non creduntur reflexæ contra fidem, sed vacuæ, & inanes. Videtur tamen excusari non posse à culpa officiosæ simulationis.

§. III.

Alii Casus Prosequuntur.

XVI. Sextus casus est. In domo privatâ cujusdam nobilis Angli instituta est comædia, inscripta *Papa, & Rex* (Rex inquam Jacobus II. ejectus annis retro lapsis à Regno) Induebatur Papa accessibus, quibus bestia Apocalypsis induta describitur: Rex verò regiis insignibus ornatus, nigro charactere in fronte signatus, Dæmonibus exultantibus circumdatus, tanquam affecla, & filius Papæ irridebatur. Ad hunc vocatus quidam secretè Catholicus, interfuit. Quæritur: an licitè interesse potuerit?

XVII. Negativè respondendum est. Si enim Patres censebant interdicta Christianis Ethnicorum spectacula; quia idololatrica, vel originem ab Idololatria trahentia, ut ostendit Tertullianus, *lib. de Spectaculis cap.* 5. multò magis censuerunt eis interdicta ea, quæ in honorem Idolorum, vel irrisionem fidei Christianæ instituebantur. Cum ergo prænarrata comædia non esset pura rei præteritæ, & narratæ repræsentatio, non tamen approbatæ (ut fit in theatris Catholicorum, in quibus repræsentantur Sacrificia, & prophanitates Gentilium, non tamen approbantur) sed esset instituta in derisionem fidei Romanæ, & dignitatis Papalis: quicumque illi assisteret, facto illam approbaret, & in contemtum Romanæ fidei consentiret.

XVIII. Septimus casus est. Mortuo quodam celebri Calvinistarum Ministro, dum immineret tempus sepulturæ, stabat quidam Catholicus cum hæreticis confabulans, quorum unus dixit: eamus ad comitandum funus: hoc enim est debitum; fuit enim Minister noster, qui docuit nos viam salutis. Clamaverunt alii, dignum est: eamus. Catholicus autem, ne se proderet, respondit & ipse, eamus. Et cum aliis ivit, & comitatus est funus. Dubitatur: an talis actio in talibus circumstantiis fuerit protestativa falsæ sectæ. Primò. Quia mortuus, qui efferebatur, publicus Minister fuerat. Secundò. Quia qui invitaverat, dixerat: *Debitum est, quia docuit nos viam salutis.*

XIX. Resolutio hujus casus pendet ab hac aliâ: An scilicet officium sepulturæ, & funeris apud hæreticos habeatur ut cæremonia purè civilis, & politica, an verò ut sacra, quia aliquo ritu sacro peragitur. Si ergo, ut plures Theologi censent, ab hæreticis habeatur, ut officium merè civile, licebit Catholicis in eorum partibus degentibus absolutè comitari, & adesse funeri eorum. Quia sicut eis viventibus licet præstare obsequia, & alia pietatis officia, quæ merè humana, politica, & civilia sunt: ita licebit ea ipsis jam defunctis, & eorum cadaveribus exhibere? *Si enim* (inquit August. lib. 1. de Civitat. Dei cap. 13.) *paterna vestis, & annulus, aut si quid hujusmodi, tantò carius est posteris, quantò erga parentes major affectus: nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quæ multò familiariùs, atque conjunctiùs, quàm qualibet indumenta gesta.*

gestamus. Hinc apud omnes, etsi barbaras nationes, is sensus pietatis fuit, ut modus aliquis cadavera sepeliendi servaretur; qui tamen nunquam est ereditus, nisi genus quoddam politicæ observantiæ.

XX. Si verò funeri accedat aliquid sapiens ritum, aut cæremoniam sacram, & protestativam Religionis; puta, si in funere deferantur cerei, cantentur Psalmi, vel recitentur, aut quid aliud agatur, in cætu sacro peragi solitum; sicut etiam si cadaver sit indutum sacris vestibus, non licebit Catholico tale funus comitari: quia hoc esset, eas ceremonias falsas, & superstitiosas, ut veras, & sacras approbare: & hoc, etsi Catholicus nihil horum dicat, aut faciat.

XXI. Nec valet dicere primò. Nobis non esse certum, illum mortuum fuisse in hæresi. — Secundo. Cereorum usum esse indifferentem, cùm usus primarius eorum non ad sacrum ritum sit destinatus, sed ad fugandas tenebras; & Ethnici eis uterentur in omnibus festivitatibus etiam non sacris, ut in nuptiis, & in funeribus hominum fortium — Tertiò. Hæreticos nostri temporis cereos, ac preces non assumere, ut suffragentur animabus defunctorum: negant enim, Purgatorium, & preces ullo modo mortuis prodesse. Imò Catholicis, qui ad hunc finem cereos gestant, & preces fundunt, subsannantur.

XXII. Non inquam valet. Nam ad primum dico, quòd si non adsit circumstantia aliqua specialis, quâ prudenter judicemus, vel saltem suspicemur, eum in mortis articulo hæresis pœnituisse; adest semper certitudo moralis, quòd sicut in hæresi vixit, ita in hæresi mortuus sit: maximè cùm videamus, ejus cadaver ab hæreticis ad sepulturam deferri.

Ad secundum dico, quòd cereorum usus, abstractivè sumtus estò indifferens sit, cùm ut ait S. Hieronymus *Epist.* 46. aliàs 20. ad Marcellam: *Et propter nocturnos metus, & animos semper malo conscientiæ formidantes, cereos quoque accendisse sit gratum*: attamen sicut hic, & nunc assumtus ad comitandam Sacram Eucharistiam non est indifferens, sed determinatur ad honorandum Christum in Sacramento: ita assumtus ad associandum funus, determinatur ad finem particularem, ad quem est institutus, nempe, ad significandum statum salutis. Hinc Sanctus Hieronymus inter munera, quæ sacris Virginibus suo tempore solebant mitti, dicit, laudatâ Epist. quòd mittebantur *cerei, ut accenso lumine, sponsi expectetur adventus*. Et *Epist.* 86. aliàs 27. ad Eustochiam, describens associationem funeris Paulæ matris, eam tanquam religiosam describit, dicens: quòd Episcoporum aliqui collùm feretro subjiciebant; *quum alii Pontifices lampadas, cereosque præferrent, alii choros psallentium ducerent*. Quibus ritus religiosus apparet.

Ad tertium dico, quòd licèt hæretici recentiores negent Purgatorium, negent suffragia &c. Qui tamen aliquem ritum exercent, id faciunt, ut se conforment primitivæ Ecclesiæ, in qua illorum erat usus. Porro Ecclesia tàm in primitivis seculis, quàm in nostris in associando feretro illis cæremoniis utitur, tanquam sacris, ut proficientibus animabus defunctorum, vel saltem, ut indicantibus eorum salutem.

XXIII. Nunc ad casum respondeo, quòd supposito, in comitatu funeris illius Ministri nihil factum fuisse redolens cultum sacrum, & religiosum, potuit catholicus ille funus associare. Nam per hoc præcisè, quòd defunctus ille fuerit Minister publicus; non sequitur, quòd ejus funus esset protestativus Religionis quàm prædicabat (nisi fortè deferretur ad tumulum indutus habitu proprio ministerii) funus enim ex terminis actio civilis, & politica est, nisi aliud accedat. — Neque obest, quòd, qui primò invitavit, dixerit: *eamus, debitum est, quia nos docuit viam salutis*. Nam supponit

nit casus, Catholicum illum ad hanc causalem nullum dedisse signum approbativum; sed ad se tegendum unicè dixisse: *eamus*. Quo non visus fuit approbare falsam Religionem; sed solùm appellare supra comitatum funeris merè civilem. Quòd si aliquod signum approbativum dedisset, sic illicitè fuisset.

XXIV. Octavus casus est. Mulier occultè Catholica filium, quem pepererat, voluit dare Ministro Heterodoxo baptizandum; ne ut catholica detegeretur à marito. Scrupulo tamen vexata petiit à duobus Catholicis: an licitè egisset. Quorum unus respondit affirmativè, alter negativè. Quæritur, cui standum?

XXV. Suppono, licitum esse petere ab hæretico Baptismum in extrema necessitate; puta, si proles sit periculum vitæ subitura, & non adsit Catholicus, qui possit subvenire. Nam hæretici, puta Angli, non sunt nominatim denuntiati: & aliunde illorùm Baptismus validus est, nec est protestativus falsæ Religionis.

Suppono etiam, quòd si sit usus, quòd masculus educandus sit in Religione patris, fæmina verò in Religione matris, ut alicubi conventum est: vivunt enim in eàdem domo, & palam conjugati hæreticus, & Catholica, vel e contra: in eo casu conjux Catholicus vocare debet Catholicum, si habetur, quia, quantum potest, vitandum est, ne fiat irreverentia Sacramento.

XXVI. Quia tamen casus hoc non supponit; dico, licitum fuisse illi mulieri offerre puerum baptizandum Ministro hæretico. Nam secundùm doctrinam communem, stante motivo gravi, licitum est, petere Sacramenta ab hæretico tolerato: tunc enim permittitur, sicut permittitur Parocho peccatori publicè petenti ministrare Eucharistiam. Hìc autem adest motivum grave. Nam occultare fidem in locis, ubi non permittitur liberum exercitium, est bonum valde necessarium; propter quod alia multa sunt permissa, ut jejunia non servare, carnes comedere &c. Periculum autem rixæ inter conjuges, in contumeliam Creatoris, res gravis est: & hoc in casu contingeret. Sæpe enim maritus vexaret uxorem in odium fidei: impediret eam à ritibus Catholicis, ab exercitio pietatis: solicitus esset, ne filios in Catholica Religione educaret: & timens Magistratus imperium multò majorem vexationes moliretur.

XXVII. Neque dicas, mulierem illam potuisse offerre filium baptizandum Catholicis viris, quos consuluit — Nam instantia hæc duo supponit. Unum, quòd tunc secum mulier infantem habuerit: alterum, quòd liceat, viro inconsulto, filium baptizare. Sed utroque dato, si vir nesciens, filium esse baptizatum, petat filium offerendum lavacro; quid aget mulier? Si tradit baptizandum, iterabitur gravi sacrilegio Baptismus. Si dicit, esse baptizatum, cogetur, vel mentiri; vel, postulante marito, quando, & à quo, se ipsam detegere, & se ipsam, suamque fidem contumeliis exponere.

XXVIII. Dices. Non licèt Catholicis, ad tegendam fidem, vesci carnibus die Veneris si solam aliquam irrisionem pateretur ab hæreticis; ergo aliqua vexatio toleranda est ab uxore, ne injuria fiat Sacramento Baptismi.

XXIX. Respondeo, con. ant. neg. cons. Antecedens enim loquitur de Catholicis cognitis ab hæreticis, & permissis absque ulla vexatione positivâ, & soli hæreticorum irrisioni expositis. Casus autem præsens procedit de uxore occultè Catholicâ, indigente seipsam occultare; quæque, si se proderet, gravem vexationem pateretur in contumeliam fidei, & Creatoris. Procedit etiam in casu, quo non esset permissa commixtio mulieris Catholicæ cum viro hæretico: quo in casu, ne se proderet, posset etiam die Veneris carnes comedere, dummodo ei non exhiberentur in derisionem Catholicæ Religionis.

DU-

tem, *natura est omnium hominum: habere autem fidem, quemadmodum habere caritatem, gratia est Fidelium*; ergo &c.

IV. Respondet D. Tho. cujus est hoc argumentum, hâc q.10. a. 1. ad 1. *Quòd habere fidem non est in creatura humana: sed in natura humana est, ut menti hominis non repugnet interiori instinctui, & exteriori veritatis prædicationi. Unde infidelitas secundùm hoc est contra naturam.*

V. Sed contra est. Fides divina est supra naturam: sed nemo peccat nolendo, aut repugnando bonis, quæ sunt supra naturam suam, etiam oblatis: unde rusticus nolens acceptare civilitatem, aut civis recusans ascendere ad nobilitatem ei oblatam à Rege, non peccant, dummodo absit contemtus; ergo pariter homo, salvâ Dei, & donorum suorum reverentiâ, potest ea nolle, volendo manere in solis bonis suis naturalibus, & sic nolendo fidem, non peccare. — Si dicatur, peccare; quia adest præceptum de non recusanda fide: *Qui verò non crediderit, condemnabitur*, Marci ultimo.

VI. Replicabis. Injustè præcipitur alicui, ut ascendat ad gradum altiorem: unde injustè præciperetur alicui, ut ascenderet ad gradum nobilis; ergo &c.

VII. Respondeo, disparitatem esse inter Regem humanum, & Deum: quòd Rex humanus non potest hominem evehere ad statum nobilis, absque ejus voluntate: Deus autem sicut condidit nos sinè nobis; ita nos sinè nobis evexit ad statum nobilitatis supernaturalis, faciendo nos suæ naturæ consortes. Sicut ergo (& in hoc, exemplum pro nobis est) supposito, quòd familia aliqua evecta sit ad statum nobilis, omnes, qui ex ea sunt, vel nascuntur, tenentur subdi præceptis Regiis spectantibus ad illum statum: ita cùm natura humana in Adamo elevata fuerit ad ordinem supernaturalem; omnis homo, qui in ea nascitur, tenetur præceptis supernaturalibus subdi, quorum primum est de fide, cui si non velit subjici, peccabit.

VIII. Secundò objicitur. Omne peccatum ad aliquod ex septem capitalibus vitiis reducitur, ut docet S. Tho. 1. 2. *q.* 84. *a.* 4. sed infidelitas ad nullum ex illis reducitur; ergo &c.

IX. Respondet S. Thom. hâc *q.* 10. *a.* 1. *ad.* 3. Quòd *infidelitas, secundùm quòd est peccatum, oritur ex superbia, ex qua contingit, quòd homo intellectum suum non vult subjicere regulis fidei, & sano intellectui Patrum*. Sed quia hoc videtur convenire soli infidelitati hæresis: ideo aliter respondet S. D. ibi. *Quòd sicut virtutes theologicæ non reducuntur ad virtutes cardinales, sed sunt priores eis: ita etiam vitia opposita virtutibus theologicis non reducuntur ad vitia capitalia.*

X. Tertiò objicitur. Nullum datur præceptum de fide; ergo infidelitas, quâ quis recusat credere, non est peccatum: quia ex Apostolo, Rom. 4. v. 15. *Ubi enim non est lex, nec prævaricatio.* Ant. prob. De fide nullum est præceptum in lege novâ, nec in veteri, aliàs ostendatur.

XI. Respondeo, neg. ant. Ad prob. dico, in lege novâ habetur præceptum credendi, Marci ultimo, v. 16. *Qui verò non crediderit, condemnabitur*. Et Hebr. 11. v. 6. *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit*. In lege autem veteri fuisse præceptum credendi, colligitur ex Apostolo, citato loco: ubi per inductionem ostendit, omnes, qui in lege veteri justi fuerunt, justificatos fuisse per fidem. Unde observat D. Thom. ibi lect. 2. *Quòd post peccatum primi Parentis nemo potuit salvari à reatu culpæ originalis, nisi per fidem Mediatoris. Sed ista fides diversificata est, quantùm ad modum credendi, secundùm diversitatem temporum, & statuum. Nos autem, quibus est tantum beneficium exhibitum, magis tenemur credere, quàm illi, qui* fue-

fuerunt ante adventum Christi: tunc etiam aliqui magis explicitè, sicut Majores, & illi, quibus facta fuit aliquando revelatio specialis. Illi etiam, qui sub lege, magis explicitè, quàm ante legem: quia data fuerunt eis aliqua Sacramenta, quibus quasi per figuram repræsentabatur Christus. Sed Gentiles, qui fuerunt salvati, sufficiebat eis, quòd crederent, Deum esse remuneratorem, quæ remuneratio non fit, nisi per Christum. Unde implicitè credebant in Mediatorem. Hæc D. Tho. Videri possunt ea, quæ supra diximus *Qu.* 2. *Dub.* 3. Si autem petas: quandonam fuerit traditum præceptum credendi, cùm nullibi legatur, nisi in Paulo citato? — Respondeo, fuisse traditum ante omnem legis promulgationem. Primò. Adamo post lapsum: deinde posteris ejus, vel per ipsius instructionem, vel per internam illustrationem. Unde Paulus citato loco ostendens, veteres Patres in fide testimonium consecutos esse, *v.* 4. incipit ab Abel, dicens: *Fide plurimam hostiam Abel .... per quam testimonium consecutus est esse justus &c.*

XII. Sed adhuc dices. Non est assignabile, quando obliget præceptum credendi. — Respondeo, quorumdam fuisse opinionem, quòd homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & caritatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium. Hanc tamen reprobavit Alexander VII. *Propos.* 1. ex damnatis, die 24. *Septembris* 1665. Præceptum ergo affirmativum credendi aliquando obligat per se, & ratione sui, aliquando ratione alterius virtutis. Per se obligat, primò. Cum quis pervenit ad usum rationis: tunc enim, ut sæpiùs dictum est, tenetur se convertere in Deum, quod sinè actu fidei nequit fieri. Secundò. Cum primò ei per ministros proponitur lex Evangelica. Tertiò. Cum graviter contra fidem tentatur: aliisque temporibus obligare, probabilissimum est. Ratione autem alterius virtutis obligat, quotiescumque instat obligatio eliciendi actum spei, & caritatis. Quando urget præceptum sumendi Eucharistiam, & præsertim quando in periculo mortis datur per modum viatici: tunc enim legitimè interrogatur, an credat? Similiter, cum quis vult justificari. Inter dispositiones enim requisitas ad justificationem à Tridentino, *Sess.* 6. *c.* 6. tanquam radix, & fundamentum omnium numeratur fides.

XIII. In calce hujus quæstionis adverto, non esse idem agere contra præceptum fidei, & committere peccatum infidelitatis. Illud enim solum est peccatum infidelitatis, quod opponitur rationi formali fidei, eamque destruit; vel nolendo credere, quod fides dictat, vel credendo oppositum. Quare qui verbo, vel facto externo, non tamen ex animo, fidem negat, agit quidem contra præceptum fidei de fide exteriùs hìc & nunc confitendâ, & non negandâ; Infidelis tamen non est, nisi solùm apparenter, sicut de D. Petro dictum est supra. Similiter. quando Fidelis, urgente præcepto fidei, omittit credere, Infidelis non est; & tamen agit contra præceptum fidei. Pariter, si quis suâ culpâ ignoret mysteria aliqua fidei necessariò credenda, violat præcepta fidei, & peccat; quia tenetur scire ea, quæ necessaria sunt ad salutem: & tamen Infidelis non est.

XIV. Sed dices. Quando quis tenetur facere actum justitiæ, & non facit, injustus est. Quando quis tenetur ad temperantiam, & non se temperat, intemperans est: & quando tenetur actum caritatis facere, & non facit, amittit caritatem; ergo pariter, quando quis tenetur credere, & omittit, Infidelis est, & fidem amittit.

XV. Nego tamen cons. & discrimen est: quia qui non exercet justitiam, quando tenetur, lædit jus alterius; & sic motivo justitiæ se opponit, & injustus fit. Similiter, quando qui tenetur, non temperat, sumit cibum, & potum contra regulas temperantiæ; & sic intemperantiæ peccatum

tum committit. Qui etiam, cum tenetur, non diligit Deum, estò directè non contrarietur caritati (cui solùm odium Dei directè contrariatur) indirectè tamen contrariatur ei, quatenus mortaliter peccat: & sic ab ultimo fine, & objecto caritatis, qui est Deus, recedit. At dum quis, quando tenetur, omittit credere, non contrariatur motivo fidei; quia hoc non facit, quatenus repugnet, vel dubitet circa ea, quæ fides dictat: sed quia, vel vult aliquid incompatibile cum actu fidei: vel si directè velit non credere, hoc facit, quia in omissione talis actus sibi complacet, & delectatur.

XVI. Instabis. Ergo similiter aliquis, factâ sibi sufficienti fidei propositione, poterit fidem non acceptare, non dubitando, vel rebus fidei contradicendo; sed ex alio motivo, puta, ne amittat bona temporalia.

Respondeo, quòd vel is, cui fides proponitur, eam acceptat interiùs, & solùm omittit eam acceptare exteriùs ob aliquod motivum: vel nec interiùs eam acceptat, denegando etiam interiùs assensum. Si solùm primo modo, se habebit, sicut is, qui retentâ interiùs fide, eam exteriùs prodere non audet; sic non erit Infidelis, nisi exteriùs. Si verò etiam secundo modo se gerat, negando interiorem assensum, Infidelis erit, quocumque fine id faciat. Quia cùm primùm alicui Infideli Deus proponit credenda; Deus est, qui illi loquitur, & ab eo exigit assensum: Deo autem non assentiri, credendo ea, quæ loquitur, est divinæ auctoritati, & veracitati refragari, ac nolle in ejus obsequium captivare intellectum. Quando autem is, qui jam fidem habet, obligatur credere, & non credit; Deus tunc illi non loquitur, nec movet ad credendum, quæ non credebat, sed solùm obligat ad exercendum actum circa ea, quæ jam fide tenet, & credit. Quare etsi possit esse contemtus Dei Legislatoris; non tamen Dei loquentis, ejusque auctoritatis in dicendo.

DUBIUM III.

Quot sint Species Infidelitatis, & Quæ?

§. I.

Resolutio Dubii.

I. Dico. Tres sunt species infidelitatis, Paganismus, Judaismus, & Hæresis. Ita communiter Theologi cum S. Thoma hâc *q.* 10. *a.* 5. Qui tamen notat: quòd species infidelitatis distingui possunt: Primò, secundùm varietatem errorum, qui circa res fidei in diversis esse possunt; hoc est, secundùm erronea judicia, quæ circa propositiones fidei à diversis formari possunt. Et hoc modo indeterminatæ, & propemodum infinitæ possunt esse infidelitatis species; quia infinitis modis contingere potest deviatio à regula: *Et secundùm hoc uni virtuti, puta temperantiæ, vel fortitudini opponuntur infinita vitia; secundùm quòd infinitis modis contingit, diversas circumstantias virtutis corrumpi, ut à rectitudine virtutis recedatur. Unde & Pythagorici malum posuerunt infinitum.* Et in hoc sensu dicit S. August. *lib. de Hæres.* circa finem, possunt errores in infinitum multiplicari. — Alio modo species infidelitatis distingui possunt ex parte renitentiæ, & habitudinis ad fidem, cui contrariantur: & sic tres sunt species infidelitatis supra assignatæ.

II. Probatur ergo ratione S. Thomæ sic. Peccatum infidelitatis consistit in renitendo fidei: sed hoc potest contingere tripliciter; ergo &c. Maj. probatur. Vel enim quis renititur fidei, quam nunquam suscepit; & sic est Paganismus: vel fidei susceptæ in figura; & est Judaismus: vel fidei susceptæ in manifestatione veritatis; & sic est hæresis. Paganus enim suos errores amplectitur cum totali renitentia ad fidem, cujus nihil vult cre-

dere. Judæus autem, estò non renitatur fidei umbræ, & figuræ, renititur tamen manifestationi fidei, cùm neget, umbras, & figuras fuisse in Christo manifestatas, & impletas. Hæreticus autem, estò suscipiat fidem in Christo manifestatam, eam tamen non vult suscipere, ut proponitur ab Ecclesia, sed ut proprio, ac privato judicio eam sibi imaginatur.

III. Ex dictis patet, quòd licèt hæretici in multis errent, & inter se diffideant; errores tamen eorum solùm materialiter in ratione infidelitatis distinguuntur, sicut & veritates, in quibus errant, formaliter verò conveniunt; quatenus omnes hæretici, eorumque errores in renitentia fidei Evangelicæ, ut ab Ecclesia popositæ, concordant. Similiter, licèt omnes Infideles, Pagani, Judæi, & hæretici unum, atque eumdem materialiter errorem profiteantur, puta, Deum non esse Unum, & Trinum: hic tamen error formaliter in illis diversus est; quatenus in Paganis oritur ex non susceptione fidei Christianæ absolutè; in Judæis ex non susceptione fidei in veritate manifestatà; in hæreticis verò ex non susceptione fidei Evangelicæ, ut ab Ecclesia propositæ.

IV. Quòd si quis petat: unde hæc nomina Paganus, Judæus, & hæreticus ortum habuerint. Respondeo, Paganum dictum fuisse à Pagis; quia, ut notat Baronius *ad diem* 31. *Januarii*, à temporibus Imperatorum Christianorum, clausis, eorum legibus, Idolorum fanis, sacrisque vetitis; Gentiles, ut Sacra sua secretò persolverent, pagos adibant, ibique clandestino cultu Deos suos colebant. Cujus signum esse potest, quòd nec in divinis Scripturis, nec apud auctores Ethnicos, ante tempora Constantini, & Constantii ejus filii, *Pagani* vox in hoc sensu usurpata reperitur. Dici quoque potest, Paganos sic dictos fuisse, quia in villis, & pagis superstitiones suas exercere solerent: unde Cicero, *lib.* 2. *de Legibus*, celebria festa Paganalia dicla, & ferias paganicas memorat. Quare Hebræi, qui ad cultum Idolorum defecerant, in lucis, & antris sacrilegos ritus peragere solebant: & hoc non rarò exprimit Scriptura, dum ait, eos sacrificasse *in excelsis*. Gentilium enim mos erat, pagi, aut villæ partem Diis suis sacram facere, in qua eos colerent. Antiquissimum fuisse ritum, in remotioribus locis Deos colere, ostendit S. Augustin. *Serm.* 6. *de Verb. Dom.* nunc *Serm.* 62. *cap.* 11. ex illo Deuteron. 7. v. 25. & cap. 12. v. 2. *Cum data vobis fuerit terra in potestatem..... aras eorum, inquit, destruetis, lucos eorum comminuetis, & omnes titulos eorum confringetis.* Deinde subdit: *Multi Pagani habent istas abominationes in fundis suis.* Propterea Plinius, in *Epist. ad Trajanum*, queritur, quòd ob cultum Christianæ Religionis, non tantùm in Civitatibus, sed & in vicis, & agris sacra Deorum sint intermissa.

Judæi nomen à Juda Patriarcha derivavit, cujus tribus, eo quòd diutiùs Regnum obtinuerit, toti populo nomen dedit, ut docet S. Augustinus *in Psalm.* 75. Qui populus dictus fuit quoque *Hebræus*, sive ab *Abraham*, velut *Abrahæus*; seu veriùs ab *Heber* uno ex progenitoribus Abrahæ, quasi *Heberæus*. Ita D. August. *l.* 16. *de Civit. Dei c.* 11. & *l.* 2. *Retract. c.* 16.

Hæresis, & *Hæretici* nomen ab *hærendo* dictum existimo; eo quòd significet animum contumaciter hærentem alicui errori in ea, quam profitetur, Religione, contra id, quod Religio docet. Consonat S. Tho. in 4. *dist.* 13. *q.* 2. *a.* 1. ubi docet, hæresim duo dicere, nempe, electionem privatæ disciplinæ, & pertinaciam: & ideo ei *competit nomen hæresis, secundùm quòd latinum est ab hærendo dictum, quia suæ opinioni vehementer inhæret.* Dicit etiam ibi, nomen *hæresis* græcum esse, & significare electionem: & quia in electione fit separatio unius ab alio, & divisio unius partis fit per recessum à toto; ideo hæresis dicit singularem opi-

opinionem, præter communem. Sic Arianus hæreticus est, quia Filium, dicit, non esse ejusdem substantiæ cum Patre, contra id, quod communiter Ecclesia sentit. Sed de hoc satis

§. II.

Solvuntur Objectiones.

V. PRimo objici potest. Atheismus est species infidelitatis: sed non paganismi, non judaismi, non hæresis; ergo species infidelitatis non sunt tantùm tres. Min. prob. Atheismus non est judaismus, nec hæresis: nam Judæus, & hæreticus suscipiunt fidem Christi, estò diverso modo; Atheus verò rejicit non solùm fidem Christi, sed & fidem Dei. Neque est paganismus: nam Paganus omnem quidem fidem Dei negat, Deum tamen admittit. Atheus autem non solùm fidem, & revelationes Dei negat, sed etiam negat dari Deum.

VI. Respondeo, atheismum comprehendi sub paganismo. Ad prob. in contrarium, dico, quòd paganismus non constituitur per hoc, quòd quis fidem Dei neget, & Deum admittat: hoc enim, estò in aliquibus Paganis inveniatur, de materiali est, neque paganismus per se exigit. Quod ergo per se paganismum constituit, est, non admittere fidem veri Dei: cumque hoc contingat, vel admittendo Deum, & negando fidem ejus: vel neque fidem Dei, neque ipsum Deum admittendo: ideo paganismus atheismum comprehendit. Quare Divus Thomas 2. 2. *q.* 10. *a.* 5. dicit, quòd infidelitas Paganorum est, quæ renititur fidei nondum susceptæ: renititur autem fidei nondum susceptæ, tàm qui admittit Deum, & fidem ejus negat, quam qui, & fidem, & Deum ipsum negat.

VII. Sed contra instas. Qui admittit Christum in umbra, & negat eum in specie unitatis, est in specie infidelitatis distinctæ ab infidelitate ejus, qui neque admittit Christum in umbra: nam iste est Paganus, ille Judæus; ergo à pari, qui admittit Deum, & negat omnem ejus fidem, erit in specie infidelitatis distinctâ ab infidelitate ejus, qui neque fidem Dei, neque Deum ipsum admittit. Quia sicut ille, negando Christum etiam in umbra, magis renititur Christo; ita iste, negando etiam Deum, magis renititur Deo.

VIII. Respondeo, neg. conf. & disparitas est. Quia qui admittit Christum in umbra, & negat eum in speeie veritatis; magis elongatur à Christo in ratione formali fidei, quàm ille, qui negat Christum etiam in umbra: nam fidei, quam saltem per umbras promisit, renititur, & contradicit. At qui negat Christum etiam in umbra, nunquam Christi fidem professus est, sed ei semper reluctatus fuit: ideoque est infidelis diverso modo, ac ille. Qui verò admittit Deum, & negat fidem ejus, & qui tam Deum, quàm fidem negat, eodem modo fidei contrariantur: quia neuter fidem Dei, quam tenetur suscipere, admittit: & solùm unus materialiter magis elongatur à fide, quàm alter. Sicut licet hæreticus negans & Eucharistiam, & Incarnationem, magis elongetur à Christo, quàm hæreticus negans solam Eucharistiam, & admittens Incarnationem; quia tamen uterque convenit in contrarietate fidei manifestatæ in veritate, quam in Baptismo professus est: ideo in eâdem specie infidelitatis, nempe hæresis, uterque est.

IX. Secundò objiei solet. Si Judæus, qui fidem Christi profitetur in umbris, ab hac fide recedat, & convertatur ad errores illi contrarios, erit hæreticus; quia hæreticus est, qui fidem, quam professus est, violat per errores illi contrarios: sed iste non renititur fidei susceptæ in manifestatione veritatis; ergo malè dicitur, hæresim esse, quæ fidei in veritate manifestatæ renititur.

X. Resp.

X. Respondeo, dist. maj. Erit hæreticus, sumtâ hæresi latè, & generaliter, conc. maj. Sumtâ strictè, & specialiter, nego maj. Hæresis potest sumi dupliciter. Primò, latè, & generaliter, ut dicit professionem erroris contrarii fidei Christi jam susceptæ, sive in umbra, sive in veritate. Secundò, strictè, ut dicit professionem erroris contrarii cum renitentia fidei Christi jam in veritate susceptæ. Primo modo hæretici dici possunt omnes, qui fidei Christi jam susceptæ in aliquo renituntur; & hoc modo Judæus ille erit hæreticus: quemadmodum, & apud Judæos, lege veteri adhuc durante, hæreses erant, nimirùm Sadducæorum (*Act.* 5. *v.* 17.) Pharisæorum (*Act.* 15. *v.* 5.) & Religio Christiana à Judæis habebatur ut hæresis, teste Paulo, *Act.* 24. *v.* 14. qui coram Felice Præside se purgans, ait: *Confiteor autem hoc tibi, quòd secundùm sectam, quam dicunt hæresim, sic deservio Deo Patri, & Deo meo, credens omnibus, quæ in lege, & Prophetis scripta sunt.* Secundò autem modo dicuntur hæretici soli Christiani, qui à fide Christi susceptâ in manifestatione veritatis recedunt, ad errores illi contrarios deficientes.

XI. Sed dices. Hæc responsio cogit nos admittere duas species hæresis, nempe, unam Judæi, quâ directè se opponeret fidei Christi susceptæ per umbras legis Mosaicæ; alteram Christiani, quâ directè se opponeret fidei Christi susceptæ per claritatem legis Evangelicæ; eo modo: quo Judaismus differt specie ab hæresi, quia ille renititur fidei, quam suscepit in umbra; ista vero renititur fidei, quam suscepit in claritate.

XII. Respondeo, neg. sequelam. Nam hæresis Judæi in sua sectâ, & Christiani in sua Religione, convenit in ratione formali recessus à fide, quam uterque professus est: quæ ratio non adest in judaismo, & hæresi specialiter dictâ. Nam judaismus non dicitur talis, quia deserit legem, quam professus est: sed quia deserit legem Evangelicam, quam recusat profiteri. Hæreticus autem baptizatus legem Evangelicam, quam professus est, recusat in integrum recipere: & ideo stat diversitas in ratione recessus à fide, & consequenter in specie infidelitatis.

XIII. Tertiò objici solet. Idem vitium specie est, quod contrariatur virtuti, puta temperantiæ, semel acquisitæ, & nunquam susceptæ; ergo eadem est infidelitas opposita fidei, sive susceptæ, sive non susceptæ. Et sic hæresis, quæ contrariatur fidei jam susceptæ, non erit specie diversa à paganismo, qui contrariatur fidei nunquam habitæ.

XIV. Respondeo, neg. cons. Quamvis enim habuisse, vel non habuisse bonum, quod rejicitur, non simpliciter diversificet speciem: professum tamen fuisse illud bonum, quod rejicitur, sicut variat rationem objecti, ita variat speciem. Constat enim, esse specialem modum renitentiæ, & impietatis rejicere, quod semel homo professus est, se recipere; ac sit rejicere id, quod nunquam se recipere, professus est. Sicut alia species peccati contra castitatem est, quando eam homo professus est, & alia quando castitatem non est professus.

XV. Quartò objici solet. Cathecumenus, qui semel credidit, & postea discedens à fide revertitur ad eamdem sectam, in qua antea erat, non est hæreticus: & tamen habet errorem contrarium fidei jam susceptæ.

XVI. Respondent aliqui, eum fortè pertinere ad eamdem sectam, cui prius adhærebat, nempe, ad paganismum, vel judaismum; non autem fore hæreticum, quia nondum suscepit sacramentum fidei, nempe, Baptismum, in quo fit fidei professio. — Veriùs tamen crediderim, quod estò non foret hæreticus coram Ecclesia, cui in Baptismo non se subdidit; neque propterea potest illum excommunicare, & punire ut hæreticum: re-

verâ tamen, & coram Deo esse hæreticum, ejusque reversionem ad falsam sectam esse hæresim, quia defectio à fide jam susceptâ. Quamvis enim professio visibilis fidei Baptismum requirat, susceptio tamen fidei eum non requirit. Unde sicut Cathecumenus, dum perseverat, est Fidelis, & Christianus coram Deo; & S. Augustin. *lib. 4. de Bapt. contra Donat. cap. 21.* Cathecumenum caritate flagrantem non solùm hæretico baptizato, sed Catholico baptizato, sed malo, anteponit: ita si deficiat, erit hæreticus coram illo, quia relinquit fidem, quam coram eo susceperat.

Sed quid dicendum: si infans baptizetur, & nutriatur inter Paganos, qui factus adultus profiteatur errores eorum?

XVII. Respondeo, quòd si ille veniens ad usum rationis, invincibiliter ignoret, se esse baptizatum, & repugnet Evangelio, erit Paganus. Et ratio est. Quia secundùm conscientiam suam non peccat contra fidem, quam suscepit: sicut non peccat peccato adulterii, qui existimat invincibiliter, mulierem, cum qua peccat, esse solutam. Si verò sciat, se esse baptizatum, aut ignoret vincibiliter, quidam dicunt, eum fore hæreticum, & ut talem ab Ecclesia puniri posse, si ad eam redire nolit: quidam fore Paganum, eum circumstantia apostasiæ, de qua infra.

XVIII. Quintò objici solet. Quòd fides suscipiatur in figura, sive in manifestatione veritatis, non variat speciem fidei: quia fides nostra, & fides antiquorum Patrum ejusdem speciei est; ergo quòd aliquis renitatur fidei susceptæ in figura, vel susceptæ in manifestatione veritatis non variat speciem infidelitatis.

XIX. Respondeo, neg. conf. Quia vitia pluribus modis contingunt, quàm virtutes. Unde etsi ad eamdem virtutem pertineat, non dare plus, aut minus, quàm oportet: ad aliud tamen vitium pertinet, dare plusquàm oportet, ad aliud dare minùs, quia est diversa oppositio ad rationem rectam. Sic diversa est infidelitas, quando est diversa oppositio ad rationem fidei.

Nec refert, quòd hoc pacto videamur species infidelitatis distinguere per terminum à quo. Cùm enim terminus à quo indicet diversam habitudinem ad terminum ad quem, ex illis simul junctis sumenda est diversitas specierum; eo quòd talis habitudo mutet rationem formalem objecti. Sicut ergo alia est species fornicationis ejus, qui castitatem est professus, alia ejus, qui illam professus non est: sic diversa est species infidelitatis ejus, qui renititur fidei, quam se recipere, professus est, alia illius, qui nullo modo se eam recipere, professus est: quia diversi sunt modi renitentiæ diversam malitiam, & oppositionem rationi rectæ importantes.

XX. Sextò objici solet. Mahumetanismus est quædam species infidelitatis, non paganismus, non judaismus, non hæresis ut patet; ergo &c.

Respondetur, mahumetanismum esse reducendum ad paganismum. Nam estò aliquid susceperit de lege Mosaica, & aliquid de Evangelica, neutram tamen simpliciter profitetur. Unde cap. *Quam sit laudabile*. Et cap. *Ex speciali* Tit. de *Judæis*, & *Saracenis* nomine Paganorum veniunt Mahumetani, & Saraceni.

§. III.

Aliqua Quæsita.

XXI. Quæres primo: An infidelitas Judæorum, qui olim habuerunt veram fidem, & tamen quando Christus venit in Mundum, nolentes eum recipere, amiserunt illam; sit ejusdem speciei cum infidelitate Judæorum, qui modò sunt, quique nunquam veram fidem habuerunt? Et ratio dubitandi est. Quia hi, qui modò sunt, nunquam veram fidem in figura susceperunt.

perunt: ideoque judaismi definitio eis non convenit.

XXII. Respondeo tamen, Judæos, qui modò sunt, suscipere fidem Christi in figura, quantùm ad sui æstimationem: existimant enim, adhuc umbras, & figuras durare. Sed cùm teneantur, manifestatâ veritate, Christum recipere, & credere jam venisse, & nolint; peccant peccato infidelitatis ejusdem rationis, ac si revera fidem Christi in figura recepissent. Sicut ejusdem speciei peccatum est, dehonorare Regem, qui verè sit Rex; & dehonorare Regem, quem aliquis existimat, quòd sit Rex, licèt Rex non sit: nam æstimatio facit rationem objecti, quantùm ad speciem peccati. Quod ex eo constat: quia idem est motus renitentiæ in istis Judæis, qui modò sunt, ac fuit in parentibus illorum, qui veram fidem olim habuerunt.

XXIII. Quæres secundò: An filii Hæreticorum, qui nunquam habuerunt veram fidem, & habent eosdem errores cum suis parentibus; peccent peccato ejusdem speciei, nempe, hæresis cum peccato illius, qui priùs Catholicus, postea reliquit veram fidem? Et ratio dubitandi est. Quia filius hæreticorum nunquam veram fidem suscepit.

XXIV. Respondeo, quòd filius hæreticorum, cùm sit baptizatus, veram fidem in Baptismo suscepit; quia baptismi susceptio est susceptio veræ fidei Evangelicæ. Et etiam, quia licèt veram fidem recipiant ex parte finis, dum intendunt Christo assentire, deficiunt tamen in eligendo ea, quibus Christo assentiant. Quare D. Thom. 2. 2. q. 11. a. 1. *A' rectitudine ergo* (inquit) *fidei Christianæ dupliciter quis potest deviare. Uno modo, quia ipse Christo non vult assentire: & hic habet quasi malam voluntatem circa ipsum finem. Et hoc pertinet ad speciem infidelitatis Paganorum, & Judæorum. Alio modo, per hoc, quòd intendit quidem Christo assentire, sed deficit in eligendo ea, quibus Christo assentiat; quia non eligit ea, quæ sunt verè à Christo tradita, sed ea, quæ sibi propria mens suggerit.* Quæ notanda sunt.

XXV. Quæres tertiò: Quænam ex præfatis tribus speciebus infidelitatis sit cæteris gravior.

Respondeo cum S. Thom. hìc *q. 10. a. 6.* quòd infidelitas potest considerari, & ex parte contradictionis ad fidem, & ex parte conversionis ad errorem proprium illius infidelitatis. Ex parte primi, graviùs peccat, qui renititur fidei susceptæ, quàm qui renititur fidei nondum susceptæ: *Sicut graviùs peccat, qui non implet, quod promisit, quàm si non impleat, quod nunquam promisit. Et secundùm hoc infidelitas hæreticorum, qui profitentur fidem Evangelii & ei renituntur eam corrumpentes, gravius est peccatum, quàm Judæorum, qui fidem Evangelii nunquam susceperunt. Sed quia susceperunt ejus figuram in veteri lege, quam malè interpretantes corrumpunt: ideo etiam eorum infidelitas est gravius peccatum, quàm infidelitas Gentilium, qui nullo modo fidem Evangelii susceperunt.*

Ex parte verò secundi, nempe, corruptionis eorum, quæ ad fidem pertinent: *Cùm in pluribus errent Gentiles, quàm Judæi, & Judæi, quàm hæretici; gravior est infidelitas Gentilium, quàm Judæorum, & Judæorum, quàm Hæreticorum: nisi fortè quorumdam, puta Manichæorum, qui etiam circa credibilia plus errant, quàm Gentiles.*

Harum tamen duarum gravitatum prima præponderat secundæ, quantùm ad rationem culpæ. Ratio enim culpæ in infidelitate eò major est, quò major est renitentia fidei. Cùm ergo major sit renitentia fidei in eo, qui suscepit fidem, quàm in eo, qui nunquam fidem suscepit (hoc enim videtur magis ad rationem pœnæ pertinere) ideo hæresis, quæ ex natura sua magis renititur fidei, quàm paganismus, aut judaismus (nisi fortè circumstantiâ apo-

apostasiæ graventur) simpliciter loquendo omnium infidelitatum est pessima. Cùm (ut ait August. l. 21. de Civit. Dei c. 25.) *pejor utique sit desertor fidei, & ex desertore oppugnator ejus effectus, quàm ille, qui non deseruit, quam nunquam tenuit.*

DUBIUM IV.

Ad quam Speciem Infidelitatis pertineant Antichristianismus, & Apostasia à Fide.

§. I.

De Antichristianismo.

I. Quidam dicunt, antichristianismum verè futurum judaismum: nam Antichristus Judæus erit de Tribu Dan, & admittet vetus Testamentum, ejusque promissiones de vero Messia — Sed hoc apparet difficile. Nam judaismus consistit in admittendo Christum in umbra, & negando, eum venisse in specie veritatis: Antichristus autem admittet, Christum in specie veritatis venisse, & errabit in hoc, quòd seipsum, & non Christum, prædicabit esse verum Messiam.

II. Alii propterea dicunt, antichristianismum fore atheismum. Quia Antichristus omnem fidem, sectam, Religionem, verum Deum, Deosque falsos persequetur, & felicitatem in sui imperii dilatatione constituet. — Sed contra hoc est. Quia Daniel 11. *v.* 38. dicitur, quòd adorabit Deum *Maozim, & Deum, quem ignoraverunt patres ejus, colet auro, & argento.* Quæ de Antichristo in typo dicta esse, intelligit S. Hieronymus *ibi.*

III. Alii dicunt, antichristianismum fore hæresim. Antichristus enim totus erit in affirmando adventum Christi promissi: sed erit hæreticus, quia hæc de seipso annuntiabit, falsisque miraculis confirmabit: eo modo, quo Christus adventum suum miraculis veris obsignavit: eâ ratione, quâ Simon Magus, Manes, & alii sese Christum asseruerunt, qui tamen inter hæreticos recensentur — Sed hoc etiam videtur falsum. Quia hæreticus propriè is est, qui à fide Christi, quam semel in veritate suscepit, pertinaciter recedit; ut Simon Magus, Manes &c. fecerunt. Sed Antichristus fidem Christi nunquam suscipiet, sed potiùs Christum blasphemabit, ut se Christum asseveret; ergo &c.

IV. Quapropter aliis meliùs videtur, infidelitatem Antichristi futuram paganismum. Etenim is est Paganus, qui veram Christi fidem, neque in umbra, neque in veritate suscipit: talis autem erit Antichristus, qui contra omnem verum Dei cultum dimicabit: & quamvis omnia Idola gentium, ritusque, ac cæremonias sit destructurus, hoc faciet, ut ipse solus Deus habeatur in terra. Ita Irenæus l. 5. contra Hæref. c. 25. *Diabolicam* (inquit) *apostasiam in se recapitulans, & Idola quidem seponens, ad suadendum, quòd ipse sit Deus; se autem extollens unum Idolum, habens in semetipso reliquorum Idolorum varium errorem &c.* Idem Chrysostomus 2. *ad Thessal. cap.* 2. Videatur Malvenda noster *lib.* 8. *de Antichristo cap.* 3.

V. Sed contra hoc est. Primò. Infidelitas Antichristi erit pessima omnium, quam usque modo homines habuerunt, & habituri sunt: at, ut dictum est, infidelitas omnium pessima non est paganismus, sed hæresis; ergo &c.

Secundò. Supra diximus, ex Daniele, Antichristum adoraturum Idolum *Maozim*; ergo falsum est, eum omnia Idola destructurum.

Tertiò. Antichristus admittet omnes prophetias Veteris Testamenti, & ex illis probabit, seipsum esse Christum: unde solùm errabit in persona; ergo erit hæreticus, sicut hæreticus fuit Simon Magus, Manes &c.

VI. Respondeo. Ad primum, dico, antichristianismum fore infidelitatem em-

omnium pessimam, non cujuscumque generis; sed omnium in genere suo, ob innumeras circumstantias, quibus illam suus auctor aggravabit. Erit omnium malorum, qui fuerunt, sunt, & erunt, pessimus; contra Deum, & Christum blasphemus: qui si omnem alium Deum everiet, hoc faciet, ut se solum tanquam Deum adorari faciat. Quem Paulus 2. *Thessal.* 2. *v.* 9. ita describit: *Cujus est adventus secundùm operationem Satanæ, in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis.*

Ad secundum dico: vel quòd Deus *Maozim*, quem scribit Daniel, fore adoraturum Antichristum, sit ipsemet Antichristus, cùm significet Deum robustum, & fortem, qualem se Antichristus ostendet. Vel quòd initio quidem suæ tyrannidis adorandum proponet Deum *Maozim*, ut animos hominum præparet ad adorationem sui ipsius: sed hac obtentâ Idolum *Maozim*, & omnia alia destruet, ut solus ipse pro Deo adoretur.

Ad tertium nego, quòd Antichristus in veritate sit admissurus Vetus Testamentum; simulabit quidem se admittere, ut miseros Judæos seducat. Errabit etiam circa Christum: sed quia Christum nunquam suscipiet, non erit hæreticus, ut fuere Simon, Manes, & alii, qui circa Christi Personam erraverunt, Christum tamen professi sunt.

§. II.

De Apostasia à Fide.

VII. Apostasia (inquit S. Tho. 2. 2. q. 12. a. 1.) *importat retrocessionem quamdam à Deo. Quæ quidem diversimodè fit, secundùm diversos modos, quibus homo Deo conjungitur. Primò namque conjungitur homo Deo per fidem. Secundò, per debitam, & subjectam voluntatem ad obediendum præceptis ejus. Tertiò, per aliqua specialia ad supererogationem pertinentia, sicut per Religionem, & Clericaturam, vel sacrum Ordinem.* Idcirco tribus modis contingit, aliquem apostatare à Deo. Primo: *Retrocedendo à Religione, quam professus est, vel ab Ordine, quem suscepit: & hæc dicitur apostasia Religionis, seu Ordinis.* Secundo: retrocedendo à Deo *per mentem repugnantem divinis mandatis.* Qui autem hoc duplici modo apostataret à Deo, adhuc illi manere posset conjunctus per fidem. Tertio modo contingit, hominem retrocedere à Deo, discedendo à fide, repugnando eis, quæ ipse revelavit; & hoc modo à Deo omnino retrocedit: ideoque apostasia simpliciter talis est: *Per quam aliquis discedit à fide, quæ vocatur apostasia perfidiæ. Et secundùm hunc modum apostasia simpliciter dicta ad infidelitatem pertinet.* De hac ergo quærere intendimus, ad quam speciem infidelitatis pertineat: de apostasia primo modo dicturi sequenti Dubio.

VIII. Apostasia ergo in communi definiri potest: quòd sit *retrocessio à bono, in quo homo tenebatur perseverare, vel ex præcepto, vel solemni voto, vel professione.* Ex quibus patet, quòd à malo non datur apostasia, sed tantùm à bono; & à bono, quod cadat sub obligatione, & præcepto. Ponitur etiam *à solemni voto;* quia retrocedere à simplici voto castitatis, vel ordinis, sive religionis non est apostasia.

IX. Noto etiam: quod licèt recessus ab obedientia Dei, per violationem divinorum mandatorum, dicatur à D. Tho. & Sacris Litteris apostasia, Proverb. 6. v. 12. *Homo apostata vir inutilis graditur ore perverso;* & Ecclesiastici 10. v. 14. *Initium superbiæ hominis, apostatare à Deo:* apud Theologos tamen nomen apostasiæ solùm significat retrocessionem, vel à fide, vel à religione, vel ab ordine. His suppositis:

Ad quæsitum quidam dicunt, apostasiam à fide reduci ad infidelitatem hæresis; quia Apostasia, & hæresis diffe-

differunt solùm accidentaliter penes magis, & minus. Ita Bannez, Sylvius, Ferre, & alii etiam ex nostris. Attamen

X. Dico. Apostasiam à fide non pertinere ad aliquam determinatam speciem infidelitatis: sed esse circumstantiam quamdam percurrentem, & aggravantem omnes species infidelitatis. Ita sentit Divus Thomas hìc *ad tertium*, expresse dicens: *Apostasia non importat determinatam speciem infidelitatis, sed quamdam circumstantiam aggravantem, secundùm illud 2. Petri 2. Melius erat ei, veritatem non cognoscere, quàm post cognitam retroire:* At si Apostasia esset in specie hæresis, determinatam speciem infidelitatis importaret, nempe, hæresis; ergo &c.

Ratio autem D. Tho. citato loco est hæc: *Apostasia respicit infidelitatem ut terminum, ad quem est motus recedentis à fide.* Ita ut fidem respiciat, tanquam terminum, à quo recedit, infidelitatem autem ut terminum, ad quem accedit: sed motus accipit speciem non à termino, à quo recedit, sed à termino, ad quem accedit: unde motus ad albedinem idem specie est, sive fiat ex nigro, sive ex non albo; ergo motus ad infidelitatem ejusdem speciei erit, sive fiat ex Fideli, sive non Fideli. Et sic accessus ad paganismum ejusdem speciei erit, sive fiat ex Christiano, sive ex non Christiano: gravius tamen peccabit, si ex Christano fiat Paganus, quàm si fiat ex non Christiano, ut superiùs ex D. Petro dictum est.

XI. Confirmatur, Ut docet D. Tho. hìc *q. 11. a. 1.* Ille est hæreticus, qui intendit, adhuc Christo adhærere errat tamen in eligendo; quia non eligit ea, quæ Christus proponit credenda: sed apostata non intendit, Christo ampliùs assentire: unde habet malam voluntatem, non solùm circa media, sed etiam circa finem: *& hoc pertinet ad speciem infidelitatis Paganorum, & Judæorum*; ergo &c.

XII. Secundò probatur. Apostasia, quâ quis deflectit à fide ad paganismum, qualis fuit illa Juliani apostatæ, & Christianorum, qui deficiunt ad mahumetanismum, vel judaismum non est propriè hæresis, sed paganismus, vel judaismus, aggravans tamen circumstantiâ apostasiæ paganismum, vel judaismum; ergo &c. Ant. prob. Hæreticus, ut sit talis, debet judicare, legem Evangelicam esse suscipiendam, & retinendam, licèt erret in judicando, quid secundùm legem Evangelicam sit suscipiendum; quia proprio judicio vult regi, non judicio Ecclesiæ: sed apostata à fide ad paganismum, vel judaismum judicat potiùs, legem Evangelicam non esse suscipiendam, & retinendam; ergo &c.

XIII. Confirmatur. Si hæreticus, aut Judæus deflectat ad paganismum erit formaliter Paganus; ergo si Catholicus, abjectâ prorsus Christi fide, deflectat ad paganismum, cur non erit formaliter Paganus?

XIV. Hinc, ut notat Sylvester *Verbo hæresis q. 2. num.* 4. Ut quis sit hæreticus, requiritur, ut aliquam veritatem Christianæ fidei fateatur: alioquin si nullam fatetur, propriè loquendo magis erit apostata, quàm hæreticus, sicut fuit Julianus Imperator: largè tamen dici posset hæreticus, & gravius hæretico puniendus. Et in hoc sensu non negabimus, dici posse hæreticum largè: & quoad pœnas, & juris æstimationem puniendam ab Ecclesia apostatam, sicut, & magis, quàm hæreticum.

XV. Colligitur ex dictis primò: non omnem apostatam à fide esse propriè hæreticum, sed infidelem eâ infidelitate, ad quam deflectit: unde si ad paganismum deficiat, erit Paganus, si ad judaismum, Judæus. Secundò colligitur: non omnem hæreticum esse apostatam. Si enim hæreticus sit, qui nunquam Catholicam fidem fuerit professus, ut ille, qui natus, & nutritus inter hæreticos, antequam baptizetur, eorum errores sequitur. Quare quælibet species infidelitatis potest esse conjuncta cum apostasia; non tamen

necessariò, & semper cùm ea conjungitur: sed solùm quando ad illam homo deflectit retrocedens à vera, & Catholicâ fide Christi.

Quando autem infidelitas est conjuncta cum apostasia, notabiliter aggravatur; sic, ut qui iterum redit ad fidem, debeat illam aperire. Propter quod pejor est paganismus, aut judaismus ejus, qui à vera fide ad illum defecit; quàm ejus, qui in paganismo, aut judaismo natus, semper in illo fuit.

XVI. Sed contra argues primò. S. Tho. hâc *q.* 10. *a.* 5. docet, hæresim in hoc consistere, quòd quis renitatur fidei susceptæ in claritate Evangelii: sed apostata à fide renititur fidei jam susceptæ; ergo apostasia à fide non differt ab hæresi.

XVII. Respondeo, dist. maj. Retinendo bonam voluntatem circa finem legis Evangelicæ, qui est Christus, conc. maj. totaliter Christum, ejusque legem dimittendo, nego maj. Ut enim dixi ex S. Tho. 2. 2. q. 11. a. 1. *A' rectitudine fidei Christianæ dupliciter potest quis deviare. Uno modo, quia ipse Christo non vult assentire; & hic habet quasi malam voluntatem circa ipsum finem: & hoc pertinet ad speciem infidelitatis Paganorum, & Judæorum. Alio modo, per hoc, quòd intendit quidem Christo assentire, sed deficit in eligendo ea, quibus Christo assentiat; quia non eligit ea, quæ sunt verè à Christo tradita, sed ea, quæ sibi propria mens suggerit. Et ideo hæresis est infidelitatis species pertinens ad eos, qui fidem Christi profitentur, sed ejus dogmata corrumpunt.* Cum ergo Apostata à fide totaliter fidem Christi deserat, & erret, non solùm circa media, sed circa finem; totaliter enim à Christo retrocedit, nec amplius ejus fidem profiteri ullo modo velit: hæreticus dici non potest, sed vel Paganus, vel Judæus.

XVIII. Argues secundò. Hæresis est error cum pertinacia contra fidem in claritate sumtam: sed hujusmodi est Apostasia; ergo &c.

Confirmatur. Relinquere unum articulum, duos, tres &c. constituit hominem hæreticum; ergo relinquere omnes constituet maximè hæreticum. Sicut si una res ablata invito Domino constituit hominem furem; ablatio omnium rerum ejusdem, constituet eum maximè furem.

XIX. Respondeo, dist. maj. Contra fidem, Christum retinendo, conc. maj. Christum totaliter dimittendo, nego maj. Hujusmodi autem est apostasia à fide. Unde non est specialis error, sed circumstantia erroris, ad quem homo apostatando declinat.

XX. Ad Confirmationem, nego conf. Quia quando omnes articuli fidei derelinquuntur, non manet ampliùs ratio formalis objecti hæresis; quæ est, quòd estò fides derelinquatur quoad aliqua, judicetur tamen, quoad alia esse tenenda.

XXI. Argues tertiò. Ratio formalis paganismi est renitentia fidei nunquam susceptæ, nec in umbra, nec in veritate: sed hoc non verificatur in eo, qui à fide ad paganismum deflectit; ergo &c.

Rursus: licèt in paganismo variæ sectæ, variique errores sint, unus tamen paganismus est, quia omnes conveniunt in hoc, quòd contradicunt fidei non susceptæ; ergo licèt varii sint errores, ad quos convertitur apostasia, una tamen specie est, quia in omnibus eadem est contradictio fidei susceptæ.

XXII. Respondeo, neg. min. Qui enim à fide retrocedit ad paganismum, taliter fidei contradicit; ut judicet, illam neque in umbra, neque in veritate esse suscipiendam.

XXIII. Ad id, quod, additur, nego consequ. Quia apostasia non semper eodem modo contradicit fidei. Nam si fiat ad paganismum, contradicit fidei, nullo modo retinendo illam: si fiat ad judaismum, contradicet fidèi, eam retinendo in umbra, sed abjiciendo eam in veritate. Paganismus autem in omnibus suis erroribus eodem modo con-

contradicit fidei ; eam scilicet nullo modo suscipiendo, & ideo ejusdem speciei est. Apostasia autem per omnes infidelitatis species divagatur, ut circumstantia illas aggravans.

DUBIUM V.

Quid sit Apostasia à Religione, & ab Ordine; & quomodo contingat.

§. I.

De Apostasia à Religione.

I. Etsi institutum nostrum sit agere tantùm de apostasia à fide, quæ sola ad infidelitatem spectat: quia tamen S. Thomas hìc *q. 12. a. 1.* de apostasia è Religione, & Ordine meminit, non abs re erit aliquid etiam de istis dicere.

II. Apostasia ergo à religione (quæ ex dictis est: *Retrocessio à Religione, quam quis solemniter professus est*) contingit, cum quis dimittit statum Religiosi, quem solemniter fuit professus, animo nunquam ad illum redeundi. Dico, *quem solemniter professus est*. Nam si aliquis, vel aliqua dimittat statum Religiosi, quem solo voto simplici professus esset, ut sunt Tertiarii, vel Tertiariæ; peccaret quidem mortaliter, sed non esset apostata.

Dixi etiam, apostatam esse, qui dimittit statum Religiosum. Nam qui sinè licentiâ sui Prælati recedit à Religione cum animo non redeundi unquam, etsi habitum non dimittat, nec animum habeat habitum dimittendi; adhuc tamen apostata censendus est. Ita Cajetanus, Silvester &c. Et ratio est. Quia retrocedit à Religione approbatâ, quam est professus. Et sicut Monachum non facit habitus, sed Monasticæ vitæ professio: sic apostatam reddit à Monastica professione recessus, etiamsi retineatur habitus. Parum ergo ad apostasiam refert, sitne habitus dimissus, an non: quamvis enim ejus dimissio sit vehemens indicium apostasiæ, potest aliquis habitum dimittere, & non esse verè apostata; potest etiam esse apostata, licèt non dimittat habitum. Verum namque à Religione apostatam facit recessus à Religione approbatâ, quam quis solemniter professus est, cum animo illam dimittendi, seu ad eam non redeundi; sive habitum dimittat, sive retineat: sicut apostatam à fide facit retrocessio à fide, quam quis professus est, cum animo eam prorsus dimittendi; sive habitum protestativum sectæ, ad quam deficit, assumat, sive non.

III. An autem apostata, qui Religionem deserit, habitum tamen non dimittit, sit ipso jure excommunicatus, stando in jure communi; affirmant aliqui: communiùs tamen, & veriùs negant Cæteri. Quia caput: *Ut periculosa*. tit. *Ne Clerici, vel Monach in 6.* non alios Religiosos excommunicatos declarat, nisi eos, qui habitum suæ Religionis temerè dimittunt; neque produci potest aliud jus. Cum ergo juxta regulam juris in sexto, pœnæ non sint ampliandæ, sed restringendæ, non est extendenda præfati cap. pœna ultra tenorem verborum. Maximè quia Paulus IV. *in Bulla, anno* 1558. contra Apostatas datâ, jubens eos ad Monasterium reduci, addit, quòd si fuerint inobedientes: *Sint etiam auctoritate nostra majoris excommunicationis sententiâ innodati*. Quibus indicare videtur, ante illam inobedientiam non esse excommunicatos ipso facto. Ita sentiunt Cajetanus, verbo *Apostasia*, Banez hìc. Aliique exteri.

IV. De iis verò, qui temerè dimittunt habitum suæ Religionis, cum animo tamen redeundi ad eam, dicendum est, eos esse in jure de facto excommunicatos, ex *Cap. Ut periculosa* citato; non esse tamen apostatas in rigore; quia non recedit ab essentiali statu Religionis, utpote habens animum redeundi. Qualis autem sit dimissio temeraria habitus Religiosi, examina-

minare præsentis loci non est. Videatur Cajetanus in summa, verbo *Excommunicatio*, & Banez 2. 2. q. 11. a. 1. *Dub.* 2.

V. Superest quærendum de eo, qui dimittit habitum suæ Religionis, ut transeat ad aliam Religionem, sive strictiorem, sive laxiorem absque debitâ licentiâ. Censent Cajetanus, Sylvester, & Banez, hunc non esse apostatam. Nam, ut ait Cajetanus ad hunc art. *Cum apostasia à Religione sit retrocessio à Religione, & aliud sit retrocedere à Religione, aliud retrocedere ab hac Religione: consequens, quòd si quis à sua Religione retrocedat, in aliam laxiorem intrans, non sit apostata a Religione; ac per hoc non incurrit pœnas contra apostatas statutas. Quamvis si ab ordine Mendicantium ad aliquam Monachalem Religionem, præterquam Carthusiensem, transeat absque debitâ licentiâ, sit excommunicatus; non propter apostasiam, sed propter transitum ad talem, juxta statutum Martini V.* quod refertur *Extrav. Viam ambitiosæ, de Regul. & transf. ad Relig.* excommunicatione soli Papæ reservatâ, etiam quoad recipientes, ac insuper nihil faciat, sed sit in statu damnationis, usque dum redeat ad statum propriæ Religionis. Videatur Tridentinum *Sess.* 14. *c.* 11. Sed de hoc satis.

§. II.

De Apostasia ab Ordine.

VI. Apostasia ab Ordine est retrocessio à statu Ordinis Sacri ad statum secularem, propriâ, & privatâ auctoritate. Dupliciter autem contingere potest. Uno modo ducendo uxorem: alio modo assumendo statum alium repugnantem statui Clericali, ut est status militiæ. Ratio est. Quia homo in susceptione Ordinis Sacri collocat se in statu, quo divino servitio, & Cælibatui servando, voto, vel Ecclesiasticâ lege mancipatur; cogiturque in jure ad deferendum habitum, & insignia illius status; ergo sicut retrocessio à statu Religionis solemniter professæ constituit apostasiam à Religione: ita retrocessio à statu perfectionis, in quo quis se posuit per Sacrum Ordinem uno ex dictis modis, constituit apostasiam ab Ordine.

VII. Ut tamen retrocessio ab Ordine constituat apostasiam, requiruntur duo. Unum, quòd fiat ab Ordine Sacro, scilicet à Subdiaconatu, Diaconatu, vel Presbyteratu: si enim fiat ab Ordinibus minoribus, quia statum perfectum nondum solemniter vovit, apostasia non erit. Alterum, quòd fiat sinè licentiâ Superioris. Nam si quis retrocedat ab Ordine ex dispensatione Summi Pontificis, nedum non erit apostasia ab Ordine, sed interveniente legitimâ causâ, nempe, vel bono publico, vel conservatione alicujus nobilis familiæ, vel fidei Catholicæ propagatione, sive conservatione; dispensatio ita cohonestat retrocessionem ab Ordine, ut nullum peccatum sit. Votum enim castitatis, emissum in susceptione Sacri Ordinis, non est de jure divino; sed de jure tantùm Ecclesiastico positivo (*in sexto de voto, & voti redemtione, cap. unico*) ubi hoc expressè asseritur. Sed de hoc erit sermo de Impedimentis Matrimonii.

VIII. Si autem quis propriâ auctoritate retrocederet ab Ordine Sacro; committeret in primis peccatum apostasiæ, quod ex genere suo mortale est, expressum à Christo, *Lucæ* 9. *v.* 62. his verbis: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est Regno Dei.* Nemo autem ineptus fit Regno Dei, nisi per peccatum mortale.

Rursus: qui facit contra votum solemne, mortaliter peccat; qui autem propriâ auctoritate recedit ab Ordine, facit contra votum solemne Ordinis, quo se in statu perfecto constituerat.

IX. Variis etiam pœnis mulctantur in jure apostatæ ab Ordine. Quamdiu enim in apostasia persistunt, sunt infames, nec possunt esse testes, aut accu-

accusatores, *Cap. Alieni*. 2. *quæst.* 7. & *Cap. Beatus* 3. *q.* 4. Ad dignitatem, vel ordinem promoveri non potest, 16. *q.* 1. *Cap. Legi*. Perdit privilegium Clericale, si monitus ab Ordinario noluerit corrigi, *Cap. in Audientia tit. de Sent. excom.* Similiter si nulla parte deferat habitum Clericalem, ibidem *Cap. Contingit*. Vel si dimisso habitu, & tonsura immiscet se enormibus, *Cap. Præterea tit. de Apostatis*. Si pergat nolle se emendare, deponendus est, *Cap. Præcipimus* 21. *q.* 4. Si verò ducat uxorem, ipso facto est excommunicatus per Clementinam unicam *de Consanguinitate, & affinitate*.

X. Sed quæres: Retrocessio ab Ordinibus minoribus, estò apostasia non sit, estne peccatum?

Suppono primò: retrocedere ab Ordinibus minoribus, ex contemtu status Clericalis, esse peccatum mortale: & similiter peccatum mortale esse suscipere Ordines minores cum animo retrocedendi ab illis, hac intentione, ut gaudeat privilegiis Clericorum. Hoc enim est decipere Ecclesiam in re gravi: si enim Ecclesia nosset hujus depravatam voluntatem, illum ad Ordines non admitteret. Quare Trident. *Sess.* 23. *de Reform. cap.* 4. præcipit: *Primâ tonsurâ non initientur.... de quibus probabilis conjectura non sit, eos non secularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse*.

Suppono secundò: retrocessionem ab Ordinibus, vel à tonsura contingere posse; sive ducendo uxorem virginem; sive viduam; sive suscipiendo officium Clericali Ordini contrarium, puta, militiam, fieri judicem in causa sanguinis.

XI. Dico. Neutro modo peccare eum, qui uno ex præfatis modis retrocedit ab Ordine: imò nec venialiter, si causa rationabili fiat, non ex levitate, & absit scandalum contemtus &c. Probo primò. Quia nullum est Ecclesiæ præceptum, quo talibus prohibeatur ducere uxorem, etiam viduam, aut causas sanguinis tractare — Secundò. Quia Canones non aliam pœnam statuunt, quàm privationem beneficii Clericalis. Ducens viduam, seu bis virginem, sicut etiam causam sanguinis tractans, incurrit quidem irregularitatem, quâ redditur perpetuò inhabilis ad sua munera exercenda: sed irregularitas non semper contrahitur ex delicto — Tertiò. Non magis obligantur isti ad manendum in Clericatu, quàm Novitius obligetur ad perseverandum in Religione, cùm neuter statum sit professus: sed Novitius potest absque peccato Religionem deserere; ergo &c.

XII. Circa dimissionem habitus, vel tonsuræ clericalis factam ab eo, qui in statu clericali perseverare intendit, multa à Canonistis dicuntur. Nos paucis absolvemus. Et quia quæsitum institui potest de constituto in Ordinibus minoribus, & etiam in majoribus; ideo

XIII. Dico primò. Qui est minoribus initiatus, si deferat tonsuram, quomodocumque se habeat in vestibus, non peccat, saltem mortaliter. Probatur. Quia is cùm non sit in statu clericali perfectè, sed initiativè, satis est, ut deferat id, quod est potissimum essentiale illi statui: hoc autem est tonsura.

XIV. Dico secundò. Qui est minoribus initiatus, non tamen habet beneficium pingue, quo sustentari queat, non peccat mortaliter, etsi non deferat tonsuram; peccat tamen venialiter. Prior pars prob. Quia quòd quis in minoribus constitutus dimittat insignia clericatus, videtur levis materia: eo vel maximè, quia non est adhuc perfectè in statu clericali. — Posterior verò pars sic suadetur. Qui collocatus est in aliquo statu, tenetur jure naturæ signis externis ostendere, se esse in illo statu: hoc enim cedit in commodum, & utilitatem Reipublicæ. Quare in omni Republica, etiam barbarâ, usus inveteratus est, ut dignitates signis externis distinguantur:

sed

sed Clericatus est quidam status in Republica Christiana; ergo qui in eo est, tenetur ostendere aliquo signo externo, se in illo esse. Quare in jure, ut patet in tit. *de Vita, & Honestate Clericorum*, præceptum est, ut Clerici habitum deferant; ergo illum deferere, peccatum est, saltem veniale.

XV. Sed inquies. Cur si Clericus potest absque peccato retrocedere à minoribus Ordinibus, quod majus est; non poterit similiter absque peccato habitum dimittere, quod minus est?

Respondeo, rationem esse: quia jura Ecclesiastica concedunt illi facultatem, ut possit ab illo statu retrocedere: at si vellet perseverare in illo statu, præcipiunt illi, ut deferat habitum illius. Sicut potest quis sinè peccato cessare ab oratione; posito tamen, quòd velit in ea perseverare, peccabit saltem venialiter, si oret sinè attentione.

XVI. Dico tertiò. Qui est minoribus initiatus, si habeat beneficium aliquod pingue, aut dignitatem Ecclesiasticam, si dimittat habitum, & tonsuram, peccabit mortaliter. Prob. Quia in hoc casu tenetur recitare horas Canonicas; ergo & deferre habitum, cùm utrumque sit annexum beneficio. Secundò. Quia decipit, & defraudat Ecclesiam in re gravi, quæ dedit illi magnum præmium, vel honorem; ut deferendo illum habitum exteriùs ostendat, se esse illi specialiter addictum.

XVII. De eo autem, qui est initiatus Sacro Ordine, major difficultas est: an peccet mortaliter, si dimittat tonsuram, & habitum. Variantes enim sunt Doctores: Probabilius tamen

XVIII. Censeo. Quòd si Clericus in sacris constitutus ita habitum, & insignia Clericatus dimittat, ut nullo signo externo dignosci possit ejus status, mortaliter peccat; etsi id non faciat animo occultandi personam. Si verò aliquo signo externo dignosci possit ejus status, non peccabit mortaliter. Priorem partem probant gravissimæ pœnæ inflictæ à jure contra tales dimittentes habitum. In Clementina enim *de vita, & honestate Clericorum*, quæ incipit *Quoniam*, si habeant beneficium, privantur per sex menses perceptione fructuum: & si non habeant, suspenduntur per totidem menses ab Ordine Sacro. Et in cap. *Præcipimus* 21. *q.* 4. si admoniti à Prælatis non corrigantur, privantur omnibus ecclesiasticis beneficiis: gravis autem pœna non infligitur, nisi pro peccato gravi. Et ratio est. Nam potissima causa, ob quam in jure dimissio habitus Clericalis prohibetur, est dignitas, & excellentia Sacramentorum; quæ exposcit, ut ministri, qui ea tractare debent, honestè, ac decenter incedant, & peculiari habitu à populo secernantur, ne ignoti contemtui sint; ergo qui oppositum faciunt, quantum ex parte suâ est, injuriam faciunt Sacramentis, & dignitatem sui ministerii contemtui exponunt. Et sicut dimissio habitus in solis minoribus initiato, qui solùm inchoativè in statu Clericali est, censetur peccatum veniale: ita dimissio habitus ab eo, qui est in Sacris Ordinibus constitutus, censeri debet peccatum mortale.

Hæc tamen Resolutio cum duplici limitatione accipienda est. Una est, quòd non valeat in casu, quo quis dimitteret habitum, ob necessitatem aliquam; tuendi nempe vitam, aut honorem, aut divitias proprias, vel proximi: quoniam jura Ecclesiastica non obligant in istis casibus. Et hac ratione excusantur ministri Catholici, & Missionarii, qui in partibus hæreticorum, & Infidelium in habitu laicali incedunt. Altera est, si dimissio habitus fiat ad breve tempus; ut si fiat ad ludum exercendum, ad agendam aliquam personam: in hoc enim similibus casibus peccatum non erit.

XIX. Posterior autem pars suaderi potest. Nam qui signo aliquo exteriori indicat, se pertinere ad statum

tum Clericalem, fecernitur ab aliis hominibus, nec injuriam infert Ordini, aut Sacramentis. Quo autem signo id possit dignosci, pensandum erit juxta consuetudinem cujuscumque Provinciæ: intellige tamen si non adsit scandalum. Si enim adesset, peccatum mortale erit, ratione scandali, non incedere cum toto habitu: puta, si quis cum Tonsura, & Collari Clericali incederet, reliquum autem habitum laicalem cum gladio gestaret.

XX. Si verò animo vagandi, & occultandi personam, ut licitè possit per vicos, & plateas ambulare ad perpetrandum aliquod malum, dimittat habitum, etsi ad breve tempus, videtur mortaliter peccare: idem dico, si eodem animo occultet habitum, ut à circumstantibus dignosci nequeat. Quia in hoc videtur eadem ratio de Clerico in Sacris constituto, ac de Religioso professo: sed hic in dicto casu peccaret mortaliter; ergo &c. Addo: quòd ex hoc sequuntur scandala, injuria Sacramentis, irrisiones status Ecclesiastici. Gravis insuper materia est in Republica Christiana; quòd deputatus sacro ministerio, ostendat se pertinere ad illum statum, aliquo signo externo.

QUÆSTIO II.

De Schismate.

INfidelitati proximum est schisma. Propterea quæstioni de speciebus infidelitatis hanc de schismate subjicimus, veluti Appendicem: de quo D. Tho. 2. 2. q. 39. Quæremus autem: quid sit, quomodo incurratur, ejusque pœnæ.

DUBIUM I.

Quid sit Schisma.

§. I.

Quædam prænotantur.

I. SChisma, origine nomen græcum, generaliter significat scissionem, seu scissuram. Aliquando etiam in Scriptura sumitur pro contentione, seu pro opinionum contrarietate, juxta illud, Joan. 9. v. 16. *Dicebant ergo ex Pharisæis quidam* (de Christo) *non est hic homo à Deo, qui sabbatum non custodit. Alii autem dicebant: Quomodo potest homo peccator hæc signa facere? & schisma erat inter eos.*

Ex usu tamen Ecclesiæ Schisma est *Discessio, quâ quis se separat ab unitate Ecclesiæ, quam caritas efficit.* Et in hoc sensu Paulus hortatur Corinthios, Ep. 1. c. 1. v. 10. *Obsecro vos fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata.* Dividebant enim unitatem dicentes: *Ego quidem sum Pauli: ego autem Apollo: ego vero Cepha: ego autem Christi. Divisus est Christus?* Et ideo D. Tho. 2. 2. q. 39. a. 1. *Nomen schismatis* (inquit) *à scissura animorum vocatum est; scissio autem unitati opponitur: unde peccatum schismatis dicitur, quod directè, & per se unitati opponitur.* Quia autem in moralibus *id, quod est intentum, est per se; quod autem sequitur præter intentionem, est per accidens: ideo peccatum schismatis propriè est speciale peccatum, ex eo, quòd intendit, se ab unitate separare, quam caritas facit: quæ non solùm alteram personam alteri unit spirituali dilectionis vinculo, sed etiam totam Ecclesiam in unitate spiritus. Et ideo propriè schismatici dicuntur, qui propriâ sponte, & intentione se ab unitate Ecclesiæ separant, quæ est unitas principalis. Nam unitas particularis aliquorum ad invicem ordinatur ad unitatem*

nitatem Ecclesiæ; sicut compositio singulorum membrorum in corpore naturali ordinatur ad totius corporis unitatem.

Ecclesiæ autem unitas in duobus attenditur: scilicet, in connexione membrorum ad invicem, seu communicatione; & iterum in ordine omnium membrorum Ecclesiæ ad unum Caput, secundùm illud, ad Coloss. 2. v. 18. Inflatus sensu carnis suæ, & non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus, & conjunctiones subministratum, & constructum crescit in augmentum Dei. *Hoc autem Caput est ipse Christus, cujus vicem in Ecclesia gerit summus Pontifex. Et ideo schismatici dicuntur, qui subesse renuunt Summo Pontifici, & qui membris Ecclesiæ ei subjectis communicare recusant.*

II. Ex hâc D. Thomæ doctrina colligitur, Ecclesiam debere esse unam; & ejus unitatem consurgere ex connexione, & communicatione membrorum inter se, & cum Capite: eo modo, quo unitas corporis humani consistit in connexione partium invicem, in ordine ad unum caput naturale, in quo omnes uniuntur, & communicant: & qui hanc unitatem scindunt schismaticos dicendos esse. Hâc in re S. Cyprianus, Ep. 30. *Deus* (inquit) *unus est, & Christus unus, & una Ecclesia, & Cathedra una super Petrum Domini voce fundata. Aliud altare constitui, aut Sacerdotium novum fieri, præter unum altare, & unum Sacerdotium, non potest. Quisquis alibi collegerit, spargit.* Et *Ep. 69. ad Florentium* ait: perpendens Christi verba, *Joan.6.* qui cùm eum loquentem discipuli derelinquerent, conversus ad Duodecim, dixit: *Nunquid & vos vultis ire?* Et Petri respondenti: *Domine, ad quem ibimus?* Ait: *Loquitur illic Petrus, super quem ædificata fuerat Ecclesia, Ecclesiæ nomine docens, & ostendens: quia etsi contumax, ac superba obaudire nolentium multitudo discedat; Ecclesia tamen à Christo non recedit, & illi sunt Ecclesia plebs Sacerdoti adunata, & Pastori suo grex adhærens. Unde scire debes, Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo; & si qui cum Episcopo non sint, in Ecclesia non esse: & frustra sibi blandiri eos, qui pacem cum Sacerdotibus Dei non habentes obrepunt, & latenter apud quosdam communicare se credunt: quando Ecclesia, quæ Catholica una est, scissa non sit, neque divisa, sed sit utique connexa, & cohærentium sibi invicem Sacerdotum glutino copulata &c.* Similia habet Cyprianus alibi, & præcipuè in lib. de Unitate Ecclesiæ, ubi ait: *Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, & Cathedra una monstretur..... Hanc Ecclesiæ unitatem, qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui Ecclesiæ renititur, & resistit; qui Cathedram Petri, supra quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit?*

III. Hæc seculo tertio S. Cyprianus scripsit, & sensit occasione schismatis, quod Novatianus, instigante Novato, in Ecclesiam invexerat contra Cornelium legitimum Romanæ Ecclesiæ Episcopum. Quibus S. Martyr docet primò: Ecclesiam Christi debere esse unam, sicut Christus unus est, & una fides. Secundò: hanc unitatem consistere in hoc, quòd plebs fidelis sit adunata suo Pastori; ita ut qui cum Episcopo non est, in Ecclesia non sit. Tertiò: quòd sicut Ecclesia est una; ita Episcopatus, à quo Ecclesia sumit unitatem, & cum quo omnes Fideles esse debent, sit Episcopatus Petro collatus, seu Cathedra Romana. Unde citato *lib. de Unit. Ecclesiæ*, ante laudata verba, præmiserat: *Ut unitatem manifestaret* (Christus) *unam Cathedram constituit, & unitatis ejusdem originem ab uno incipientem suâ auctoritate disposuit.* Et hoc Christum fecisse, ait S. Hieronymus, lib. 1. adversùs Jovin. *Ut Capite constituto, schismatis tollatur occasio.* Videant hæc Græci à Romana Ecclesiâ separati. Videant recentiores hæretici, qui Petri Cathedram detestantur: & tandem cognoscant, quàm falsò se in Ecclesia esse blandiantur.

IV.

IV. Tribus ergo modis contingere potest schisma, videlicet, Ecclesiæ membrorum à suo Capite separatio. Primò: cùm aliquis se ipsum à Capite separat, etiamsi non expressè à reliquis membris: ut qui instituit, vel sequitur Pseudopontificem, qui Romanum Pontificatum usurpat: qui universales Synodos, absque legitima auctoritate congregat; vel eas, postquam dissolutæ fuerant, sequitur. Item qui cum rebellione, & pertinaciâ renuit obedire Romanæ Ecclesiæ, vel Romani Pontificis præceptis; nolendo illam agnoscere ut matrem, istum ut Christi Vicarium. Hoc dixi: quia si nolit obedire Pontificis mandato aliquid jubentis, eum tamen ut Ecclesiæ Caput agnoscat; gravissimè quidem peccabit, sed non erit schismaticus. Sicut neque erit, si recuset judicium Papæ, propter ipsius personæ qualitatem, quia eam habet suspectam; non tamen propter officium: cùm ejus definitionibus fidei, & morum cæteroquin paratus sit obedire.

V. Secundò. Schisma accidere potest, si quis separet se à membris, sed expressè non se separet à Capite: ut si quis nolit communicare cum Gallis, aut cum Hispanis, aut in rebus fidei, & Religionis: & si quis se dividat à suo Episcopo, nolens ipsi subjici, ut Pastori. Dixi *expressè*: quia is, qui se separat à membris, tacitè, & consequenter se separat à Capite, & è contra, propter mutuam connexionem, quæ est inter membra, & caput; ut dicebamus ex S. Cypriano, *Epist. 69.*

VI. Tertio modo accidit schisma, quando quis expressè recedit à Capite, & membris, nolens obedire Romano Pontifici; & se separat à communione eorum, qui ei obediunt, ut vero Pontifici. Nec est necesse, ut expressâ intentione se separandi se separet; sed sufficit, ut velit facere opus, quod sit, & sciat, esse contrarium Ecclesiasticæ unitati. Sicut ille incurrit homicidii reatum, qui etsi non intendat occidere; vult tamen illud opus, unde mors sequi nata est, & de facto sequitur.

§. II.

Resolvitur Dubium.

VII. Dico primò. Schisma est speciale peccatum ab hæresi distinctum. Prob. Habet enim specialem deformitatem distinctam à deformitate hæresis, & contrarietatem ad diversam virtutem: nam hæresis habet deformitatem, & contrarietatem ad fidem divinam: schisma verò ex sua ratione formali contrariatur solùm Ecclesiasticæ unitati, & causæ ejus, nempe, caritati. Cùm enim, ut vidimus, unitas Ecclesiæ consistat in mutua colligatione membrorum inter se, & cum Capite, per dilectionem fraternitatis in uno spiritu: hanc colligationem schisma rumpit, & communem Ecclesiæ pacem, & concordiam solvit. Quapropter Paulus, 1. *Cor.* 1. supra citatus volens avertere à Corinthiis schismata, obsecrat eos, ut idipsum dicant omnes. Et ad *Hebr.* 10. postquam adhortatus est eos, ut accedant ad Deum per fidem, & ut teneant spem, ad caritatem unionis invicem servandam excitans, v. 24. *Consideremus* (inquit) *invicem in provocationem caritatis, & bonorum operum, non deserentes collectionem nostram*: & ne sint cum illis, de quibus S. Judas in sua Epist. *v.* 19 dicit: *Hi sunt, qui segregant semetipsos.*

VIII. Noto tamen: quòd licèt omne peccatum mortale destruat caritatem, quâ homo debet diligere Deum, & proximum in ordine ad Deum; non tamen omne peccatum mortale facit hominem schismaticum. Quia, ut ait D. Thom. hîc q. 39. a. 1. ad 1. *Divisio hominis à Deo, per peccatum, non est intenta à peccante; sed prater intentionem ejus accidit ex inordinata conversione ipsius ad commutabile bonum: & ideo non est schisma, per se loquendo.* quia, ut supra dictum est, schisma est pec-

peccatum directè, sive ex parte operantis, sive ex parte operis tendens ad destructionem unitatis Ecclesiæ, quod non convenit omni peccato mortali. Sicut estò omne peccatum mortale lædat bonitatem; solùm tamen peccatum odii Dei tollit bonitatem ab ipso.

IX. Noto etiam: quòd licèt unitas, & colligatio membrorum Ecclesiæ invicem, & cum Capite sit effectus caritatis; potest tamen esse in peccatore, in quo non est virtus caritatis. Nam effectus caritatis quidam sunt formati, ut contritio; quidam verò possunt esse informes, ut misereri, dare eleemosynam propter Christum. Unitas ergo Ecclesiastica est quidem in se semper formata; quia Ecclesia est semper Sancta, & Deo per caritatem unita: ut tamen est in hoc, vel illo, non semper est caritate formata, sed aliquando est informis. Potest enim Spiritus Sanctus movere etiam peccatorem ad volendam unionem communionis cum cæteris membris, & cum Capite: & proinde non omnis, qui in se caritatem non habet, est schismaticus. Et sic fieri etiam potest, ut aliquis nolit caritatem in se, vel in alio, & tamen non sit schismaticus: nisi fortè ad hoc deveniat, ut nolit hunc caritatis effectum, qui Ecclesiæ constituit unitatem, ab ea deliberatè se subtrahendo.

X. Ex his apparet distinctio schismatis ab hæresi. Ut enim docet D. Th. hìc art. 1. ad 3. *Hæresis per se opponitur fidei; schisma autem per se opponitur unitati Ecclesiasticæ caritatis... Et hoc est, quod Hieronymus dicit, in Ep. ad Titum c. 3. super illud*, Hæreticum hominem &c. *Inter schisma, & hæresim hoc interesse arbitror, quòd hæresis perversum dogma habet, schisma ab Ecclesia separat*, etiam sinè perverso dogmate. Unde si adsit error in intellectu, quo non credatur, Ecclesiam esse unam, hæresis est. Si tamen credat quis, Ecclesiam esse unam; ejus tamen unitatem velit destruere, aut ab ea se separare, schisma est. Quare etsi omnis hæreticus sit schismaticus; eo ipso, quòd se separat ab unitate, & communione veræ fidei; non tamen omnis schismaticus est eo ipso hæreticus: si videlicet credens omnia, separet se à communione cum cæteris membris, & cum Capite, nolens cum eis in piis, & sanctis actionibus communicare. Licèt enim schisma non sit sinè sententiarum diversitate; potest tamen ea diversitas esse non in re fidei. Quale fuit ab initio schisma Donatistarum, qui primò se à communione Cæciliani Carthaginensis Episcopi separaverunt; deinde ab omnibus, qui illi communicabant, & ita ab universali Ecclesiâ: dicentes, ejus Ordinationem esse illegitimam. Cito tamen schismati hæresim conjunxerunt, dicentes: veram Ecclesiam ubique terrarum apostatasse, & ad solam Africam apud ipsos redactam esse: solos bonos in Ecclesia esse, & Baptismum, extra eorum Ecclesiam collatum, invalidum esse.

Ex quo fit, ut, teste S. Thom. citato loco: *Sicut amissio caritatis est via ad amittendam fidem, secundùm illud 1. ad Timoth. 1.* A quibus quidam aberrantes, *scilicet à Caritate, & aliis hujusmodi*, conversi sunt in vaniloquium: *ita etiam schisma fit via ad hæresim. Unde Hieron.* in c. 3. ad Titum subdit: *Quòd schisma aliquâ in parte potest intelligi diversum ab hæresi: cæterùm nullum schisma est, quod non sibi aliquam hæresim confingat, ut rectè ab Ecclesia recessisse videatur.* Sic Græci ab initio schismatici, ut rectè se ab Ecclesia Latinâ recessisse viderentur, inter alia dicere cæperunt: Romanum Pontificem non esse totius Ecclesiæ Catholicæ Caput; quo hæresim cum schismate conjunxerunt. Quarè cum aliqui Veteres dixisse reperiuntur, schisma esse semper conjunctum cum hæresi; ad ejus progressum, & consummationem attendisse intelligendi sunt, juxta illud Augustini L. 2. contra Cresconium c. 7. *Hæresis autem schisma inveteratum*. Cùm verò di-

dicunt, schisma posse esse sinè hæresi; partim ad propriam utriusque rationem, quæ etiam, quando simul conjunguntur, manet diversa; partim ad initium schismatis respexerunt. Unde August. *ibid.* approbat distinctionem, *quâ dicitur: schisma esse recens congregationis ex aliqua sententiarum diversitate dissensio*. Et lib. de Fide, & Symbolo c. 10. *Hæretici de Deo falsa sentiendo ipsam fidem violant: schismatici autem discissionibus iniquis à fraterna caritate dissiliunt, quamvis ea credant, quæ credimus*.

XI. Dico secundò. Schisma est peccatum mortale. Patet. Non enim potest esse nisi grande peccatum se ab illius corporis societate separare, extra quod salus esse non potest. Quare sancti viri mortem oppetere potius, quàm schismaticis communicare voluerunt: ut patet de illis, qui Ursacio, in locum Chrysostomi intruso, communicare noluerunt; & multa potiùs mala ex hoc passi sunt, ut refert Sozomenus *l.* 8. *Hist. c.* 23. *&* 24. Aurea proinde est Dionysii Alexandrini sententia, apud Euseb. *l.* 6. *Hist. c.* 45. dum ad Novatum, qui Ecclesiam schismate conturbaverat, scribens, ait: *Satiùs quidem fuerat quidvis pati, ne Ecclesia discinderetur. Nec minùs gloriosum fuisset idcirco subire martyrium, ne Ecclesiam scinderes, quàm ut ne Idolis sacrificares. Imò illud quidem meo judicio illustrius fuisset*. Et rationem reddens, subjungit: *Hîc enim pro sua ipsius animâ, illic pro omni Ecclesia Martyrium quis sustinet*.

Ex præfatis verbis oritur quæsitum: An schisma gravius peccatum sit infidelitate?

XII. Respondeo cum S. Thom. 2. 2. *q.* 39. *a.* 2. quòd peccatum infidelitatis ex genere suo est gravius, quàm peccatum schismatis: potest tamen contingere, quòd aliquis schismaticus graviùs peccet, quàm aliquis Infidelis, vel propter majorem contemtum, vel propter majus periculum, & damnum, quod inducit. Prior pars probatur. Nam ex genere gravius peccatum est, quod offendit Deum immediatè, & ut in seipso, quàm quod eum offendit, ut in aliquo bono creato participatum: sed peccatum infidelitatis immediatè offendit Deum, ut in se est veritas prima; qui enim discredit aliquid à Deo revelatum, recedit à veritate primâ, discredens Deo, qui illud revelavit: peccatum verò schismatis offendit Deum, ut in unitate Ecclesiasticâ participatum; ergo &c.

Posterior autem pars probatur ex verbis Dionysii supra relatis. Nam Infidelis animæ sui ipsius tantùm nocet: at schismaticus, præcipuè si sit auctor schismatis, nocet animabus multitudinis, quam secum trahit in schisma. Rursus etiam: si excitet schisma ex intentione dissipandi Ecclesiam, & ex contemtu ejusdem, vel supremi ejusdem Capitis: quæ omnia ex circumstantiis pensanda sunt. Et hac de causa in Scripturis legitur, aliquando graviùs punitum schismatis, quam idololatriæ peccatum. Aut etiam propter alias rationes, quas affert S. Thom. *a.* 2. citato *ad* 1.

XIII. Nec dicas. Majus ex genere malum est, quod opponitur bono multitudinis, quàm quod opponitur bono unius singularis personæ: sed schisma opponitur bono multitudinis, nempe, Ecclesiasticæ unitati; infidelitas autem bono, nempe, fidei unius particularis personæ; ergo &c.

XIV. Respondet enim S. Thom. citato loco, *ad* 2. neg. min. pro secunda parte. Nam *sicut bonum multitudinis est majus, quàm bonum unius, qui est de multitudine; ita est minus, quàm bonum extrinsecum, ad quod multitudo ordinatur: sicut bonum ordinis exercitus est minus, quàm bonum Ducis. Et similiter bonum Ecclesiasticæ unitatis, cui opponitur schisma, est minus, quàm bonum veritatis divinæ, cui opponitur infidelitas*.

Eâdem ratione quamvis schisma opponatur caritati, quæ est major virtus,

tus, quàm fides, cui opponitur infidelitas; adhuc tamen infidelitas ex genere suo gravius peccatum est.

Nam, ut ait idem S. Doct. *ad* 3. schisma, & alia peccata, quæ fiunt in proximum, non opponuntur caritati, quantùm ad ejus principale objectum, sicut ei opponitur odium Dei; sed solùm quantùm ad ejus secundarium objectum, quod est minus bonum, quàm objectum fidei, quod est ipse Deus: & ideo ista peccata sunt minora, quàm infidelitas. *Tamen inter peccata, quæ sunt in proximum, peccatum schismatis videtur esse maximum: quia est contra spirituale bonum multitudinis.*

XV. Adverto demum: quòd licèt Ecclesia sit in se essentialiter una, & propterea schismaticus facere non possit, quòd in se non sit una; potest tamen rumpere, & rumpit ejus unitatem, quantum ex se est: sicut odio habens Deum, secundùm affectum tollit bonitatem à Deo: & rursus quantum ad effectum, ab ea separando eas partes, quæ priùs ei erant unitæ, nempe, se ipsum, eique adhærentes. Et ita rumpit unitatem Ecclesiæ, se ipsum, sibique adhærentes ab ea unitate dividendo.

DUBIUM II.

Varia circa Schisma Examinantur.

§. I.

An in Schismatico maneat Spiritualis Potestas?

I. Duplex (ut docet S. Tho. hàc *q.* 39. *a* 3.) est spiritualis potestas. Una quidem sacramentalis; alia jurisdictionalis. Sacramentalis est, quæ per aliquam consecrationem confertur. Jurisdictionalis est, quæ confertur simplici injunctione hominis.

Dicit ergo primò. Quòd sacramentalis potestas manet in schismatico: eà tamen licitè uti schismaticus non potest, quamvis validè, si eâ utatur. Priorem partem probat. Quia *omnes consecrationes Ecclesiæ sunt immobiles, manente re, quæ consecratur: sicut etiam patet in rebus inanimatis. Nam altare semel consecratum, non consecratur iterum, nisi fuerit dissipatum; ergo talis potestas secundùm essentiam manet in homine, qui per consecrationem eam est adeptus, quamdiu vivit, sive in Schisma, sive in hæresim labatur. Quod patet ex hoc, quòd rediens ad Ecclesiam, non iterum consecratur.*

Secundam partem probat. Quia *potestas inferior non debet exire in actum, nisi secundùm quòd movetur à potestate superiori, ut etiam in naturalibus patet:* schismaticus autem non potest agere, secundùm quòd movetur à potestate superiori, à qua se separat; ergo schismaticus *usum potestatis amittit, ita scilicet, quòd non liceat ei suâ potestate uti.*

Tertiam partem probat. Nam homo in Sacramentalibus non operatur, nisi sicut instrumentum Dei; ergo si schismaticus, vel etiam hæreticus utatur potestate Ordinis, quam habet, effectum habebit: quia *effectus sacramentales non excluduntur propter culpam quamcumque conferentis Sacramentum.*

II. Dicit secundò. Quòd potestas jurisdictionalis in schismaticis, & hæreticis non manet; quia hæc *non immobiliter adhæret. Unde non possunt, nec absolvere, nec excommunicare, nec indulgentias facere, aut aliquid hujusmodi: quod si fecerint, nihil est actum.*

Beneficio hujus duplicis potestatis, Ordinis, & Jurisdictionis conciliat S. Thom. dicta quorumdam Patrum, præsertim Augustini, volentis contra Donatistas, in schismaticis, & malis ministris adhuc manere potestatem: & aliorum, præsertim Cypriani, hoc negantium. Unde ait: *Cum ergo dicitur, talis non habere potestatem spiritualem, intelligendum est, vel de potestate secundâ* (videlicet Jurisdictionis)

nis) *vel si referatur ad primam potestatem* (nempe Ordinis) *non est referendum ad ipsam essentiam potestatis, sed ad legitimum usum ejus.*

§. II.

An Schismaticus ipso Facto amittat Potestatem?

III. Dico primò. Quamdiu peccatum, sive schismatis, sive hæreseos est occultum, nec per Ecclesiæ sententiam declaratum, ordinariè nemo amittit potestatem jurisdictionis. Prob. Nam alioquin sequeretur magna confusio in Ecclesia, si sacramentalis absolutio, jurisdictionis, & beneficiorum collatio per occultos hæreticos, aut schismaticos facta, nihil valeret.

IV. Dico secundò. Probabilius videtur, quòd Episcopi, Parochi, & alii Clerici non amittant jurisdictionem ipso facto, quo eorum schisma, vel hæresis manifestatur: sed tunc demum, quando, vel nominatim, & publicè denuntiantur excommunicati, vel alia in ipsos fertur per Ecclesiam sententia: vel ultrò ipsi manifestè recedunt ab Officio, vel beneficio, quod habent, ad hæreticorum, vel schismaticorum conventicula transeuntes. Moveor ad hanc opinionem sequendam (etsi alii contrarium opinentur) primò, ex illo Pauli dicto, ad Titum 3. v. 10. *Hæreticum hominem post unam, & secundam correptionem devita, sciens quia subversus est &c.* Si ergo hæreticus vitandus non est, ut talis, nisi priùs iterum monitus in subversione permaneat: sic nec schismaticus, vel hæreticus jurisdictione ab Ecclesia privatus censendus est; nisi monitione Ecclesiæ contemtâ, constiteret, eum in subversione manere. Unde D. Thom. Lect. 2. in c. 3. ad Tit. *Non est dimittendus quousque videatur, si curari poterit: sed si non potest sanari, tunc est dimittendus.*

V. Moveor secundò. Quia in Synodo octavâ, videlicet Constantinopolitanâ IV. anno 869. *Act.* 10. *Can.* 9. statutum lego: *Ne quis Monachus, laicusve, aut quicumque Clericus, ante accuratam causæ definitionem, & Synodicam sententiam, sese à communione sui Patriarchæ sejungat, etiamsi crimina ejus se nosse prætexat. Eodemque modo Episcopi, & Presbyteri aliis in urbibus, & locis erga suos Metropolitas sint affecti, quemadmodum & Metropolita erga suum Patriarcham.* Et hoc statuit hâc ratione; quia ante cognitionem causæ nemo vituperandus est: ergo censuit, Episcopos, aliosque Pastores quâcumque criminis, etiam schismatis, notâ accusatos, ante cognitionem causæ non esse jurisdictione privatos; aliàs non præciperentur subditi eis per obedientiam communicare.

VI. Moveor tertiò. Quia Martinus V. in Concil. Constant. *Sess.* 43. *anno* 1418. Ad vitanda scandala, quæ oriebantur ob schisma præcedens, indulget: *Quòd nemo deinceps à communione alicujus in Sacramentorum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscumque Divinis, vel extra, prætextu cujuscumque sententiæ, aut censuræ Ecclesiasticæ à jure, vel ab homine generaliter promulgatæ, teneatur abstinere, vel aliquem vitare.... nisi sententia, vel censura fuerit in, vel contra personam, Collegium, Universitatem, Ecclesiam, Communitatem, aut locum certum, vel certa, à Judice publicata, vel denuntiata specialiter, & expressè:* unicè exceptâ sacrilegâ manuum injectione in Clericum; ergo quamdiu hæretici, vel schismatici non sunt, vel specialiter denuntiati, vel notorii percussores Clerici, si Pastores sint, validè absolvunt, ac cætera munia exercent: alioquin non esset permittendum Fidelibus, ut ab eis Sacramenta recipiant, quod tamen Concilium, & Martinus permittit.

Dixi: *nisi ipsi manifestè recedant* &c. Quia cum Pastores ultro Ecclesias suas deserunt, & palam ad schismatico-

rum

rum castra deficiunt, non videtur opus ullâ declaratione. Tùm quia: tali transitu, se non esse amplius Pastores declarant, & jurisdictioni renuntiant. Tùm quia: præfata Concilia loquuntur de illis, qui & inter Catholicos versantur, & in officiis suis permanent.

VII. Dices tamen. Hæretici, & schismatici, etiam ante excommunicationem, sunt extra Ecclesiam; ergo privantur omni jurisdictione.

Respondeo, neg. conf. Nam etiam hæretici, schismatici, & excommunicati occulti sunt extra Ecclesiam: hæretici quia non sunt fideles; schismatici, quia sunt disjuncti à Capite, & membris; excommunicati verò quia sunt præcisi. Ecclesia autem, est societas Fidelium Christo Capiti, & ejus in terris Vicario Romano Pontifici cohærens: & tamen nemo dixerit, omnes istos, ante sententiam Judicis, esse suâ jurisdictione privatos. Dicendum ergo videtur, schismaticos, & hæreticos, etsi ante Judicis declarationem extra Ecclesiam sint, non tamen illico jurisdictione privari; sed Ecclesiam, quæ illis jurisdictionem dedit, eam illis continvare ad vitanda scandala, & animarum pericula, donec, ut supra dictum est, declarentur, vel ipsi recedant. Eo sanè modo, quo, cum aliquis definit esse civis alicujus Urbis, potest Magistratus, vel Princeps potestatem, quam priùs habebat, ei relinquere, & tolerare; donec palam ei auferat, vel ex Civitate ipse manifestè recedat: ita Ecclesia estò hæretici, schismatici, & excommunicati, eo ipso, quòd tales sunt, desinant esse membra Ecclesiæ: pro Fidelium tamen salute potest in eis tolerare ad tempus potestatem jurisdictionis; usque dum eam, vel per sententiam auferat, vel ipsi non solùm animo, sed etiam corpore discedant. Quemadmodum membrum aridum licèt animam interiùs non participet; quousque tamen non est à corpore præcisum, potest moveri ad aliquas exteriores operationes, ut docet S. Tho. in 3. q. 13. q. 2. a. 2. qu. 2.

VIII. Replicabis. Si persona Papæ incideret in hæresim, vel schisma, eo ipso, quòd hoc esset notorium, suam jurisdictionem amitteret; ergo & alii Pastores.

Nego conf. Quia cæteri potestatem jurisdictionis accipiunt ab Ecclesia, quæ hanc potestatem in eis tolerat, ut dictum est: Pontifex autem non accipit potestatem Pontificalem ab Ecclesia, sed à Christo immediatè. Quamvis autem Christus illam potestatem ei relinquat, quando peccatum schismatis, aut hæreseos esset occultum; eo quòd hoc sit necessarium ad conscientias Fidelium tranquillandas, & ad obviandum confusioni, quæ alioquin in Ecclesia oriretur: non apparet tamen, quòd eandem ipsi continuet, quando peccatum illud esset notorium: quia Ecclesia tunc potest hoc scire, & sibi de alio Capite providere. Occasione hujus

IX. Quæres: An Papa, ut persona particularis, possit fieri schismaticus?

Quæsitum procedit de persona Papæ certi, & à tota Ecclesiâ, ut tali cogniti, & recepti; & cui si quis, ut vero Papæ obedire recusaret, schismaticus esset. Videtur enim, quòd non. Tùm quia: nemo potest à se ipso dividi, schisma verò est divisio à Capite Ecclesiæ. Tùm quia: Ecclesia est in Episcopo, ut ex Cypriano superiùs dicebamus, & refertur 7. q. 1. *cap. Scire*.

X. Communiter tamen sentiunt Doctores, id contingere posse, quamvis nunquam de facto contigerit: imò probabilissimum sit, Spiritum Sanctum, qui Ecclesiam regit, nunquam permissurum, ut Pontifex legitimus in schisma, vel in hæresim labatur. Nihilominus, quòd ex natura rei non sit impossibile,

Probant primò. Nam omne illud membrum potest ab unitate Ecclesiæ separari, sine cujus conjunctione ipsa unitas Ecclesiæ potest consistere; sine conjunctione autem personæ Pontificis

ficis potest unitas Ecclesiæ consistere, & de facto Sede vacante consistit; ergo &c.

Secundò. Contingere potest, quòd Pontifex nolit amplius esse Pontifex, neque velit subesse illi, qui postea eligetur; sed conferat se ad schismaticorum conventicula: hoc autem esset fieri schismaticum.

Tertiò. Fieri potest, ut seipsum separet à communione Catholicorum, & vel communicet solùm cum sibi adhærentibus: vel quòd, Ecclesiâ volente ritus, & consuetudines retinere, ipse nolit; & ita se ab ea separet.

Tandem non repugnat, personam Papæ incidere in hæresim, dist. 40. cap. *Si Papa*; ergo & in schisma. In hanc sententiam scribit S. Cyprianus *Ep.* 52. *de Novatiano*, qui contra S. Cornelium volebat esse Pontifex: *Episcopatum autem tenere non posset, etiamsi Episcopus priùs factus, à Coepiscoporum suorum corpore, & ab Ecclesiæ unitate descisceret.*

XI. Nec obstant, quæ in contrarium adducuntur. Nam ad primum dico, schisma esse, dividere se à Capite Christo; quod contingit, cum quis dividit se à reliquo Christi corpore. Unde Cyprianus lib. de Unit. Ecclesiæ: *An esse* (inquit) *sibi cum Christo videtur, qui adversùs Sacerdotes Christi facit? Qui se à Cleri ejus, & plebis societate secernit?*

Ad secundum dico, Ecclesiam esse in Episcopo, quamdiu Episcopus gerit se, ut Episcopum, subjectus Capiti Christo, & aliis ejus membris unitus.

XII. Sed iterum quæres: Quid faciendum, quando electi sunt duo, vel tres Pontifices?

Respondeo: Si unus eorum sit certò, vel ita probabiliter legitimus, ut prudenter de illo dubitari non possit, est ei adhærendum; & qui adhærent aliis, sunt schismatici. Quare Petrus de Luna, aliàs Benedictus XIII. qui post legitimam Martini V. electionem, in Concilio Constantiensi factam in prætenso Pontificatu perseverare voluit, ipse, & omnes ei adhærentes schismatici facti sunt. Si autem dubitetur de omnibus, nulli est adhærendum: quia temerarium, & periculosum est, dubia habere pro certis. Sed quisque gerere se debet, ut unum Ecclesiæ Catholicæ membrum, & Christo supremo Capiti adhærens, ac dubios habens pro dubiis, paratus semper uni certo adhærere, quando de certo provisum fuerit. Christiana verò plebs eundem animum retinens, suis Episcopis obediat. Hinc Pius II. in Bulla Retractationum laudat Fridericum Imperatorem, & Germanos; quòd dum ambigeretur, Felix ne, an Eugenius esset legitimus Pontifex; & num Eugenio, an Basileensi Concilio foret obediendum, neutrales fuissent: addens, sibi etiam placuisse ad neutrales transire, ut veritatem apud eos libetiùs audiret. Quod tamen intelligendum est, si factâ debitâ diligentiâ nullus ex electis certus apparuerit.

XIII. Quæres insuper: An qui à suo Episcopo se separat, & tamen nec ab Ecclesiæ unitate, nec ab obedientia Summi Pontificis recedat, sit censendus schismaticus?

Respondeo, quòd etsi in quadam amplâ significatione dici possit schismaticus, 7. q. 1. Cap. *Scire debet*, & 24. q. 1. Cap. *Loquitur Dominus*: rigorosè tamen schismaticus non est: quia non se separat ab unitate corporis Ecclesiæ sub uno Capite, quod requiritur ad essentiam schismatis. Et multò minus si recederet ab obedientia Episcopi hæretici, vel à Summo Pontifice suspensi.

§. III.

De Pœnis contrà Schismaticos.

XIV. POEna potissima contra schismaticos est excommunicatio. Ita S. Tho. 2. 2. *q.* 39. *a.* 4. Et probat primò ex illo *Numer.* 16. *v.* 26. ubi Moyses ait: *Recedite à tabernaculis hominum impiorum* (Dathan, & Aby-

Abyron, qui schisma fecerant) *& nolite tangere, quæ ad illos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum*. Hoc exemplo August. *Epist.* 164. modò 87. urget Emeritum Donatistam. — Secundò. Per quæ peccat quis, per ea debet puniri: sed schismaticus separat se à communione membrorum Ecclesiæ; ergo conveniens pœna schismaticorum est, ut Ecclesia eos à se ejiciat per excommunicationem.

XV. Secunda pœna, ait D. Thom. est, ut potestate temporali coerceantur. Qui enim subdi recusant Capiti Ecclesiæ, & coerceri nolunt per spiritualem potestatem, justum est, ut potestate temporali coerceantur. Unde Augustinus, *Serm.* 164. aliàs 22. *de Verbis Apostoli*, Donatistas, qui legibus Ecclesiasticis coerceri non poterant, Imperatoriis edictis censet, justè coerceri debuisse. Hinc D. Tho. citatus ad 3. *Pœnæ* (inquit) *præsentis vitæ sunt medicinales: & ideo quando una pœna non sufficit ad coercendum hominem, superadditur altera: sicut & medici diversas medicinas corporales apponunt, quando una non est efficax. Et ita Ecclesia, quando aliqui per excommunicationem sufficienter non reprimuntur, adhibet coercitionem brachii sæcularis. Sed si una pœna sit sufficiens, non debet alia adhiberi*. Quibus non intendit D. Th. schismaticos ipso facto subjectos fieri potestati temporali, tanquam privatos privilegio fori; sed si Canonicis Ecclesiæ pœnis subigi, & ad unitatem revocari non possint, brachium sæculare, servatâ formâ Canonum, invocari debere in auxilium: ut qui Ecclesiam matrem spreverunt, sæcularem Judicem, qui in adjutorium Ecclesiæ gladium portat, vindicem, ultoremque severum experiantur.

XVI. Ita contra Donatistas actum fuit. Damnati à Synodis Romanâ, & Arelatensi, ad Constantinum Imperatorem appellarunt; qui, ut refert Optatus *l.* 1. *de Schism. Donatist. cap.* 26. hujusmodi appellationem execratus: O (inquit) *rabida furoris audacia! Sicut in causis Gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt*. Verùm quia vidit, eos late bacchantes Ecclesiam devastare, ejusque jugum prorsus excussisse, causam suscipiens, leges in eos tulit. Adhuc furentes edictis suis frænarunt Honorius, & Theodosius Junior: quibus, ut refert S. August. *lib.* 1. *contra Epist. Parmeniani cap.* 12. statuitur specialiter: *Ut vel Ordinator Clerici, vel ipse Ordinatus, denis libris auri mulctentur*. Et generaliter eis, *vel faciendi testamenta, vel per donationes aliquid conferendi, facultas adimitur; vel ex donationibus, aut testamentis aliquid capiendi*. Et incorrigibiles brachio sæculari debere tradi opprimendos, sancitur 23. q. 5. Cap. *de Liguribus*. Sed de his plura apud Canonistas.

QUÆSTIO III.

De Fidelibus comparatè ad Infideles.

In præsenti quæstione examinandum assumimus modum, quo se gerere debent Fideles erga Infideles. Et primò, in disputando cum illis de rebus fidei: deinde quoad convictum, & communicationem cum illis.

DUBIUM I.

An liceat Fidelibus cum Infidelibus Disputare?

§. I.

Mens Sancti Thomæ.

I. Certum est, disputare cum Infidelibus, propugnando fidem, ex objecto suo esse rem licitam. Paulus enim inter conditiones, quas in Episcopo requirit, hanc vult, ad Titum 1. v. 9. *Ut potens sit exhortari in doctrina sanâ, & eos, qui contradicunt arguere. Sunt enim multi... seductores, maximè qui ex circumcisione sunt, quos oportet redargui &c.* Act. 6. v. 9.

v. 9. legimus Stephanum disputantem cum Judæis. Et *Act.* 9. *v.* 22. Saulum convalescentem confundentem Judæos: & *v.* 29. quòd *Loquebatur quoque Gentibus, & disputabat cum Græcis*. Passim autem in Conciliis referuntur disputationes Patrum cum Infidelibus, ut eos à suis erroribus revocarent. Quod etiam confirmant Veterum Scripta, & Recentiorum contra hæreses suis temporibus grassantes.

II. Neque valet, si objicias primò Apostolum 2. *ad Timoth.* 2. *v.* 14. dicentem: *Noli contendere verbis; ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium.* — Secundò. Lex Marciani Augusti per Canones (*l. Nemo Clericus c. de Sum. Trinit.*) confirmata, est: *Injuriam facit judicio religiosissimæ Synodi, si quis semel judicata, ac rectè disposita revolvere, & publicè disputare contendit.* — Tertiò. Disputatio argumentis aliquibus agitur; argumentum autem est ratio rei dubiæ faciens fidem: sed ea, quæ sunt fidei, cum sint certissima, non sunt in dubitatione adducenda; ergo &c.

III. Respondet ad hæc S. Tho. 2. 2. *q.* 10. *a.* 7. ubi ea sibi objicit. Ad primum dicit: *Quòd Apostolus non prohibet totaliter disputationem; sed inordinatam, quæ magis fit contentione verborum, quàm firmitate sententiarum.*

IV. Ad secundum dicit: *Quòd lex illa prohibet publicam disputationem de fide, quæ procedit ex dubitatione fidei; non autem illam, quæ est ad fidei conservationem.*

V. Ad tertium dicit: *Quòd non debet disputari de his, quæ sunt fidei, quasi de eis dubitando; sed propter veritatem manifestandam, & errores confutandos. Oportet enim ad fidei confirmationem aliquando cum infidelibus disputare. Quandoque quidem defendendo fidem, secundùm illud 1. Petri* 3. *v.* 15. Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ est in vobis, spe, & fide. *Quandoque ad convincendos errores, secundùm illud ad Tit.* 1. *v.* 9. Ut potens sit exhortari in doctrina sanâ; & eos, qui contradicunt, arguere.

VI. Hoc tamen non obstante docet D. Thom. 2. 7. citato in Corp. *Quòd in disputatione fidei duo sunt consideranda. Unum quidem ex parte disputantis: aliud autem ex parte audientium. Ex parte quidem disputantis est consideranda intentio. Si enim disputet, tanquam de fide dubitans, & veritatem fidei pro certo non supponens, sed argumentis experiri intendens; procul dubio peccat, tanquam dubius in fide, & infidelis. Si autem disputet aliquis de fide, ad confutandos errores, vel etiam ad exercitium, laudabile est.*

Ex parte verò audientium considerandum est, utrum illi, qui disputationem audiunt, sint instructi, & firmi in fide; aut simplices, & in fide titubantes. Et quidem coram sapientibus in fide firmis nullum periculum est disputare de fide.

Sed circa simplices est distinguendum. Quia, aut sunt solicitati, sive pulsati ab Infidelibus, puta Judæis, vel hæreticis, sive Paganis nitentibus corrumpere in eis fidem: aut omnino non sunt solicitati super hoc, sicut in terris, in quibus non sunt Infideles. In primo casu necessarium est publicè disputare de fide; dummodo inveniantur aliqui ad hoc sufficientes, & idonei, qui errores confutare possint. Per hoc enim simplices in fide firmabuntur, & tolletur Infidelibus decipiendi facultas: & ipsa taciturnitas eorum, qui resistere deberent pervertentibus fidei veritatem, esset erroris confirmatio. Unde Gregorius in 2. *Pastoral. c.* 4. Sicut incauta locutio in errorem pertrahit; ita indiscretum silentium eos, qui erudire poterant, in errore derelinquit.

In secundo verò casu periculosum est publicè disputare de fide coram simplicibus; quorum fides ex hoc est firmior, quòd nihil diversum audierunt ab eo, quod credunt. Et ideo non expedit eis, ut verba Infidelium audiant disputantium contra fidem. Hæc solitâ claritate, & subtilitate S. Præceptor, quæ à nobis examinanda sunt.

Z 2 §. II.

§. I I.

Quædam Notantur ex parte Disputantium.

VII. Dicit primò S. Thom. quòd disputare de fide, de ea dubitando, peccatum est. Quæ verba debent intelligi de viro fideli, non verò pagano. Hoc est enim inter Fidelem, & paganum discrimen; quòd Fidelis per hoc, quòd de fide dubitat, à fide susceptâ recedit, & ad infidelitatem declinat: cum ex summa certitudine, quam habebat, venit ad dubium. Paganus verò, per hoc, quòd de fide incipit dubitare, & ejus veritatem argumentis vult experiri; ab infidelitate, quâ tenebatur, fit distans, & ad fidem incipit appropinquare: unde laudabiliter operatur, dum quærit occasionem amplexandi veritatem.

VIII. Præterea: cùm in eo, qui recenter est conversus, remanere soleant quædam difficultates animum ejus agitantes; honestum est, eas viro docto proponere, ut earumdem solutione melius instruatur: ita tamen firmus, & constans animo esse debet, ut non sit discessurus à fide, quamproffessus est, etiamsi difficultatum suarum adæquatam solutionem non inveniat: sed cogitare potiùs, veritates illas supra captum suum esse.

IX. Dicit secundò S. Thomas: quòd *disputare de fide ad confutandum errores, vel etiam ad exercitium, laudabile est*. Quæ verba construi cum sequentibus debent, nimirum, dummodo *sufficientes sint, & idonei*. Quapropter post obitum S. Thomæ, ne quisque sibi hanc provinciam arrogaret cum præjudicio fidei, emanarunt nova jura vetantia laicis, sub pœna excommunicationis, disputare de Fide. Alexander enim IV. ut patet ex cap. *Quicumque* de hæreticis in sexto, hoc decrevit, his verbis: *Inhibemus quoque, ne cuiquam laica persona liceat, publicè, vel privatim de fide catholicâ disputare. Qui verò contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur*. Quinam verò comprehendi debeant hìc nomine *laici*, dubitatur. Cum enim ex cap. *Duo sunt genera*, 12. q. 1. Clericis annumerentur Conversi, seu *Deo devoti*, laici verò appellentur ii, quibus *concessum est, uxorem ducere, terram colere, inter virum, & virum judicare, causas agere &c.* meritò in dubium verti potest: an liceat etiam Conversis, seu Deo devotis in aliqua religione professis (quia contra laicos in præfato Canone distinctis) de fide disputare; & è contrario: an hoc omnibus omnino laicis vetitum sit.

X. Quoad Conversos, seu Deo in aliqua religione devotos, videtur aliquibus, sub nomine *laici* non esse comprehensos. Tùm quia: eis non conveniunt, quæ in memorato Canone laicis conceduntur, maximè posse uxorem ducere. Tùm quia: Glossa ibi vocat eos Ecclesiasticas personas ex cap. *Quisquis*, 17. q. 4. Tum quia: Conversum verberans incidit in excommunicationem, secundùm *extr. de Sent. Excomm. c. non Dubium*.

Aliis vero videtur, quòd etsi Conversi sub nomine *laici* generaliter non veniant; veniunt tamen ex dispositione, & intentione præfati Canonis Alexandri IV. Laicos enim intelligit Alexander viros illiteratos quoscumque, ut ibi exponit Glossa. Conversi autem, etsi quoad alia laicæ personæ non sint, quoad literaturam laici sunt; recipiuntur enim, non ut doceant, sed ut etiam in vilibus serviant.

Quidquid sit: mihi certum videtur, quòd etsi conversi, ex vi Canonis Alexandri IV. non prohibeantur disputare de fide cum Infidelibus; ex imperitia tamen, & illiteraturâ, quæ in illis frequentior est, quàm in laicis, illicitum est eis, sicut & Monialibus, disputationem de fide cum hæretico inire: ob periculum, ne fidem, quam confirmare intendunt, suâ imperitiâ ludibrio, & irrisioni Infidelium exponant.

XI.

XI. Quantùm ad laicos verò, censet Cajetanus, quòd cùm lex lata sit odiosa, restringi debeat ad disputationem formalem, quæ suscipiatur ex professo; vel ad confirmandos dubios, vel ad arguendos Infideles, cum quibus est disputatio. Cæterùm si exercitii, eruditionis, vel honoris gratiâ admitteretur aliquis laicus, cæteroquin doctus, ad disputationem de fide in Catholico congressu, nil ageretur contra Jura. Unde videmus, laicos & in publicis conclusionibus de fidei articulis disputare, quin ullus hoc eis vertat in crimen.

XII. Imò censet idem Cajetanus, quem sequuntur Banez, Sylvius &c. quòd si esset (ut sunt non pauci) laicus in rebus fidei doctus, posset etiam admitti ad disputationem formalem de fide coram hæretico. Et ratio est: quia hoc faciens, licèt verbis legis contradiceret, non tamen intentioni Legislatoris sese opponeret; cujus intentio est, solùm excludere laicos, quia, ut in pluribus, censentur in subtilitatibus fidei parum versati: cæterùm si laicus sit, & doctus, non videtur prohiberi. Et hoc non solùm in circumstantia magnæ necessitatis, puta, si non esset Ecclesiastica persona, quæ errorem Infidelis retunderet; sed etiam sinè tantâ exigentiâ necessitatis. Quemadmodum enim si persona, licèt Ecclesiastica, sit tamen insufficiens, & inepta; non crederem intentionem Alexadri fuisse, ei dare facultatem disputandi de fide cum Infideli: ita ab opposito, si persona, estò laica, sit tamen sufficiens, & apta, credere par est, eam Pontificem noluisse excludere. Vidimus namque Theologos laicos multoties, nedum dictis, sed scriptis etiam, errores Infidelium peracutè & feliciter confutasse. Albertus Pighius Comes, & Laicus contra errores Lutheri, & contra Erasmum, per tresdecim libros disputavit. Henricus VIII. Angliæ Rex edidit Assertionem de septem Sacramentis contra Lutherum, ad Leonem X. qui & ejus zelum laudavit, & titulo defensoris Ecclesiæ insignivit: quamvis postea in errores, quos confutaverat, miserrimè lapsus sit. Ne dicam, aliquando Spiritum Sanctum in homines rudes, etiam fæminas, tantam lucem, & vim loquendi contra Infideles effudisse; ut efficaciùs eos convicerint, quàm viri doctissimi. Et Historia Ecclesiastica refert, quòd vir laicus simplex, sed sanctus, superavit in Concilio Nicæno hæreticum argutissimum; quem tamen doctissimi viri longa disputatione convincere non potuerant. Sed hæc in exemplum non sunt trahenda.

XIII. Præterire tamen non possum, disputationem de fide cum hæreticis, præsertim publicam, non sinè magnâ cautelâ esse suscipiendam: plerumque enim inutilis, & periculosa est, & ex ea bonus effectus rarissimè contigit: ut patet ex Tertulliano *de Præscrip. c.* 14. *&c.* Nicephoro *l.* 8. *Hist. c.* 13. Ruardo Tappero *Orat.* 5. Cochlæo in actis Lutheri, anno 1537. Unde Constantinus Imperator, in Epist. ad Alexandrum, & Arium (apud Socratem l. 1. Hist. c. 7.) *In hujusmodi* (inquit) *quæstionibus loquacitas comprimenda est: ne fortè, aut nobis ipsis id, quod propositum est, explicare non valentibus, ob naturâ nostra infirmitatem; aut auditoribus, ob ingenii tarditatem, ea, quæ dicuntur minimè assequentibus: ex alterutro horum, aut in blasphemia, aut in schismatis necessitatem populus incurrat.* Accedit: quòd hæretici Scripturas non recipiunt, nisi quas, & quando volunt: Ecclesiæ traditionem, & Patrum auctoritatem aspernantur: in erroribus suis obstinati non attendunt argumentorum solutiones; sed dum unum dicis, aliud extra propositum animo volvunt, quod opponant: & ab uno, dogmate, quod examinatur, ad aliud transiliunt, non expectatâ resolutione prioris. Hinc ejusmodi collationes, & disputationes rarò felices exitus habuerunt.

Nec tamen proinde abstinendum est

à con-

à confutandis hæreticis scripto. Idenim fecerunt Tertullianus, Athanasius, Augustinus, aliique Veteres, & Recentiores faciunt contra modernos hæreticos. Sed aliud est scribere confutationes hæreseon, aliud voce disputare: præsertim ubi hæretici pertinaces, non animo veritatis indagandæ disputant; sed, vel ut apud imperitos se vicisse videantur; vel saltem non appareant esse victi. Unde Tertullianus *l. de præscript. adu. hæret. c.* 15. ait: *In ipso verò congressu* (hæretici) *firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo dimittunt.* Quòd si necesse sit, disputationem cum hæretico suscipere, ne silentio Catholici doctoris fides apud infirmos detrimentum patiatur, & hæretici de victoria triumphent; assumatur, implorato auxilio à Patre luminum: hac tamen conditione, ut quæ utrimque dicuntur, à Notariis excipiantur. Quomodo fecisse Augustinum constat ex *Epist.* 152. modò 141. in disputatione cum Donatistis: & *Ep.* 175. modò 239. cum Ariano: & *lib.* 2. *Retract. c.* 16. cum Fortunato Manichæo.

XIV. An verò laicus, absque magna utilitatis spe, vel sinè scientiâ requisitâ cum hæretico disputans, incidat ipso facto in excommunicationem, vi præfati canonis Alexandri IV. respondeo negativè. Quia, ut verba Canonis sonant, & Glossa ibi exponit, excommunicatio illa non est lata, sed ferenda. Imò nec mortaliter peccare sentiunt plerique, si non adsit contemptus, & monitus non fuerit contumax. Qua ratione multi excusant à peccato mortali Ecclesiasticos, qui spectaculo taurorum in Hispania intersunt: quia licèt à Clemente VIII. hoc eis vetitum sit, sub pœna excommunicationis; non tamen est lata, sed ferenda; & tunc solùm quis censetur mortaliter peccare, quando fit dignus, & subjectum proximum excommunicationis: hoc autem solùm contingit, quando monitus, contumax persistit.

§. III.

Ulteriora Dubia ex parte Disputantium, & etiam ex parte Audientium.

XV. Cum dixerit S. Thomas, quòd quando viri simplices sollicitaotur ab Infidelibus, tunc necesse est, viros prudentes, & doctos cum illis disputare, eosque refellere; oritur dubium. Primò: An omnis doctus, & idoneus ad confutandum errores teneatur in prædicto casu se præsentare, ut cum Infidelibus disputet: an verò soli Pastores, & Rectores, nimirum, Episcopi, vel Parochi dictorum simplicium.

XVI. Respondeo, obligationem istam primò afficere Rectores animarum, idest, Episcopos, & Parochos. Ob hoc enim Paulus ad Titum primò requirit in Episcopo, *ut potens sit exhortari in doctrina sanâ, & eos, qui contradicunt arguere.* Ob hoc etiam Scriptura passim requirit in eis scientiam, & idoneitatem ad docendum. Hi sunt Pastores, qui doctrinâ pascere debent gregem Christi; qui debent animam suam ponere, ne lupus rapiat, & disperdat oves. Quòd si, ut non rarò infeliciter accidit, non se inveniant idoneos; tenentur ex justitia quærere alios idoneos, per quos fiat.

XVII. Si verò Rectores, & Pastores non adsint, vel in hoc desides fuerint; ita ut periculum adsit, ne simplices ab Infidelibus corrumpantur: tunc quilibet vir doctus, qui se idoneum judicaverit, tenetur ex caritate publicè coram simplicibus aggredi Infidelem, & cum illo disputare. Tenetur, inquam, ex caritate, quâ obligatur succurrere miseris in extremo periculo fidei, & vitæ animæ constitutis; qui à se ipsis non possunt à laqueis infidelis hominis se extricare, neque ad hoc à suis Pastoribus juvantur. Tenetur insuper ex titulo Doctoratus, cujus est defendere fidem à sophismatibus Infidelium. Tenetur tandem,

dem, quia simplices multa credunt in fide Majorum; & quidquid audiunt à viro docto, pro veritate Evangelicâ suscipiunt. Imò fortè etiam tenetur cum vitæ dispendio, nisi aliter periclitanti queat succurri. Agitur enim tunc causa Christi: & caritas, quæ non *quærit, quæ sua sunt*, debet communia propriis anteponere, cum agitur de damno spirituali proximi, & jacturâ honoris Christi.

XVIII. Oritur dubium secundò: An si non faciant in casu necessitatis, peccent, & quo peccato?

Respondeo, Rectores animarum, Episcopos, & Parochos peccare contra caritatem, & justitiam: contra caritatem, quâ quisque tenetur proximo periclitanti occurrere: contra justitiam verò, quia ex officio tenentur confirmare, & roborare in fide, quos viderint deficientes. De hoc S. Gregorius *p.* 2. regulæ Pastoralis *c.* 4. ubi contra Rectores, qui *nequaquam jam gregis custodes Pastorum studio, sed mercenariorum vice deserviunt, quia veniente lupo fugiunt, dum se sub silentio abscondunt*; ait: *Hinc namque eos per Prophetam* (Isaiæ 56. 10.) *Dominus increpat dicens:* Canes muti, non valentes latrare. *Hinc rursum quæritur dicens* [Ezech. 13. 5.] Non ascendistis ex adverso, nec opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini. *Ex adverso quippe ascendere, est, pro defensione gregis voce libera hujus mundi potestatibus contraire. Et in die Domini in prælio stare, est pravis decertantibus ex justitia amore resistere. Pastori enim recta timuisse dicere, quid est aliud, quàm tacendo terga præbuisse? &c.*

Alios verò Doctores, qui curam non habent animarum, peccare contra caritatem, quâ unusquisque tenetur, cùm possit, proximo extremè indigenti subvenire; sollicitati autem contra fidem, ut in casu allato, in extrema necessitate constituti sunt. Omnes verò peccant mortaliter: quia hi in materia gravi peccant contra caritatem: illi verò etiam contra justitiam. Videatur *Ezech. c.* 34. per totum.

XIX. Quæres tamen: An præfati Doctores teneantur disputare de fide cum Infidelibus, non solùm ex caritate, sed etiam ex præcepto externæ Confessionis fidei. Seu: An quemadmodum fides obligat omnes externè confiteri fidem, quando de ea legitimè interrogantur: ita obliget illos Doctores disputare cum Infidelibus, & fidem defendere; dum vident eos conari, seducere simplices, & corrumpere in eis fidem.

Respondeo, disputationem cum Infideli de fide non posse procedere ex præcepto fidei, tanquam actum à fide elicitum: hi enim duo tantùm sunt, nempe, interior cordis, & exterior oris confessio: crederem tamen, dici posse, obligationem illam oriri saltem imperativè à fide. Quia omnis actus, qui licèt non sit formalis confessio fidei, est tamen ordinatus ad fidem, vel tuendam, vel confirmandam, à fide esse debet: non elicitivè; ergo imperativè. Disputatio autem illa in iis circumstantiis esset fidei defensio, & confirmatio: sicut è contra cessatio ab illa esset causa vacillationis, & periculi fidei. Quia simplices videntes, eos, ad quos spectat fidem tueri, tacere; facilè credent, quòd fides non sit vera, & Doctores non habere argumenta, quibus possint eam à Contrariis tueri.

XX. Cùm similiter dicat S. Thomas, quòd si simplices non sint sollicitati ab Infidelibus, periculosum sit, coram eis disputare cum Infidelibus; oritur alterum dubium. Nam si hoc verum est; ergo nunquam licebit coram simplicibus instituere disputationes de fide, etiam exercitii gratiâ, inter Catholicos: quia in hisce disputationibus proferuntur argumenta Infidelium majori quandoque vi, & efficaciâ, quàm ab ipsis Infidelibus proferantur; unde simplices hæc audientes hæsitabunt in fide: at hoc est contra praxim communem; ergo neque peri-

periculosum erit, coram simplicibus disputare de fide cum Infideli, etsi non solicitet ad infidelitatem simplices.

XXI. Respondeo, negando illatum. Estò enim simplices eadem argumenta, quæ audirent ab Infidelibus, audiant sæpè in Catholicis disputationibus, & majori etiam vi prolata; non tamen ita moventur ad vacillandum in fide, sicut moverentur, si ea ab Infidelibus audirent. Cujus ratio est. Nam dum simplices audiunt à Fidelibus argumenta contra fidem, etiamsi solutionem non percipiant; judicant tamen, ea nullius roboris esse ad fidem enervandam: quia ipsimet, qui ea proferunt, & magis vim difficultatis percipiunt, non propterea fidem deserunt, aut in fide vacillant. Dicunt enim intra se: hi, qui hoc argumentum efformant, ejus vim magis, quàm nos, percipiunt; & tamen non moventur propter vim eorum ad deserendam fidem nostram; ergo multò minus nos, qui indocti sumus, moveri debemus, ut propter ea fidem deseramus, aut in fide dubitemus. At cum ea audiunt ab Infideli disputante cum Catholico; non solùm argumenta percipiunt, sed etiam cognoscunt, quòd propter ea, illemet, qui ea profert, cùm aliàs sit in Scriptura versatus, movetur ad deserendam fidem nostram. Quare, si non videat, ea planè, & plenè à Catholico dissolvi, potest facere hunc discursum oppositum: Iste, qui hoc argumentum efformat, & ejus vim benè percipit, cùm doctus sit, propter illud deserit fidem nostram; ergo fortè verum erit, quod dicit. Et sic saltem vacillabit in fide, in qua, ante talem disputationem auditam, firmus, & constans erat. Et in hoc sensu locutus est S. Thomas, quando dixit, non expedire, ut Fideles simplices argumenta contra fidem ab Infidelibus disputantibus cum Catholicis audiant.

DUBIUM II.

In quibus possint Fideles cum Infidelibus Communicare.

§. I.

Præmittuntur Certa.

I. *Communio alicujus personæ* (inquit S. Th. 2. 2. q. 10. a. 9.) *interdicitur Fidelibus dupliciter. Uno modo, in pœnam illius, cui Fidelium communio subtrahitur. Alio modo, ad cautelam eorum, quibus interdicitur, ne alii communicent.* Primo ergo modo docet S Doct. nempe, in pœnam, non interdicit Ecclesia Fidelibus communicare cum Infidelibus, qui nullo modo susceperunt Christianam fidem, scilicet Paganis, Mahumetanis, Judæis; quia non habet de eis judicare judicio spirituali, sed temporali tantùm, in casu, quo inter Christianos commorantes aliquam culpam committant: solùm ergo Fidelibus interdicit communionem cum istis ad cautelam Fidelium. Quia enim, teste Apostolo, 1. Cor. 5. v. 6. *Modicum fermentum totam massam corrumpit*; timendum esset, ne Fideles ex communione cum talibus Infidelibus corrumperentur. *In hoc tamen videtur esse distinguendum, secundùm diversas conditiones personarum, negotiorum, & temporum. Si enim aliqui fuerint firmi in fide: ita quòd ex communione eorum cum Infidelibus, conversio Infidelium magis sperari possit, quàm Fidelium à fide aversio; non sunt prohibendi Infidelibus communicare, qui fidem non susceperunt, scilicet Paganis, vel Judæis: & maximè, si necessitas urgeat. Si autem sint simplices, & infirmi in fide, de quorum subversione probabiliter timeri possit; prohibendi sunt ab Infidelium communione: & præcipuè ne magnam familiaritatem cum eis habeant, vel absque necessitate eis communicent.*

In

In pœnam verò ejus, cum quo communio denegatur: *Interdicit Ecclesia Fidelibus communionem illorum Infidelium, qui à fide susceptâ deviant; vel corrumpendo fidem, sicut haretici, vel etiam totaliter à fide recedendo, sicut Apostata: in utrosque enim horum excommunicationis sententiam profert Ecclesia*. Quia cùm hi Ecclesiam intrarint per Baptismum; possunt ab Ecclesia, cui subditi facti fuerunt, judicari, & pœnâ spirituali mulctari, dicente Apostolo 1. Cor. 5. v. 12. *Nonne de iis, qui intus sunt, vos judicatis?* Quam S. Thomæ doctrinam ita intelligendam censeo; ut Fidelibus interdicatur communicatio cum Infidelibus non baptizatis, ad cautelam, non in pœnam: cum Infidelibus verò baptizatis, non solùm ad cautelam, sed etiam in pœnam. Nam communicatio cum Infidelibus baptizatis majus periculum subversionis inducit, quàm communicatio cum non baptizatis. Hi enim, teste Apostolo, *ad Titum* 3. vitandi sunt; quia ut dicit, 2. ad Timoth. 2. v. 17. *Sermo eorum, ut cancer serpit.*

II. Cum his ergo omnibus certissimum est, jure divino prohibitum esse, ne Fideles communicent in ritibus superstitiosis eorum. Nam, 2. Cor. 6. v. 14. &c. *Nolite* (inquit Paulus) *jugum ducere cum Infidelibus: Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? .... Quæ autem conventio Christi ad Belial. Aut quæ pars Fideli cum Infideli? Qui autem consensus Templi Dei cum idolis? &c.* Super quæ S. Thom. *Lect.* 3. ait: *Nolite* jugum ducere, *idest, nolite communicare in operibus infidelitatis cum infidelibus*. Et ibidem post multa: *Non debetis ergo communicare cum Infidelibus, qui sunt templa Idolorum. Sed notandum, quòd Dominus prohibet per Ezechielem, quòd in templo Dei non colantur Idola* (Ezechiel. 26.) *Multò ergo magis probibentur homines, quorum animæ sunt Templum Dei, ne violent illas per participationem Idolorum.* Et ratio est. Quia tales cultus superstitiosi sunt intrinsecè mali, & contra virtutem Religionis; sic, ut nullo bono fine cohonestari possint. Tùm etiam quia: communicare cum Infidelibus in ritibus suæ sectæ, esset facto eam profiteri, & fidem negare, ut supra vidimus.

III. Est etiam divino jure prohibitum: ne Infideles communicent cum Fidelibus, in Sacramentis, Sacramentalibus, recitatione divinorum Officiorum, & præcipuè in auditione tremendi Sacrificii Missæ. Colligitur ex illo Matth. 7. v. 6. *Nolite dare Sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos; ne forte conculcent eas pedibus suis.* Ubi per metaphoram canum, & porcorum indicantur Infideles, quos secum, ne admittant in prædictis, præcipit Christus: intelligens per Sanctum, & margaritas, Sacramenta, & præsertim Sacrificium Corporis sui; in quo ipse Deo Patri offerendus erat in Altari. Et causam præcepti assignat: ne forte conculcent pedibus suis, idest, ne irrideant, & contemnant. Cùm enim sint supra captum mentis humanæ, prudentissimè timebat; ne, si fide destituti ad ea admitterentur, contemnerent, ac irriderent. Quare antiqua Ecclesia consuevit ad Missam nec ipsos Catechumenos admittere, nisi usque ad Evangelium recitatum; vel, secundùm aliquos, nisi completo sermone post Evangelium: quo finito exire ab Ecclesia compellebantur. Quæ propterea vocabatur Missa Catechumenorum: ad quam admissos quoque fuisse Gentiles, & hæreticos, qui nimirum ad suscipiendam fidem catholicam dispositi videbantur, testatur Canon. 84. Concilii Carthagin. IV. *de Consecr. dist.* 1. *cap. Episcopus nullum* ubi dicitur: *Episcopus nullum prohibeat ingredi Ecclesiam, & audire Verbum Dei, sive Gentilem, sive hæreticum, sive Judæum, usque ad Missam Catechumenorum.*

§. II.

In quibus Canones vetent, Communicare Fideles cum Infidelibus.

IV. PRimò igitur prohibetur Fidelibus familiaritas, & cohabitatio, & servitus Infidelium lib. 5. de Judæis, & Saracenis, cap. *Multorum ad nos*. C. *Judæi, sive Saraceni*. Et c. ad hæc, ubi Alexander III. sic habet ad omnes Prælatos Ecclesiarum: *Omnibus Christianis, qui sunt in jurisdictione vestrâ, penitus interdicatis, & si necesse fuerit, districtione Ecclesiasticâ compellatis eosdem, ne Judæorum servitio se assiduè pro aliqua mercede exponant: quod etiam obstetricibus, & nutricibus eorum prohibere curetis, ne infantes Judæorum in eorumdem domibus nutrire præsumant. Quoniam Judæorum mores, & nostri in nullo concordant: & ipsi de facili ob continuam conversationem, & assiduam familiaritatem, ad suam superstitionem, & perfidiam simplicium animos inclinarent.* Quibus observo, duo interdici, commidatâ excommunicationis sententiâ: nempe, familiaritatem, & servitutem. Quantùm ad familiaritatem, judico cum D. Tho. hoc *a.* 9. hanc interdici per se solis infirmis in fide, & simplicibus; de quorum subversione timeri posset, si familiariter in domibus Hæbreorum, aut Infidelium cohabitarent. Cæterum *si aliqui fuerint firmè in fide; ita quòd ex communione eorum cum Infidelibus conversio Infidelium magis sperari possit, quàm Fidelium à fide aversio*: non sunt *prohibendi Infidelibus communicare, qui fidem non susceperunt .... & maximè si necessitas urgeat*. Hæc D. Tho. quem tamen de familiaritate cum assidua cohabitatione non puto intelligendum, ob scandalum, & alia motiva.

Quantum verò ad servitium, existimo, hoc interdici generaliter omnibus, tàm infirmis in fide, quàm firmis. Hoc enim habetur expressè *in cap.* Etsi Judæos (quod est Innocentii III.) his verbis: *Inhibemus ergo districtè, ne de cætero nutrices, vel servientes habeant Christianos*. Et pro ratione non adducit periculum corruptionis fidei; sed *ne filii liberæ filiis famulentur ancillæ: sed tanquam servi à Domino reprobati, in cujus mortem nequiter conjurarunt, se, saltem per effectum operis, recognoscant servos illorum, quos Christi mors liberos, & illos servos efficit*. Quæ ratio militat pro omnibus Christianis, sive in fide infirmis, sive firmis.

V. An verò nutrices Christianæ possint filios Hebræorum alere, extra domos tamen hebræorum manendo: posse censent Abbas, Glossa, Bonacina, Conincem. Negant tamen Panormitanus, Silvester, Azorius, & alii, quibus subscribendum censeo. Quia in eorum favorem S. Congregatio S. Offic. die 15. Martii 1612. & 17. Maii eodem anno, ut refert Albitius, 1. *p. cap.* 31. *num.* 117. decrevit: Judæos non posse uti operâ nutricum Christianarum, etiam extra Ghettum: nec posse Principes seculares hujusmodi privilegium Judæis concedere, 2. Junii 1591. Imò nec Episcopum posse in hoc dispensare, ut ex Cap. *Ad hæc*. Et propterea cùm quidam Nuntius sibi, & Ordinariis reservasset facultatem concedendi licentias tenendi nutrices Christianas, & utendi servitute Christianorum Judæis; eidem injunctum fuit, ut ejusmodi reservationem revocaret, Decreto 21. Maii 1592. prout revocavit: quod apparet ex litteris ejusdem.

VI. Eâdem ratione, nec possunt Christiani, etiam habitando extra Ghettum, famulari Judæis famulatu, qui sit correlativus proprii dominii, & superioritatis: non solùm ex capite familiaritatis; quia famuli propriè tales, etsi non habitent in domibus dominorum suorum, debent tamen si non continuè, frequentissimè tamen dominis suis assistere: sed etiam præcipuè ex ipsa ratione famulatus; quia sive

ſive frequenter, ſive rarò aſſiſtant, dedecet ſemper, ut filii liberæ, & liberi per mortem Chriſti, famulatum præſtent, & ſubſint dominio filiorum ancillæ.

VII. Non interdicitur tamen Fidelibus, operas ſuas locare Judæo, aut Infideli; puta, laborare in ejus agro, ejus domum conſtruere, & alia ſimilia: quia in his non intervenit vera ſervitus. Et colligitur ex Cap. *Multorum*. Ubi dicitur: *Hi verò, qui in poſſeſſionibus eorum* (Judæorum) *ſunt, licèt leguum diſtrictione ſint liberi: tamen quia colendis terris eorum diutius adhæſerunt, utpote conditione loci debentes, ad colenda rura remaneant, conſuetas penſiones prædictis viris præbentes*. Ubi ponderanda ſunt illa verba: *licèt legum diſtrictione ſint liberi*; & iſta *conditione loci debentes*: quæ ponuntur, ne ſervitus ex parte Chriſtianorum, & dominium ex parte Judæorum putaretur. Deberent tamen in dicto caſu dicti agrorum cultores, & coloni moneri: ne cum Patronis agri miſceant colloquia in aliis materiis, maximè ad religionem ſpectantibus, præter ea, quæ ad opus rurale conducunt: & hoc ad vitandum periculum corruptionis fidei in viris illis rudibus, & ſimplicibus.

VIII. Neque pariter Fidelibus interdicitur, res ſuas locare Infidelibus, ut currus, boves, jumenta: hoc enim non eſt illis inſervire. An autem poſſit Infideli locare rhedam, vel currum, & ſimul agere rhedarium, vel vectorem ad iter agendum: praxis jam certam fecit partem affirmativam. Nec hoc repugnat præfatis textibus; dummodo non ſint conducti, ut determinatè ſerviant Infidelibus, ſed ut, moris eſt, indifferenter omnes vehant: hoc enim non eſt propriè famulari, ſed locare equos, & operam ſuam agendo equos, & equis miniſtrando in neceſſariis; quod proprium, & per ſe eſt munus vectoris, ſicut coloni munus eſt colere terram: quod tamen, ut vidimus, præfatis canonibus non eſt prohibitum; dummodo vectores Chriſtiani à nimia familiaritate Infidelium, quos vehunt, abſtineant. Hoc autem dico: quia alioquin cogerentur locatores equorum, & curruum habere vectores Chriſtianos pro Chriſtianis, & Infideles pro Infidelibus; quod maximum eſſet incommodum, & alia traheret pejora abſurda.

IX. Eſtò autem non liceat Chriſtianis famulari Infidelibus, licet tamen illis ſervum habere Infidelem. Et rationem dat S. Tho. hâc *qu.* 10. *a.* 9. *ad* 3. Quia *Magis eſt probabile, quòd ſervus, qui regitur imperio domini, convertatur ad fidem domini Fidelis, quàm è converſo. Et ideo non eſt prohibitum, quin Fideles habeant ſervos Infideles. Si tamen domino periculum immineret ex communione talis ſervi, deberet eum à ſe abjicere, ſecundùm illud mandatum Domini, Matth.* 18. Si pes tuus ſcandaverit te, abſcinde eum, & projice abs te. — Quod maximè timendum cenſerem ab ancilla Infideli, ne ejus communione depravaretur cor domini fidelis: quemadmodum depravatum fuiſſe legimus cor Salomonis à mulieribus alienigenis 3. *Reg. cap.* 11.

Quòd ſi non adſit periculum, vi Canonum non interdicitur: quia licèt vetent expreſsè familiaritatem ortam ex famulatu Chriſtianorum erga Infideles; nullum tamen verbum faciunt de ea, quæ oritur ex famulatu Infidelium erga Chriſtianos. Quare nimis rigidè videtur loqui Silveſter, qui vult, ſervum Infidelem non debere commorari cum domino Fideli, ut nimia familiaritas evitetur: hoc enim non requiritur, ſecluſo tamen periculo, ut ſupra notavit S. Thomas.

X. Ex capite vitandæ familiaritatis interdicitur etiam Chriſtianis, ne ſimul cum Judæis in balneo lavent. Ita in Cap. *Nullus* 28. qu. 1. (ex 6. Synodo, cap. 11.) Quod tamen intelligitur, ſi ex condicto fiat, nimirum, ſi conventione factâ, uterque balneum petat, & ibi lavet. Cæterum ſi con-

tingat, quòd existente Fideli in balneo, Judæus intret, non tenetur Christianus exire: sicut si inveniat jam Judæum in balneo, non tenetur Fidelis expectare, donec exeat; quia in hoc nullum familiaritatis apparet indicium. Verum quidem est, quòd, referente S. Polycarpo, apud Euseb. *lib.* 4. *Hist.* c. 14. cum S. Joannes Evangelista Ephesi ad balneum esset ingressus, viso intus Cerintho hæretico, mox è balneo profugit, in hæc verba prorumpens: *Fugiamus hinc, ne fortè balneum corruat, in quo est Cerinthus veritatis inimicus.*

XI. Eâdem ratione interdicitur Christianis communicare in mensa cum Judæis; ita ut non possint eos ad convivia recipere, nec ab eis recipi. Ita cap. *Omnes deinceps* 28. q. 1. his verbis: *Omnes deinceps Clerici, sive laici, Judæorum convivia evitent, nec eos ad convivium quisquam accipiat. Quia cùm apud Christianos communibus cibis non utantur; indignum, atque sacrilegum est, eorum cibos à Christianis sumi. Cùm ea, quæ Apostolo permittente nos sumimus, ab illis judicentur immunda; ac sic inferiores incipiant esse Christiani, quàm Judæi: si nos, quæ ab illis apponuntur, utamur, illi verò à nobis oblata contemnant.* Qui Canon, ex Conc. Agathensi c. 40. sumtus est.

XII. Quia autem ratio, quare prælaudatus Canon vetat convivia cum Judæis, est discretio ciborum; aperitur locus dubio: An quando Judæi non discernunt inter cibos, & cibos, liceat eos ad convivium invitare, & ad eorum convivia accedere.

Sentiunt multi, licere, dummodo prædicta invitatio non sit frequens, & assidua: hæc enim solam parit familiaritatem prohibitam in cap. *Ad hæc*, ob periculum subversionis. Et multò magis licere, si Fidelis sit firmus in fide, vel doctus, de cujus periculo non timeatur. — Alii verò sentiunt, non licere: quia licèt ratio discretionis ciborum non militet, militat tamen familiaritas. Ut enim ait Glossa super cap. *Omnes* citatum, major familiaritas est in cibo sumendo, quàm in colloquio: & faciliùs quis decipitur inter epulas, ut cap. *Unusquisque* 22. q. 4. de Herode, qui inter epulas Joanni Baptistæ caput jussit amputari, quod extra epulas non jussisset. Accedit etiam scandalum eorum, qui scirent, Christianum communicare in mensa cum Judæo. Hanc opinionem judico tutiorem. Quòd si nulla præcessisset invitatio, sed casualiter contingeret, ut Christianus, & Judæus in itinere simul manducarent, vel Christianus, ut hospes à Judæo reciperetur; conveniunt omnes licitum esse. In quo casu deberet Christianus sibi apposita manducare, nihil interrogando de qualitate ciborum. Quemadmodum monet Paulus 1. Cor. 10. v. 27. *Si quis vocat Infidelium, & vultis ire, omne, quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam.* Quòd si aliquis ei diceret, cibos illos esse superstitione aliquâ, sive judaicâ, sive paganicâ contaminatos, abstinere deberet; ne, qui indicavit, putaret, tales cibos comedendo illam sectam profiteri. Unde subdit Apostolus v. 28. *Si quis autem dixerit, hoc immolatum est Idolis, nolite manducare, propter illum, qui indicavit, & propter conscientiam. Conscientiam autem dico, non tuam, sed alterius.* Videatur D. Thom. in 1. *ad Cor.* c. 10. *Lect.* 6.

Hac Pauli regulâ censeo licere mensis Saracenorum interesse, quamvis contrarium sentiat Silvester. Eo vel magis, quòd cap. *ad Mensam* 11. q. 3. permittitur his verbis: *Ad mensam quippe Paganorum si volueris ire, sine ullâ prohibitione permittimus.* Et maximè si hoc fiat animo lucrandi eos, ut habetur c. Infideles 23. q. 4. *Infideles non possumus Christo lucrari, si eorum colloquium vitamus, & convivium. Unde & Dominus cum publicanis, & peccatoribus manducavit, & bibit.* Qui Canon non opponitur cap.

Omnes

Omnes supra citato. Nam in isto sermo est de paganis, in illo autem speciatim de Judæis, ut ait Glossa.

XIII. Azyma autem Judæorum non solùm cum eis, sed absolutè Christianis vetitum est manducare, in cap. *Nullus*. 28. q. 1. his verbis: *Nullus eorum, qui in sacro sunt Ordine, aut laicus Azyma Judæorum manducet*: indictâ pœnâ depositionis, si Clericus est, excommunicationis verò, si laicus. Hoc tamen intelligendum puto de comestione Azymi ritu judaico, quasi festa more judaico celebrando: hunc etiam sensum facit ly *Azyma Judæorum*, nimirum sensum formalem, pro Azymis, ut à Judæis adhibentur; seu illis diebus, quibus Judæi solis Azymis vescuntur: hìc enim cibus est eorum sectæ discretivus, & protestativus. Si tamen etiam illis diebus, & apud hebræos alium cibum non habens, Azyma Christianus manducet, non ut cibum discretivum, sed ut panem simplicem; dummodo absit scandalum, nec putetur, id facere in venerationem sectæ judaicæ: idem judicium ferendum est, ac de eo, qui, teste Paulo, idolothyta manducaret, ut supra.

XIV. Prohibentur insuper Christiani in suis infirmitatibus vocare Judæos medicos, aut ab eis pharmaca recipere. Sic in præfato c. *Nullus*. Et quoad primum Gregorius XIII. anno 1581. edidit Bullam, quæ incipit: *Aliàs pia memoria*, in qua approbatâ Constit. Pauli IV. & S. Pii V. super hoc, interdicit strictissimè, ne ullus Judæos, vel alios Infideles ad Christianorum ægrotantium curam vocet, seu admittat: determinans gravissimas pœnas contra oppositum facientes. Ex alio tamen fine hoc prohibet c. *Nullus*, ac S. Pius V. & Gregorius XIII. Nam cap. *Nullus* prohibet, ne causâ curationis, inter ægrotum fidelem, & medicum Judæum familiaritas frequens, & assidua fit. At S. Pius, & Gregorius hoc vetant: quia cùm præcepissent, ut omnes medici, cùm ad infirmos jacentes in lecto vocati fuerint, ipsos ante omnia moneant, ut idoneo Confessario peccata sua exponant; neque tertio die eos ulteriùs visitent (nisi Confessarius, ob rationabilem causam, longius tempus concedat) priusquam de peracta confessione scripto eis constiterit: cùmque hoc à medico infideli sperandum non sit, ideo præcipit Gregorius, ne medici infideles vocentur.

XV. Excipi tamen videtur casus gravis necessitatis. Unde 3. Decembris 1619. à S. Cong. S. O. concessa fuit licentia Catholicis in partibus Infidelium commorantibus, ubi nullus aderat medicus Christianus, advocandi medicum infidelem. Et si medicus Judæus, aut infidelis esset notabiliter peritus, advocari posse, in consortio tamen aliorum medicorum fidelium, ut concessum 10. Augusti 1628. refert Albit. *c.* 31. *n.* 119. & 120.

XVI. Circa verò id, quod dicit c. *Nullus*, non licere Christianis ab Infidelibus, maximè Hebræis, recipere medicinas: non ita intelligendum censeo, ut non liceat Christianis emere medicinas, à Judæis præparatas, & à medico Christiano præscriptas: sed quòd non liceat eas percipere, ut à medico Judæo unicè præscriptas in visitatione infirmi. Quòd si extra visitationem, factâ narratione infirmitatis, medicus Judæus pharmaci *Recipe* exhiberet, posse accipi arbitrarer.

§. III.

De Contractibus inter Fideles, & Infideles.

XVII. Certum est absolutè, esse permissum Christianis in mercibus emendis, ac vendendis cum Hebræis communicare, & contractus inire. Hoc tùm ex praxi: tùm etiam colligitur ex cap. *Post miserabilem* de Usuris. Quo cùm Innoc. III. præcipiat, ut Judæi, per Principes, & potestates sæculares compellantur ad remittendas Chri-

Christianis usuras; & donec eis remiserint, præcipiat Christianis tàm in mercimoniis, quàm in aliis communionem eis denegari, & hoc sub excommunicationis pœnâ: consequens est, ut, præcisâ usurarum circumstantiâ, permissum sit, cum eis contractus emtionis, & venditionis inire.

XVIII. Idem censeo quoad alios Infideles, Mahumetanos, & hæreticos non nominatim declaratos: dummodo tamen mercimonium non sit de iis, & in illis circumstaniis, quibus Infideles uti possint in damnum Christianorum. Quapropter in Bulla Cœnæ lata est excommunicatio contra eos, qui Turcis, Saracenis, & aliis Christiani nominis inimicis, vel hæreticis per Sedem Apostolicam nominatim, & expresse declaratis, deferunt, seu transmittunt arma, ferrum, chalibem, equos, & alia, quibus Catholicos impugnant. Mercimonium etiam habere cum Saracenis eo tempore, quo bellum gerunt cum Christianis, sub eadem latæ excommunicationis pœnâ interdixit Christianis Clemens III. cap. *Quod olim* tit. de Judæis, his verbis: *Omnes illos excommunicationi supponimus, qui jam amplius cum Saracenis mercimonium habuerint, vel per se, vel per alios, navibus, seu quocumque alio ingenio eis aliqua rerum subsidia, seu consilia, quamdiu inter nos, & illos guerra duraverit, duxerint impendenda.* Quæ excommunicationis pœna priùs lata fuerat in Concil. Lateranensi III. sub Alexandro III. *cap.* 24. anno 1179. his verbis: *Ita quorumdam animos occupavit sæva cupiditas; ut cùm glorientur nomine Christiano, Saracenis, arma, ferrum, & lignamina galearum deferant, & pares eis, aut etiam superiores in malitia fiant, dum ad impugnandos Christianos arma eis, & necessaria subministrant. Sunt etiam, qui pro sua cupiditate in galeis, & piraticis Saracenorum navibus, regimen, & curam gubernationis exercent. Tales igitur à communione Ecclesiæ præcisos, & excommunicationi pro sua iniquitate subjectos ...... fore censemus.*

XIX. Circa hoc tamen pulcherrimum oritur Dubium: An liceat Christiano vendere Judæo agnum, quem novit, eum emere ad hunc finem; ut ritu, & more suo judaico eum mactet in Paschate? Vel vendere bovem Pagano, quem novit ab eo emi, ut Idolo suo illum sacrificet? Videtur enim non posse. Quia sic datur occasio Judæo, vel Pagano ritus suos superstitiosos, & sacrilegos colendi, atque servandi, in quibus peccat: qui autem consentit, vel dat occasionem peccato alterius, cum ipso peccat, quia influit in ejus peccatum. Quemadmodum ergo non licet vendere gladium, aut venenum furioso, aut amenti, aut alteri, quando venditor sciret, usurum istis ad necem alterius: sic nec licet Christiano vendere Agnum Judæo, aut Bovem Pagano, quando scit, eum usurum ad pravum finem, nempe, ad ritus Judaicos, sive idololatricos peragendum.

XX. Pro resolutione noto: quòd per se loquendo non est idem finis vendentis, & finis ementis aliquam rem. Nam finis vendentis per se est lucrum, quod expectat ex tali venditione: finis autem ementis est posse liberè uti re, quam emit, ad usus sibi necessarios, vel voluntarios. Quod etiam verum est, quando emens emit, ut iterum emta vendat: nam licèt hic, ut revendens, lucrum intendat ex revenditione; formaliter tamen, ut emens, solùm per se intendit uti tali re ad usus, qui sibi placuerint.

Per accidens autem contingere potest, ut idem sit finis ementis, & vendentis, saltem inadæquatè. Et hoc dupliciter. Vel quia res, quæ venditur, potest tantùm ad unum usum deservire: ut quando illa non possunt homines, nisi malè uti. Tunc enim licèt vendens ad vendendum solùm moveatur à lucro, quod sperat ex venditione: ex quo tamen usus ementis, & rei emtæ non potest esse, nisi malus, ipse malus usus non potest à

vendi-

venditione præscindi, & illam non terminare. Sicut cùm quis appetit delectabile, quod scit indispensabiliter esse connexum cum difformitate à ratione rectâ; etsò non moveatur à prædicta difformitate, sed tantum à delectatione, quam delectabile promittit: tamen ex parte rei terminantis, appetitus ejus verè terminatur ad talem difformitatem. Alio modo contingere potest, venditorem, & emtorem convenire in eodem fine; ut si vendens sciat, emtorem rem ab ipso emere, ob aliquem finem determinatum: tunc potest venditor rem vendere, non solùm ut inde lucretur, sed etiam ut alter finem, quem intendit, assequatur. Ex quo infertur, quòd è contrario potest aliquis scire, emtorem emere rem ad finem malum; & nihilominus eam non vendere, ut eâ malè utatur, si res alioquin indifferens sit: & propterea non sit convenientia inter venditorem, & emtorem in fine pravo, neque ex parte rei venditæ, quæ de se est indifferens ad bonum, vel malum usum: neque ex parte vendentis, qui tunc tantùm vendit ob finem intrinsecum venditioni, nempe, ut lucretur: neque enim ex quo vendit, tenetur vendere ob finem, quem liberè intendit emens. Hoc prænotato

XXI. Sentio primò cum Azorio, Ferre, & aliis: nefas esse Christiano viro agnum, aut bovem vendere Judæo, aut Pagano ad superstitiones eorum peragendas, videlicet, eo animo, & fine, ut eis malè utatur. In hoc censeo, omnes convenire debere. Nam actio, quæ fit gratiâ finis pravi, non potest non esse prava: sed venditio agni eo fine, ut Judæus peragat ritus suos Mosaicos, fit gratiâ finis pravi; ergo &c.

Si dicas: quòd vendens agnum eo fine, vendit illum ob finem ab Ecclesia permissum; cùm Ecclesia permittat Judæis suos ritus peragere: at qui agit ob finem, ab Ecclesia permissum, non peccat; ergo &c.

Respondeo, neg. min. Permittere namque non est positivè approbare, sed solùm tolerare, ad majus malum præcavendum: unde Ecclesia multa tolerat, quæ secundùm se mala sunt. Ex quo ergo Ecclesia toleret ritus judaicos, sicut non sequitur, Judæos in illis peragendis non peccare: ita non sequitur, non peccare eum, qui ad hunc finem venderet eis agnum.

Sed inquies: ad quid ergo servit illa permissio, si opus ita malè moraliter fit, ac si non esset permissum? — Respondeo, servire ad hoc, ut Hebræi, qui, Ecclesiâ non permittente, impunè à pœna temporali ritus suos peragere nequirent; stante permissione, eos peragere possint impunè à pœna temporali: non tamen impunè à pœna, & à reatu pœnæ æternæ, à quo absolvi non possunt.

XXII. Sentio secundò tanquam certum: quòd si Christianus ignoret, Hebræum illo agno abusurum ad Judaicos ritus, poterit eum illi vendere. Neque enim tenetur venditor exquirere ab emtoribus, ad quos usus res emant, quando vendunt res per se indifferentes. Liberum enim ei est, res suas, cæteroquin bonas, vel indifferentes vendere, & ab eis lucrum, qui finis venditionis est, reportare.

XXIII. Sentio tertiò. Non licere Christiano vendere Judæo, aut Pagano rem, cujus usus est per se malus, aut per se ad ritus superstitiosos eorum refertur. Hoc docet D. Tho. hâc 2. 2. q. 169. a. 2. ad 4. ubi hæc habet: *Dicendum, quòd si qua ars est ad faciendum aliqua opera, quibus homines uti non possunt absque peccato; per consequens artifices talia faciendo peccarent, utpote præbentes directè aliis occasionem peccandi: puta, si quis fabricaret Idola, vel aliqua ad cultum idololatriæ pertinentia.* Ex quibus infert Cajetanus ibi: quod *cùm tam Synagoga, quàm muschaa domus sit per se deputata ad superstitiosum cultum, licèt unius Dei, quoniam uterque ritus, scilicet Judaicus, & Mahumetanus, superstitiosus est; consequens est, ut cooperans*

perans ad ædificationem, etiam reparatoriam, det operam rei, cujus usus est omnino illicitus, & mortale peccatum. Et propterea ita peccant mortaliter tales artifices, sicut artifices Idolorum, & aliorum ad cultum idololatriæ pertinentium. Nec obstat juris concessio, quoniam permissiva est. Permittuntur autem, non bona, sed mala.

XXIV. Sed dices cum Valentia: præfatam distinctionem rerum in indifferentes per se ad bonum, vel malum usum, & in per se determinatas ad malum usum, esse insubsistentem. Nam res, si secundùm se spectentur, ad malum usum non sunt determinatæ; sed solâ voluntate utentis determinantur ad malum. Nam Idola, vestes Sacerdotales, templa bono etiam usui possunt deservire: possunt enim servire memoriæ antiquitatis, alicui repræsentationi retinendæ, irrisioni &c. quòd autem potiùs ad pravum usum detorqueantur, ex mera hominum voluntate est; ergo omnes res indifferentes sunt. Sicque in omnibus æqualitèr poterit Fidelis cooperari Infideli; nisi aliunde hoc faciat ex prava intentione cooperandi eorum ritibus superstitiosis.

XXV. Cæterum ut appareat, in quanta æquivocatione præfatus auctor versetur, adverto: quòd res considerari possunt, & secundùm naturam physicam, quam habent à Deo; & sic certè nulla creatura mala est, sed omnis natura ad Deum reducitur. Et in hoc sensu errarunt Manichæi, contra dictum Apostoli 1. ad Timoth. 4. v. 4. *Omnis creatura Dei bona est*. Possunt insuper res considerari secundùm naturam quasi civilem, & politicam, quam habent ex hominum institutione, & beneplacito. Quia homines, nedum voces ad significandum hoc, vel illud; sed res ipsas ad determinatos usus communi vitæ secundùm leges, mores, ritus, ac cæremonias primitus deputarunt. Res ergo institutæ ad vivendum secundùm leges, ritus, & cæremonias bonas, dicuntur per se bonæ, utpote ad benè operandum institutæ. E contra res institutæ ad vivendum secundùm leges, ritus, cæremonias, & sectas falsas, & malas, dicuntur per se ex sua institutione malæ. Quæ verò ad actus de se indifferentes institutæ sunt, indifferentes dicuntur. Cùm ergo Idola, eorumque fana, mesquitæ, & modò synagogæ per se mala sint, utpote ad ritus superstitiosos inducta ex communi hominum usu (neque enim Idololatra utitur Idolo, aut ejus fanum ingreditur, nisi ad ipsum sacrilegè adorandum; nec Mahumetanus utitur mesquitâ, nec Judæus synagogâ, nisi ut ritus suos superstitiosos ibi peragant, & consequenter, ut ibi peccent) fit inde, ut non liceat Fideli vendere Idololatræ, aut ei fabricare Idolum, aut Mahumetanis, vel Judæis construere Mesquitas, aut synagogas: quia omnia hæc ex institutione sua ad falsos, pravosque cultus, & ritus sunt destinata. Quare Tertullianus lib. de Idololatria capite 4. *Idolum* (inquit) *tam fieri, quàm coli, Deus probibet. Quantò præcedit, ut fiat, quod coli possit, tantò prius est, ne fiat, quod coli non licet, propter hanc causam: ad eradicandam scilicet materiam idololatriæ lex divina proclamat:* Ne feceritis Idolum .... *Toto mundo ejusmodi artibus interdixit servis Dei*.

XXVI. Sentio quartò. Probabile esse, quòd licitum sit Christiano vendere Judæo, vel ali Infideli res, quarum secundùm se bonus est usus; etiamsi Fidelis vendens sciat, quòd Infidelis uteretur re illâ ad ritum suum superstitiosum: puta, Judæus agno ad Pascha ritu judaico celebrandum. Ita cum Cajetano hac *q.* 10. *ad a.* 4. sentit Banez hoc *a.* 10. cum aliis. Et ratio est. Quia sic vendens, nec directè, nec indirectè vult ritum Infidelis. Non directè: quia ritum Infidelis non intendit, sed præcisè vendere rem suam usu bonam, vel saltem indifferentem, ut ex ea lucrum accipiat, quod

quod est uti jure suo. Non indirectè: quia licèt sit conscius futuri mali usus penes emtorem, non tenetur tamen præcavere. hæc enim est natura voluntarii indirectè, quòd scilicet possit, & teneatur. Constat autem, quòd estò in casu venditor possit, non tamen tenetur: cùm non ad ipsum pertineat impedire usum ritus, quem audiet ab Ecclesia, vel Principe toleratum.

XXVII. Confirmatur. Venditio illa in casu non vitiatur ex objecto: quia res, quæ venditur, puta, agnus, ex se est indifferens ad bonum, vel malum usum. Non vitiatur ex intentione vendentis, quem supponimus, non vendere ex pravo fine emtoris. Non vitiatur ex circumstantia scientiæ futuri mali usus: quia talem malum usum præcavere, licèt possit, non tamen tenetur.

XXVIII. Sed in contrarium est. Nam hoc ipso, quòd venditor sciat, emtorem malè usurum re venditâ, & vendit, non potest non velle, saltem virtualiter, & indirectè, malum usum rei venditæ: ut patet exemplo supra allato de vendente gladium, aut venenum ei, quem scit, malè usurum ad occidendum hominem.

Et magis urgetur. Si enim quis sciens, emtores gladiorum &c. usuros illos in bello publicè, & notoriè injusto, venderet illis gladios, aliaque arma bellica: imò si ea venderet Infideli, quem sciret bellaturum contra Christianos, etsi non ob istos fines venderet, adhuc peccaret mortaliter, ut sentit Cajet. 2. 2. *q.* 169. *a.* 2. ergo pariter quando Christianus scit, Judæum malè usurum agno, peccabit mortaliter ei vendendo illum.

XXIX. Ad hæc, quæ probabilem reddunt etiam sententiam oppositam, stando in doctrina datâ respondeo, neg. ant. Ad rationem enim voluntarii indirecti, requiritur, ut possit impediri malum, & teneatur. Constat autem, quòd licèt venditor, in casu nostro, non vendendo agnum Judæo, possit impedire malum usum illius, quem prævidet; non tamen debet: quia non tenetur impedire Judæos à ritibus suis, quos Ecclesia tolerat, & tolerandos esse docet S. Thom. 2. 2. *q.* 10. *a.* 11. hac ratione: Quia *Humanum regimen derivatur à divino regimine, & ipsum debet imitari. Deus autem, quamvis sit omnipotens, & summè bonus, permittit tamen, aliqua mala fieri in Universo, quæ prohibere posset; ne, eis sublatis, majora bona tollerentur, vel etiam pejora mala sequerentur. Sic ergo & in regimine humano illi, qui præsunt, rectè aliqua mala tolerant, ne aliqua bona impediantur: vel etiam ne aliqua mala pejora incurrantur. Sicut August. dicit in lib. 2. de Ordine c.* 4. Aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus. *Sic ergo quamvis Infideles in suis ritibus peccent, tolerari possunt; vel propter aliquod bonum, quod ex eis provenit: vel propter aliquod malum, quod vitatur. Ex hoc autem, quod Judæi ritus suos observant, in quibus olim præsigurabatur veritas fidei, quam tenemus; hoc bonum provenit, quod testimonium fidei nostræ habemus ab hostibus, & quasi in figura repræsentant nobis, quod credimus. Et ideo in suis ritibus tolerantur.*

Aliorum verò Infidelium ritus, qui nihil veritatis, aut utilitatis afferunt, non sunt aliqualiter tolerandi, nisi fortè ad aliquod malum vitandum; scilicet ad vitandum scandalum, vel dissidium, quod ex hoc posset provenire: vel impedimentum salutis eorum, qui paulatim sic tolerati, convertuntur ad fidem. Propter hoc enim etiam hæreticorum, & Paganorum ritus aliquando Ecclesia toleravit, quando erat magna Infidelium multitudo. Hucusque S. Th. Si ergo Infidelium, maximè Hebræorum, ritus Ecclesia tolerat, nec impedire tenetur, multò minus particularis homo tenetur.

XXX. Neque idem est de vendente gladium furioso, vel venenum ei, quem scit, eo usurum ad occidendum homi-

hominem . Nam iste scit , quòd non vendendo gladium , aut venenum , impediet mala , quæ sequerentur : & ideo tenetur ex caritate illi gladium , aut venenum non vendere . Et hoc etiam pacto , si vendens agnum sciret , hac viâ Judæum cessaturum à suo ritu , teneretur ex caritate agnum illi non vendere ; sed quia scit , quòd etsi agnum illi non vendat , adhuc in suo ritu perseverabit : ideo non tenetur ex caritate illi agnum negare , ac se impedire ab actione , vel utilitate sibi licitâ — Addo , disparitatem esse . Quia quando peccatum est contra justitiam proximi , tenemur ex caritate , quantum possumus , defendere illum , ne patiatur injuriam : sed quando peccatum est solùm contra Deum , non tenetur Fidelis impedire, maximè quando à Republica non impeditur , sed permittitur .

XXXI. Ad id , quod urgetur , dico cum Cajetano citato : quòd bellum potest esse injustum ; & tamen injustitia illius non apparere , ut communiter credatur justum . Potest etiam verti in dubium , an justum , injustumve sit , nec dubium possit deponi . Et in utroque casu excusantur artifices vendentes arma , sicut & milites prælientes ; quia tenentur obedire . Nec eorum est discutere , an justitia servetur ; cùm hoc examen ad ipsos non spectet , sed ad Regem , ejusque Consiliarios : & oppositum facere, esset graviter offendere Principem , & velle plus sapere , quàm oportet . Si verò bellum sit notoriè injustum : ut si Princeps bellum gereret , ut deleret Clericos , vel Ecclesiam extingueret . In hoc casu conc. anteced. nego conf. Primò . Quia bellum injustum ab Ecclesia non toleratur : ritus autem Judaici ab Ecclesia tolerantur . Et propterea Fideles tenentur , quantum possunt , amovere media bellum notoriè injustum foventia : non autem tenentur amovere media ad tales ritus , maximè quando sunt indifferentia — Secundò . Arma sunt per se instituta ad activè offendendum : ideoque scienter præstans arma bello injusto , censetur indirectè velle , & influere in injustitiam ejus . At vendens agnum Judæo , quem scit eo malè usurum , non vendit aliquid per se influens activè in peccatum ; sed vendit materiam regulariter bono usui deservientem : unde ex sola emtoris malitiâ ad malum usum detorquetur .

An verò liceat in bello injusto vendere arma defensiva , ut galeas , thoraces &c. Existimo , licere . Quia, stando in terminis puræ defensionis , est res naturalis , & licita .

XXXII. Noto tamen : quòd si Fidelis vendens agnum Hebræo , quem sciret usurum ad suum ritum ; eum venderet in circumstantia , quâ Christianus pro eo æquale pretium offerret , in hoc casu illicitè ageret . Quia dum est alius , qui emat æquali pretio agnum , & ille vendit alteri , quem scit malè usurum ; jam non vendit illum titulo lucri , quod æqualiter ab altero reportaret , sed interpretativè censetur velle malum usum : si enim non vellet , venderet alteri , quem sciebat benè usurum , pro eodem pretio . Nec valet si dicas , eum Judæo vendere potiùs , quàm Christiano , exercendi causa propriam libertatem . Nam dum venditor nullum detrimentum patitur in bonis suis , tenetur , quantum potest,impedire offensam Dei .

XXXIII. Sed quid si Judæus daturus sit pro agno aliquid plus , quàm Christianus ? — Respondeo , quòd vel Christianus offert justum pretium pro agno , vel non . Si non : potest vendere Judæo . Quia dum detrimentum patitur in mercibus , eò quòd justo pretio non venduntur ; censetur velle huic potiùs dare , quàm alteri , ratione lucri , quod justè potest exigere . Si verò Christianus justum offerat pretium , tenebitur dare Christiano , & non Judæo . Quia licèt in hoc casu non censeatur velle abusum rei venditæ ; peccabit tamen contra caritatem , quâ , cæteris paribus, idest , dum detri-

detrimentum non patitur in mercibus, tenetur in proximo vitare offensam Dei.

DUBIUM III.

Quale Crimen, & quales Pœnas incurrant Fideles cum Infidelibus Communicantes.

§. I.

De Communicantibus cum non Baptizatis.

I. Dico primò. Communicare cum Judæo, sive Saraceno, aut alio non baptizato, quando abest periculum subversionis, non videtur peccatum mortale ex capite solius familiaritatis. Et ratio est. Quia jura, dum præfatam communicationem vetant ob nimiam familiaritatem, eam non accipiunt, quasi unicum motivum sit familiaritas; sed quia ex illa contingere potest, quòd Christianus subvertatur ab Infideli; ergo dum nullum est periculum talis subversionis, sic communicans non censetur graviter frangere dictas leges, adeoque peccare, saltem mortaliter. Ant. probatur primò. Quia hac solâ ratione periculi prohibetur Israelitis communicatio cum Infidelibus, Deuteron. 7. v. 2. *Non inibis cum eis fædus &c.* Ut exponit S. Thom. 2. 2. *q.* 10. *a.* 9. *ad* 4. dicens: *Quòd Dominus illud præcipit de illis gentibus, quarum terram ingressuri erant Judæi, qui erant proni ad idololatriam: & ideo timendum erat, ne per continuam conversationem cum eis alienarentur à fide. Et ideo ibidem (v. 4.) subditur: Quia seducet filium tuum, ne sequatur me.* Secundò. Temporibus Apostolorum Fideles familiariter conversabantur cum Paganis, imò aliqui erant de familia Imperatorum: unde Paulus Philipp. 4. v. 22. *Salutant* (inquit) *vos omnes sancti, maximè autem qui de Cæsaris domo sunt*, idest, Neronis. Imò se se familiariter cum omnibus miscendo fidei semina jaciebant. Ita se gessisse Paulum cum Judæis, & Gentilibus, ut eos Christo lucraretur, testatur 1. *Cor.* 9. *v.* 22. *&c.* dicens: *Omnibus omnia factus, ut omnes facerem salvos.* Et prudentes Missionarii eum imitari debent, ut sensim Infidelium voluntatem trahentes, faciliùs in obsequium fidei intellectum captivent. Quare optimè S. Thom. citatus in c. *Si enim* (inquit) *aliqui fuerint firmi in fide, ita quòd ex communione eorum cum Infidelibus conversio Infidelium magis sperari possit, quàm Fidelium à fide aversio; non sunt prohibendi Infidelibus communicare, qui fidem non susceperunt, scilicet, Paganis, vel Judæis, & maximè si necessitas urgeat.*

Tertiò. Ut diximus supra, licitum est Christianis habere servum Infidelem, etiam in eàdem domo habitantem. Medici Christiani nulla lege prohibentur à curatione Infidelium.

II. Dico secundò. Christiani communicantes cum Infidelibus, maximè Judæis, in famulatu, idest, eis voluntariè servientes, peccant mortaliter. Nam isti in re gravissima Canones violant. H[i] enim, ut vidimus, Dub. *præced.* §. 2. *n.* 4. *&c.* vetant Christianis famulari Judæis, ne filii liberæ, quales sunt Christiani, famulentur filiis ancillæ, quales sunt Judæi: & ne recognoscant, ut dominos, quos Christi mors fecit servos, & servi sint, quos Christus suâ morte fecit liberos. Hanc autem legem frangunt Christiani, qui voluntariè serviunt Judæis; ergo &c. Qualis autem sit servitus, quæ prohibetur, dictum est citato loco.

III. Dico tertiò. Communicantes cum Infidelibus, quando adest periculum subversionis, peccant mortaliter, nisi parvitas materiæ excuset. Prob. primò. Nam hi voluntariè se exponunt periculo proximo peccandi mortaliter, nempe, amittendi fidem. Secundò. Quia violant sacros Canones, & defraudant intentum eorum. Si verò communicatio esset unâ, vel alterâ

vice tantùm, sine frequentiâ, parvitate materiæ à peccato mortali excusarentur.

IV. Quæres: An communicantes, maximè cum Judæis, contra prælaudatos Canones, incurrant excommunicationis, & depositionis pœnam latam, an solùm ferendam?

Respondeo, prædictam pœnam esse solùm ferendam, suppositâ contumaciâ, non verò latam. Hoc expressè colligitur ex Cap. *Nullus*. Dicitur enim: *Si sit Clericus, deponatur, si sit laicus, excommunicetur*.

V. Hactenus de pœnis infligendis contra Fideles communicantes cum Judæis, contra præfatorum Canonum prohibitionem. At contra Judæos hujusmodi prohibitionibus contravenientes, nulla ab Ecclésia infligenda est pœna?

Dubitandi motivum offert S. Paulus 1. *Cor.* ubi postquam dixerat *v.* 11. quòd si is, qui frater nominatur, sit incestuosus, ut erat quidam Corinthius, de quo loquebatur, aut Idolis serviens, nec cibum cum illo sumere deberent; loquens deinde de Infidelibus v. 12. & 13. *Quid enim mihi de his, qui foris sunt, judicare? nonne de his, qui intus sunt, vos judicatis? Nam eos, qui foris sunt, Deus judicat*. Sed Judæi, & alii non baptizati foris sunt, quia numquam intrarunt in Ecclesiam per januam, quæ est Baptismus; ergo Ecclesia non habet potestatem de iis judicandi, & consequenter nec eos puniendi. Cui accedit S. Thomas hâc *q.* 10. *a.* 9. ubi ait, quòd de eis, nempe, Infidelibus, qui nullo modo fidem susceperunt: *Non habet Ecclesia judicare spirituali judicio*, directè quidem. Nam, ut ait in 1. Cor. 5. Lect. 5. *Indirectè Prælati Ecclesiarum habent potestatem super eos, qui foris sunt; inquantùm propter eorum culpam prohibent Fideles, ne illis communicent*.

VI. In hoc quæsito unum est certum: nempe, ut dicebamus, Ecclesiam non posse directè gladio, & pœnâ spirituali punire, ejiciendo extra Ecclesiam, seu excommunicando Infideles illos, qui nunquam Ecclesiam intrarunt, & nunquam fidem in Baptismate susceperunt; & ad hoc tendunt prælaudata verba Pauli. Et in hoc nulla lis est.

Certum est etiam, posse Ecclesiam pœnâ temporali eos mulctare, non propter infidelitatem, sed in casu, cum inter Christianos commorantes aliquam culpam committant, ut docet S. Thomas citato *a.* 9. Hac de causa C. *Sæpe* 28. q. 1. pœnam publicæ cædis, scilicet, verberationis comminatur Judæis, si cum recenter à Judaismo conversis conversati fuerint. Hac de causa lex *Judæis*, Cod. de *Judæis* jubet, eos cum omnibus comparticipibus igne puniri, si aliquem ex suis, volentem Christianum fieri, saxis, aut alio genere furoris aggrediantur. Insuper si mancipium Christianum Judæus circumcidat, aut cogat circumcidi, plectitur pœnâ capitis. Hac de causa si Judæi fidem, & Religionem Christianam oppugnent, si res, vel Imagines Sacras proterant pedibus, si in Christum maledicta proferant, in eos animadvertitur Lege *Hæc valitura* Cod. de Judæis. Et Cap. *Postulasti* de Judæis. Decernuntur pœnæ pecuniariæ, vel aliæ, quibus mulctari debet Judæus, si manus violentas injecerit in Clericum: & si haberi non possit, vel dominus neglexerit curare, ut satisfaciat læso; interdicuntur Christiani ab ejus commercio, donec satisfactionem exhibeat. Et ratio omnium est: Quia Judæi, qui in ditione Ecclesiæ, & Principum Christianorum sunt, eis in temporalibus sunt subjecti; sicque jus in eos habent, sicut in cæteros subditos. Certum etiam est, posse hæreticæ pravitatis Inquisitores in multis inquirere, cognoscere, & animadvertere in Judæos, in decem casibus expressis in Constit. Gregorii XIII. quæ incipit: *Antiqua Judæorum*.

VII. Superesset videre: an sint etiam pœnæ temporales contra Judæos nimiâ familiaritate communicantes cum Christianis; ita ut non solùm debeant

ant censuris puniri Christiani, verùm & ipsis Judæis communicantibus pœnæ sint infligendæ.

Respondeo, in duobus, ob familiaritatem, statui pœnas contra Judæos. Primò. Si communicent cum eo um Neophitis recenter ad fidem Catholicam conversis, ut vidimus in c. *Sæpe*, ubi pœna fustigationis publicæ indicitur. Secundò. In casu, quo retinerent apud se mulieres Christianas: de hoc enim statuit Bulla supra citata Gregorii XIII. Et c. *Etsi Judæos* de Judæis, privans eos commercio Christianorum in pœnam habendi nutrices, & famulos Christianos. In aliis casibus, estò nullas viderim pœnas determinatas à jure, dicit Sylvester, puniri liberè posse pœnis corporalibus arbitrariis ab Episcopis, Principibus, & Inquisitoribus. De quo Albitius *c.* 31. ferè toto.

§. II.

De Communicantibus cum Hæreticis, & Apostatis.

VIII. Circa Hæreticos dicit Divus Thomas, *a.* 9. citato, interdictam esse communionem cum ipsis in pœnam defectionis à fide, quam susceperant. Unde vitandos esse, tanquam excommunicatos excommunicatione majori, statuunt iura *Cap. Acbatius* 24. *q.* 1. *Cap. Cùm Christus*. *Cap. Sicut ait*. *Cap. Excommunicamus itaque*. *C. Excommunicamus, & anathematizamus, de Hæret. &c.* & §. 1. Bullæ Cœnæ. Quæ pœna contrahitur ipso Jure. An autem hæc excommunicatio contrahatur jure divino, vel tantùm humano, discordes sunt Doctores. Jure divino contrahi sentiunt aliqui: quia eam inflictam inveniunt ab Apostolo. Tum 1. *Cor.* 5. occasione Corinthii cujusdam incestuosi, de quo supra. Tum ad Titum, 3. v. 10. *Hæreticum hominem post unam, & secundam correptionem devita*. Alii tamen solo jure humano inductam esse, & quidem communiùs, censent: Paulum autem citatis locis non legem divinam promulgasse, sed Ecclesiasticam, & humanam constituisse.

IX. An verò statim ac hæretici sint vitandi, quamvis videretur conveniens; tum ob bonum Fidelium, ne conversando cum illis exponerent se periculo perversionis; tùm ob bonum ipsius hæretici, ut nempe, prohibitus conversari cum Fidelibus, se ipsum recognoscat, & faciliùs resipiscat. Nihilominus post Constitut. *Ad vitandam*, sive à Concilio Constantiensi, sive à Martino V. in eodem Concilio, Hæreticum quamvis publicum, & notorium non tenemur vitare: *Nisi sententia, vel censura hujusmodi fuerit in, vel contra Personam, Collegium, Universitatem, Ecclesiam, Communitatem, aut locum certum, vel certa à Judice publicata, vel denunciata specialiter, & expressè*. Imò, ut hæreticus sit denunciatus, & vitandus, satis non erit, ut in sententia declaretur, eum esse hæreticum; sed requiri videtur ulterius, ut in sententia exprimatur, illum esse hæreticum, & censuras incurrisse. Quia Constit. *Ad vitanda* vult, ut censura fuerit specialiter, & expressè publicata, & denuntiata. Hinc Catholici commorantes in regionibus, in quibus impunè grassatur hæresis, tutâ conscientiâ possunt cum hæreticis, nisi aliud obsit, puta, periculum subversionis, conversari, & illis communicare; non tamen in ritibus: hoc enim, ut vidimus, esset protestari eorum sectam, nec eorum funera comitari, ut declaravit S. Congregatio 30. Martii 1628.

X. In casu tamen extremæ necessitatis, puta, in articulo mortis, licitum est, ab hæretico non solùm recipere Baptismum, ut patet ex C. *Si quem fortè* 24. q. 1. quod sumium est ex August. *l.* 1. *de Bapt. contra Donat. c.* 2. si tamen legitimâ formâ, & materiâ eum conferat: sed etiam, si talis hæreticus sit Sacerdos, potest ei confiteri, & ab eo validè absolvi, ut

enim

enim docet Tridentinum, *Sess.* 14. *c.* 7. in articulo mortis *omnes Sacerdotes, quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis, & censuris absolvere possunt*. Dummodo tamen aliis Fidelibus non præbeatur scandalum, nec sit alius Sacerdos Catholicus, nec sit periculum, ut Fidelis ab hæretico pervertatur: & tandem probabiliter credatur, Sacerdotem hæreticum administraturum hoc Sacramentum secundùm ritum Ecclesiæ.

XI. Similiter ab hæretico, vel schismatico potest in articulo mortis constitutus Sacramentum Eucharistiæ recipere. Hoc enim Sacramentum est valde utile per modum Viatici ad salutem: &, ut probabile est, interdum potest conferre primam gratiam. Fieri enim potest, ut infirmus, qui solùm est attritus, vi Sacramenti fiat contritus; & sic recipiat gratiam, & salvetur: & eâdem ratione sumi potest ab hæretico, vel schismatico Sacramentum extremæ Unctionis. Neque objicias, S. Ermenegildum Regem maluisse mori, quàm Eucharistiam recipere ab Episcopo Ariano — Nam casus non est ad rem. Quia S. Ermenegildus non erat in articulo mortis, sed cogebatur Eucharistiam recipere in Paschate à ministro Ariano; ut esset signum, quòd ipse consentiret patri in hæresi Arianâ. Unde talis sumtio erat signum protestativum Arianæ sectæ, quod non licebat: & nos in tali circumstantia non licere dicimus.

XII. Ratio autem horum omnium est. Quia in Sacerdote, vel Episcopo hæretico verè manet potestas Ordinis, quâ Sacerdos hæreticus verè conficit Sacramentum: & Episcopus hæreticus, si quem ad Ordinem promovet servans debitam materiam, formam, & intentionem, ille validè ordinatus existit. Potestas enim Ordinis est à Deo, & habetur per consecrationem, imprimitque characterem; qui, ut pote indelebilis, facit, quòd etiam potestas Ordinis indelebilis sit.

XIII. Neque dicas, C. *Degradatio*, de pœnis in Sexto dicitur, quòd Episcopus degradans hæc verba proferat: *Auctoritate Dei Omnipotentis .... ac nostrâ tibi auferimus habitum Clericalem, & deponimus, degradamus, spoliamus, & exuimus te omni Ordine, beneficio, & privilegio Clericali*. Super quæ Glossa reprehendit opinionem dicentium, degradatum verè conficere posse Sacramentum Eucharistiæ.

XIV. Respondeo enim, verba illa solùm ostendere, degradatum spoliari, exui, & privari exercitio Ordinis, non potestate. Sic etiam C. *Arianos* 1. q. 1. C. *Convenientibus* 1. q. 7. c. *Si qui voluerint* ibidem. Et C. *Ordinationes* 9. q. 1. Ordinationes ab hæreticis factæ dicuntur non ratæ, irritæ, non receptæ apud Catholicos quantùm ad executionem Ordinum, non quantùm ad potestatem: nisi fortè, non servatâ formâ ad validitatem necessariâ, peractæ fuerint. Reprehendenda propterea est Glossa (ut in nota marginali reprehenditur) Asserere enim, degradatum Eucharistiam conficere non posse, est contra communem, veram, & Catholicam sententiam; quam, inter cæteros, docet S. Tho. 3. *p. q.* 82. *a.* 8. de quo suo loco.

XV. Quòd si loquamur de quadam extensione potestatis Ordinis ad Sacramentalia, ut ad consecrationes Ecclesiarum, altarium, vasorum sacrorum, benedictiones vestimentorum; non diffitebor, hanc ab hæretico Episcopo auferri posse: hæc enim conveniunt Episcopo jure humano, nec Christus quidquam horum immediatè instituit, sed successu temporis fuerunt ab Ecclesia instituta. Unde à Pontifice, vel Ecclesia auferri possunt in pœnam.

XVI. Quoad conjugia verò Catholicorum cum hæreticis, ea valida esse, illicita tamen, conveniunt omnes: Ad valorem enim Sacramenti requiritur solùm paritas Baptismi in contrahentibus, quamvis in fidei professione disparitas sit. Et proinde in Cap. *Decrevit*, de hæreticis in Sexto, mulier scienter nubens hæretico, punitur qui-

quidem privatione dotis, sed separari non jubetur. Illicitè autem contrahi matrimonium inter hæreticum, & Catholicam, vel è contra, constat: quia prohibetur ab Ecclesia in Concilio Laodiceno sub Silvestro I. *Can.* 10. & 31. Carthagin. III. *Can.* 12. Milevitano *Can.* 16. & Chalcedonensi *Can.* 14. Ideoque Doctores omnes conveniunt, sic contrahentes peccare mortaliter: tùm ob Ecclesiæ prohibitionem: tùm ob periculum subversionis imminens conjugi Catholico. In regionibus tamen, in quibus Catholici vivunt permixti cum hæreticis non denuntiatis expressè, ex quadam tolerata consuetudine videntur permissa conjugia catholicæ personæ cum hæretica: dummodo Catholico liberè, & absque periculo subversionis, manere in Catholica Religione permittatur. Hæc tamen consuetudo, præcisâ dispensatione, suspecta meritò reputatur. Sed hæc ad Tractatum de Matrimonio pertinent.

QUÆSTIO IV.

De Compulsione Infidelium ad Fidem.

QUærit S. Tho hâc 2. 2. *q.* 10. *a.* 8. Utrum Infideles compellendi sint ad fidem. Quare pro explicatione ejus doctrinę præsentem quæstionem instituimus: in qua etiam cum eodem S. Doct. *art.* 10. aliqua dicemus de dominio Infidelium supra Fideles.

DUBIUM I.

An Infideles, qui Fidem Christianam nunquam susceperunt, Subditi tamen sunt Principibus Christianis, possint Compelli ad Fidem?

§. I.

Resolutio Dubii.

I. INfideles, ut docet S. Tho. *art.* 8. citato, aliqui sunt, qui nunquam susceperunt fidem, sicut Gentiles, & Judæi: alii verò sunt, qui quandoque fidem susceperunt, sicut hæretici, & apostatæ.

Ex iis autem, qui nunquam fidem susceperunt, alii non sunt subjecti Principibus Christianis, nec de facto, nec de jure: quia scilicet, nec incolunt terras regionis Principibus Christianis unquam subjectæ. Alii sunt, qui licèt de facto Principibus Christianis subjecti non sint, jure tamen subjecti sunt; vel quia rebellarunt à dominio, quod habebant Christiani Principes in illos; vel etiam, quia incolunt terras regionis, cujus possessio pertinet ad Christianos: ut Saraceni, & Turcæ, qui occupant aliquas regiones ereptas à Principibus Christianis, & Ecclesiæ. Alii denique sunt, qui de jure, & de facto subditi sunt regimini Principum Christianorum, ut Judæi, & Saraceni incolentes regiones Christianorum, vel capti bello justo. De his postremis

II. Dico. Infideles, qui nunquam fidem susceperunt, licèt subditi sint Christianis Principibus, non possunt compelli ad fidem suscipiendam. Contrarium sentit Scotus in 4. *dist.* 4. *q.* *ultima* dicens, se credere, religiosè, & utiliter facere Principes Christianos compellentes subditos Infideles, ut fidem, & religionem Christianam suscipiant. Scotum sequitur Gabriel, Sepulveda Chronista Caroli V. aliique pauci

pauci. Nobiscum sentiunt cum S. Thoma hoc *a.* 8. communiter omnes Theologi, & Canonistæ.

III. Probo primò ex illo *Matth.* 10. & *Luca* 10. ubi Dominus mittens discipulos ad prædicandam fidem iis etiam, qui ex lege datâ tenebantur recipere Messiam, armavit illos, non vi coactivâ, & terrificâ delendi Idololatras, quali munivit Israelitas, Deuteron. 7. v. 5. *Hæc facietis eis: Aras eorum subvertite, & confringite statuas, lucosque succidite, & sculptilia comburite:* sed illos munivit potestate faciendi miracula, ut per hæc humanum intellectum docerent, credibilem, & à Deo esse fidem, quam annuntiabant. Munivit illos mansuetudine, & tanquam agnos misit in medio luporum; ut Gentium feritatem emollirent, eorumque voluntates flecterent. Voluit, ut intrantes domum pacem primò offerrent, dicentes: *Pax huic domui*. Quòd si pacem noluerit, non dixit, ut ei bellum, & vim intimarent, sed: *Pax vestra revertetur ad vos*. Si Civitas, vel domus eos recipere, aut audire noluerit, dixit: *Exeuntes foras de domo, vel Civitate, excutite pulverem de pedibus vestris;* & solùm voluit, ut eos monerent, tolerabiliùs in die Judicii agendum fore, quàm cum illa Civitate, vel domo. Non dixit, quod Israelitis, *Deuteronom.* 20. ut Civitatem illam oppugnarent, & percuterent in ore gladii omnem animam, quam in ea invenirent. Imò cum, *Luca cap.* 9. Samaritani eum noluissent recipere, dicentibus Jacobo, & Joanne v. 54. *Domine, vis dicimus, ut ignis descendat de Cœlo, & consumat illos;* increpans eos, eis respondit Christus: *Nescitis, cujus spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.*

IV. Quòd si quis dicat, hoc esse intelligendum de Infidelibus non subditis, & pro eo tempore, quo Ecclesia non habebat tantam potestatem temporalem, ut rebelles comprimeret.

Contra est. Quia tunc Apostoli mittebantur ad oves, quæ perierant, domus Israel; quæ lege tenebantur recipere Christum, ut Messiam, eique subjici, quarum etiam Christus erat Rex: & tamen regiâ potestate in illas uti noluit. Unde, *Joann.* 18. *v.* 37 Pilato ipsum interroganti: *Ergo Rex es tu?* Respondet: *Tu dicis, quia Rex sum ego.* Sed addidit: *Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in Mundum, ut testimonium perhibeam veritati.* Quasi diceret: non veni, ut homines regiâ auctoritate compellerem, sed ut testimonium veritatis eos lucrarer. Et propterea, *Marci* 16. *v.* 15. ait Apostolis: *Euntes in Mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Omnem ergo creaturam eodem modo trahi voluit ad fidem prædicatione, liberum cuique relinquens, eam suscipere; comminatus solùm damnationem ei, qui eam recusaverit: *Qui verò non crediderit, condemnabitur.*

V. Hanc Christi regulam secuta semper fuit Ecclesia, etiam postquam temporali Principum potestate munita fuit; Infideles, etiam subditos, monendo quidem, sed, si fidem nolint suscipere, patienter tolerando: quo facto etiam Romæ Judæos secundùm ritus suos vivere permittit.

Quapropter cum Rex Hispaniarum Sisebutus Judæos ad fidem Christi suscipiendam compellere cæpisset: in Concilio Toletano IV. c. 57. anno 633. (& refertur dist. 45. de Judæis) sancitum fuit: *De Judæis autem hoc præcipit S. Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre..... Non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma justitiæ. Sicut enim homo propriâ arbitrii voluntate serpenti obediens periit: sic vocante gratiâ Dei, propria mentis conversione homo quisque credendo salvatur. Ergo non vi, sed liberâ arbitrii voluntate, ut convertantur, suadendi sunt, non potiùs impellendi.*

Neque obstat, quòd in subsequentibus verbis Synodus illa vocet Sisebutum religiosissimum Principem.

Nam

Nam Sisebutus fuit certè religiosissimus, & ex Religionis zelo motus judicavit, Judæos compellendos ad fidem; & Synodus meritò laudat zelum ejus pro fide, sed non laudat medium compulsionis quo usus est: alioquin Synodus non prohiberet, quod laude dignum judicaret. Eo modo igitur laudat Sisebutum, quo in Scripturis laudatur Jehu pro zelo, quo destruxit Aram Baal; non pro simulatione, quâ finxit, se Idola colere velle, ut Sacerdotes Baal interficeret, ejusque Aram everteret.

VI. Hoc idem asseritur, dist. 45. c. *Qui sincera*. Ubi S. Gregorius dicit, quòd *Qui extraneos à Christiana Religione ad fidem rectam cupiunt perduci, blandimentis, non asperitatibus debent studere*. Et idem S. Greg. l. 2. Epist. 52. modò l. 3. Ep. 53. *Nova* (inquit) *& inaudita est ista prædicatio, quæ verberibus exigit fidem*. Clemens III. c. *Sicut Judæi*, tit. de Judæis: *Statuimus, ut nullus invitos, vel nolentes Judæos ad Baptismum venire compellat*. Et Innoc. III. c. *Majores*, tit. de Baptismo: *Id est* (inquit) *Religioni Christianæ contrarium, ut semper invitus, & penitus contradicens, ad recipiendam, & servandam Christianitatem aliquis compellatur*. Id ipsum docent Chrysostomus, *Hom.* 34. *in Matth.* & Ambrosius in c. 10. Lucæ ait: *Eos* (Apostolos) *enim misit ad seminandam fidem, qui non cogerent, sed docerent*. Et S. Augustinus, *Serm. 6. de Verb. Domini* modò *Serm. 62. c. 11.* ubi docet, debere nos Idola priùs in eorum cordibus frangere, quàm in templis.

VII. Et ratio est primò. Quia, ut docet S. Thom. hoc a. 8. *Credere voluntatis est*. Ut enim ait Paulus, Rom. 10. v. 10. *Corde creditur ad justitiam*. Et supra ostendimus, piâ affectione moveri homines ad fidem: soli enim Dæmones inviti, & coacti credunt. Secundò. Quia, ut coactio legitima sit, compellens debet habere jurisdictionem in eos, qui coguntur; alioquin erit potestatis usurpatio: sed Ecclesia non habet jurisdictionem in eos, qui fidem nunquam susceperunt, juxta illud, 1. Cor. 5 *Quid mihi de iis, qui foris sunt judicare?* Et (juxta Tridentinum, Sess. 14. c. 2.) *Ecclesia in neminem judicium exercerat, qui non priùs in ipsam, per Baptismi januam, fuerit ingressus*; ergo &c. Principes autem seculares etiamsi habeant potestatem politicam in sibi subditos; non habent tamen potestatem compellendi eos ad fidem. Neque enim potestatem hanc acceperunt jure naturæ; cùm fidei præceptum sit supernaturale. Neque ex lege aliquâ divinâ positivâ statutâ à Christo; cùm potiùs, ut jam ostendimus, ipse statuerit oppositum; ergo &c. Tertiò. Quia si hæc potestas esset, Ecclesia, & Christiani Principes tenerentur ad fidem Infideles compellere; quia præceptum caritatis obligat, cum licitè possumus, proximum liberare ab imminenti ruinâ tàm corporis, quàm animæ, etiam nolentem: & multò magis Ecclesia, & Principes, qui legum humanarum, & divinarum sunt custodes: quâ ratione, ut dicemus, tenentur Infideles subditos compellere ad observantiam legis naturæ: sed hoc est falsum; ergo &c.

§. II.

Rationes Contrariæ.

VIII. Primò objiciunt. *Lucæ* 14. *v.* 23. legitur, hominem qui fecit cœnam magnam, cum deessent convivæ, qui mensam replerent, præcepisse servo: *Exi in vias, & sepes, & compelle intrare*: atqui hi, qui sunt in viis, & sepibus sunt populus Gentilis, sicut priùs, in iis, qui sunt in plateis, & vicis civitatis intellexerat populum Judaicum; ergo Gentiles compelli possunt ad Ecclesiam, & fidem nomine cœnæ indicatam.

Confirmatur. Nam Deus sæpè minis, & terroribus aliquos induxit ad fidem, ut Saulum *Act.* 9. Quo exemplo

plo S. Augustinus, *Ep.* 50. modò 185. *c.* 6. docet, Infideles priùs lenitate traxisse, nimirum, prædicatione, & miraculis; postea tamen cum ista non prodesset, terroribus compellendos.

IX. Respondeo primò, quòd si per eos, qui sunt in viis, & sepibus, intelligere velis Gentiles, distinguendum est conf. Compelli ad fidem compulsione, quæ fit efficacia persuasionis, co. conf. Quæ fit vis coactionis, nego conf. *Compulsio illa, de qua ibi fit mentio, non est coactionis, sed efficacia persuasionis, vel per aspera, vel per lenia &c.* Ita S. Thom. Q. 22. *de Verit. a.* 9. *ad* 7.

Respondeo secundò, neg. min. Ut enim observat S. Augustinus, *Ep.* citatâ (quod etiam S. Thom. in Catena aureâ ponit) per eos, qui primò invitati cœperunt omnes se excusare, intelliguntur Judæi: per pauperes verò, debiles, & claudos, Gentiles intelliguntur, ob variam idololatriæ superstitionem: per eos tandem, qui in viis, & sepibus sunt, intelligendi sunt hæretici, & schismatici. Contra hos autem Ecclesia potestatem habet eos cogendi, ut tanquam filii desertores, ad eam revertantur. Ita Aug. loquens de Donatistis: *Hi, qui inveniuntur in viis & sepibus, idest, in hæresibus, & schismatibus, coguntur intrare; non quia coguntur, reprehendant, sed quò cogantur, attendant.*

X. Ad Confirm. dico primò, exemplum Christi, de Cœlo terroribus compellentis Saulum ad fidem, cùm sit rarum, & mirabile, non arguere, ipsum contulisse Ecclesiæ ordinariam facultatem, ita agendi erga quoscumque infideles; cùm, ut supra vidimus, hunc modum Apostolis non præscripserit: eò vel maximè, quòd Christus non solùm exteriùs compellere, sed & interiùs convertere, ac volentes ex nolentibus facere potest, quod Ecclesia non potest.

Dico secundò, quòd exemplum Sauli affertur ab Augustino contra hæreticos Donatistas; qui cùm edictis Imperatorum compellerentur redire ad fidem, & unitatem, conquerebantur dicentes: *Liberum est credere, vel non credere: cui vim Christus intulit? Quem coegit?* Unde solùm evincit, hæreticos, & schismaticos, qui filii perditi, & desertores sunt, Ecclesiam posse compellere; non verò eos, qui Ecclesiæ filii nunquam facti sunt: hos enim blandè expectat, & invitat: *Imitatur itaque Ecclesia in istis cogendis Dominum suum, qua priùs, ut neminem cogeret expectavit, ut de fide Regum, atque Gentium prædicatio prophetica compleretur.* Ita S. Augustinus.

XI. Objiciunt secundò. Omnes tenentur legem Evangelicam suscipere; ergo omnes possunt ad eam suscipiendam compelli: sicut qui eam semel susceperunt, compelli possunt ad eam servandam.

Confirmatur. Nam Principes possunt in suo Regno condere leges circa cultum Dei, quæ non sint legi naturæ contrariæ: possunt etiam condere leges humanas, & ad istas servandas omnes sibi subditos compellese; ergo & possunt præcipere omnibus sibi subditis, eosque obligare, ut servent legem divinam, & legem Evangelii.

XII. Respondeo, dist. conf. Compellitur à quolibet, nego conf. Ab habente jurisdictionem, con. conf. Qui autem nunquam fidem susceperunt, quantùm ad eam suscipiendam nullius hominis jurisdictioni subsunt; sed solum Deum in hac causâ habent Superiorem, & Judicem. Qui verò eam, jam susceptam in Baptismo, reliquerunt; utpote jam facti Ecclesiæ subditi, ab ea, tanquam Religionis Christianæ custodi, compelli, & puniri possunt.

XIII. Sed dices. Esto habere fidem non sit in natura hominis, in natura tamen hominis est, ut non repugnet fidei; & secundùm hoc infidelitas est contra naturam, ut docet D. Tho. hàc *quæstione* 10. *artic.* 1. *ad* 1. ergo Evangelio proposito, tenetur homo ex natura suâ non repugnare; ergo si repu-

repugnet, poterit ab Ecclesia, vel à Principe compelli.

XIV. Respondeo tamen, quòd in natura hominis est, ut non repugnet fidei: in natura, inquam, ut mobili ab agente superiori, qui eam constituit in ordine gratiæ, & supernaturali. Unde quantùm ad hoc illi soli tenetur obedire: & si repugnet, ab eo solo compelli potest vel puniri. Non verò ut mobili ab agente, qui eam in ordine naturali fecit; sicque in susceptione fidei Principi naturali, & terreno obedire non tenetur, nisi priùs eam susceperit, & ad eam se obligaverit: hoc autem supposito, cùm factus voluntariè sit subditus Ecclesiæ, ab ea compelli potest, ut servet fidem, quam vovit: estò enim fidem suscipere sit voluntatis, susceptam tamen servare est necessitatis. Nam *Sicut* (inquit S. Tho. hoc a. 8. ad 3.) *vovere est voluntatis, reddere autem necessitatis: ita accipere fidem est voluntatis, sed tenere eam acceptam est necessitatis. Et ideo hæretici sunt compellendi, ut fidem teneant.*

XV. Ad Confirm. dico, circa cultum Dei, ut præcipitur lege naturæ, posse Principem legem ferre, & ad eam servandam subditos omnes compellere. Unde quia cultus idololatricus est contra cultum lege naturæ Deo debitum, potest lege latâ omnes sibi subditos ad eam deferendam obligare, & compellere: eos tamen lege obligare, & compellere nequit ad fidem Christi suscipiendam, nisi velint. Neque per hoc tales subditi manerent exleges, sive athei: quia semper compellerentur legem naturæ servare, quæ dictat, non plures Deos esse colendos, sed unum solum.

Potest etiam Princeps leges politicas, & humanas ferre, ad easque observandas omnes sibi subditos, etiam Paganos, ac Judæos obligare; quia in his homo subjicitur homini. At in cultu Dei secundùm legem Evangelicam suscipiendo, soli Deo homo subjicitur: unde peccatum infidelitatis per non susceptionem fidei à solo Deo punitur.

XVI. Objiciunt tertiò. Constantinus Magnus laudatur, quòd Idolorum templa deleverit. Carolus item Magnus, quòd Saxones, & Saracenos ad fidem compulerit. Et Ferdinandus, ac Elisabetha Hispaniæ Reges, quòd Mauros, ac Judæos è suis Regnis expullerint, nisi converterentur ad fidem: imò Mauris major vis fuit illata. Nam præceptum est illis, ut si per mare abire vellent, non aliâ viâ abirent, nisi per mare Cantabriæ: si autem per terram, compulsi sunt abire per montes pirenæos.

XVII. Respondeo ad singula. Constantinus diruendo Idolorum templa, hoc facto non compulit Paganos ad suscipiendam Christianam fidem; sed ad deferendum cultum idololatricum, & ad observandam legem naturæ: quod quidem poterat erga suos subditos, ut nuper dictum est.

Carolus Magnus Saxones, & Saracenos pœnâ mortis mulctavit, non quia repugnarent fidem Christianam suscipere: sed quia Christianæ Religioni injuriosi erant, sibique rebelles. Nam & Ecclesias diruebant, & Monachos, aliosque Christianos persequebantur, & occidebant. De quo Baronius ad ann. Christi 586. & ann. 715. 772. 774. 778. Multis etiam vicibus Carolo rebellaverant: unde ex isto etiam capite, tanquam fœdifragi, & læsæ majestatis rei mortem commeruerant; cujus tamen pœnæ remissionem indulsit Carolus iis, qui Baptismum suscipere, & fidem Christianam profiteri vellent: & hac viâ, post varia bella, eos ad veram Religionem perduxit.

Ferdinandus verò, & Elisabetha Reges Castellæ (missis variis responsionibus) non coegerunt Judæos, aut Mauros fidem suscipere; sed eos, qui in sua infidelitate vellent permanere, è Regno expulerunt. Quod eis omnino licebat, propter contumelias, & perturbationes fidei, ac Fidelium per-

versionem, quæ ex hujusmodi convictu eveniebant. Quamvis enim non liceat Infideles compellere ad fidem; licet tamen eos ejicere ab illis locis, ubi periculum est, ne Fideles pervertant, turbasve excitent. Hanc autem præfatis Regibus fuisse causam, constat ex Pragmatica expulsionis Judæorum, anno 1492. 31. Martii promulgatâ; & Saracenorum anno 1502. mense Februarii. Quâ ratione in concilio Toletano VI. tempore Honorii I. & Svintillæ, seu Chintillani Regis, anno 638. celebrato, *Can.* 3. statutum fuit: nullum conscendere Regium solium, nisi promittat, nullum non Catholicum in Regno suo degere permissurum. Quòd autem Mauri tali, vel tali viâ abire compulsi sint, justa causa fuit; ne scilicet expulsi, per mare Mediterraneum transeuntes, jungerentur Mauris Africanis, contra quos fervens bellum tunc erat: & sic multiplicarentur hostes contra Hispaniam.

XVIII. Objiciunt quartò. Compulsio Infidelium ad fidem non est per se, & ab intrinseco mala: ex ea autem sequuntur multa bona. Nam quidam verè suscipiunt fidem, qui fidem non suscepissent. Alii estò fictè suscipiant, cessant tamen exteriùs blasphemare nomen Christi. Et tandem eorum filii, & nepotes Christiani sunt, & salvi fiunt.

XIX. Respondeo ad primam partem, compulsionem Infidelium ad fidem, si fiat à non habente jurisdictionem, esse per se malam: sicut occisio malefactoris, quando fit à non habente publicam, aut legitimam auctoritatem, per se mala est. Cùm autem Ecclesia non acceperit à Deo potestatem eos Infideles, qui nunquam fidem susceperunt, compellendi, ut eam suscipiant; ideo talis compulsio per se mala est.

Quòd si ex hac compulsione aliqua bona sequuntur, multò pejora sunt mala, quæ inde eveniunt. Fictè enim plerique accipiunt Baptismum, cætera Sacramenta mille sacrilegiis contaminant: imò filios suos, saltem occultè, in infidelitate instruunt, & plerumque contingit, ut per multas generationes blasphemetur Deus. Quòd si ex iis, qui sic convertuntur, verè convertantur, sive ex coactis, sive ex posteris; hi sunt valde pauci, & admodum incertum est. Non sunt autem facienda mala, ut eveniant bona, præsertim quando incertum est, an illa bona sint eventura.

XX. Sed dices. Hæc mala etiam sequi possunt, si Principes Christiani gravioribus tributis onerent Infideles sibi subditos, quàm Fideles. Fieri enim potest, quòd Infideles, ut ejusmodi gravaminibus se exonerent, nolentes, & fictè suscipiant exteriùs Baptismum; & retentâ infidelitate in corde, ipsi, eorumque filii innumera sacrilegia committant: & tamen hoc licitum est. Et S. Gregorius *l.* 3. *Epist.* 26. modò *lib.* 4. *Epist.* 26. *ad Episc. Calaritanum* (& refertur 23. qu. 6. c. *Jam verò*) ait: *Si rusticus tantæ perfidiæ, & obstinationis fuerit inventus, ut ad Deum minimè venire consentiat; tanto pensionis onere gravandus est, ut ipsâ exactionis suæ pœnâ compellatur ad rectitudinem festinare.* Rusticus autem ille paganus erat, ut constat ex eadem Epistolâ.

XXI. Respondeo, dist. maj. Sequi possunt per se, & ex vi impositionis tributorum, nego maj. Per accidens, & ex malitia eorum, qui fictè convertuntur, conc. maj. Cùm enim ad exigenda tributa ab Infidelibus subditis Principes Christiani habeant legitimum jus; quia cùm sint tanquam mancipia, Principes Christiani sunt bonorum temporalium eorum Domini: idcirco jus habent eos magis gravandi oneribus, quàm Fideles, etiam subditos, qui sunt liberi. Ex quo fit, quòd si qui ad evitandum tributorum rigorem ad fidem inviti, & involuntarii venirent, irrationabiliter essent involuntarii: & si fictè Baptismum susciperent, ex eorum malitia esset, eisque esset imputanda fictio, non Principi. Sicut quia Ecclesia jus habet ad

revo-

revocandos hæreticos ad fidem, hæreticus renuens esset irrationabiliter invitus: & si fictè reverteretur, ex ejus malitia procederet, eique in culpam vertendum esset. At ad compellendum Infideles minis, & terroribus, ut suscipiant fidem, Christiani Principes nullum jus habent, ut probatum est. Quare si Infideles inviti, & involuntarii venirent ad fidem, essent rationabiliter inviti; & si fictè Baptismum susciperent, fictio, & omnia mala, & sacrilegia inde sequentia, ex injusta illâ compulsione procederent: justè enim Infidelis tueri potest suam libertatem, quâ ad suscipiendam fidem à nemine cogi potest, nisi à Deo.

§. III.

An Infideles Subditi Christianis compelli possint ad observandam Legem Naturæ?

Sensus quæsiti est: An Principes Christiani possint obligare Infideles sibi subditos, ut observent legem naturæ: ut unum Deum colant, ne blasphement, ne furentur, ne periurent, ne fornicentur &c.

XXII. Dico. Posse Principes Christianos compellere Infideles non baptizatos, sibi subditos, ad observandam legem naturæ. Ita communiter Doctores. Et prob. primò, exemplo Imperatorum pietate insignium, & Religione, qui usi sunt hac potestate: ut Constantinus Cæsar, qui tulit legem, quæ habetur l. 1. Cod. *de Paganis, & Templis eorum*, quâ præcipit, ut claudantur templa illorum, ne Idolis sacrificent &c. Quam legem, ut in eodem Cod. patet, Valentinianus, aliique Cæsares confirmavere: & valde laudant Ambrosius, *Epist.* 30. *ad Valentinianum*. Augustinus *Epist.* 48. modo 93. *ad Vincentium*, *cap.* 3. dicens: *Quis enim nostrum, quis vestrum, non laudat leges ab Imperatoribus datas adversùs Sacrificia Paganorum?* Quod pluribus repetit, *Epist.* 50. modò 185. *ad Bonifacium Comitem*. Justinianus quoque similes leges condidit. Imperatoribus sese junxerunt Concilia, quæ toto conatu idololatriæ reliquias extinguere studuerunt; ut Cartaginense V. *cap.* 15. & alia plura.

XXIII. Ratio autem est. Quia omnes nationes Gentium legem aliquam ediderunt contra vitia perturbantia pacem Reipublicæ, maximè contra blasphemos Deorum suorum; ut ex Cicerone de legibus. Et Plato *lib.* 10. de legibus statuit, quòd qui blasphemum audiret, defenderet Deum, & nuntiaret Magistratui. Indi quoque Occidentales, qui modò Regibus Hispanis obediunt, quibusdam legibus olim puniebant adulteros, sacrilegos, & blasphemos. Erit ergo à fortiori in Christiano Principe potestas vindicandi blasphemiam contra verum Deum, & vitia contra naturæ legem. Conf. prob. Quia finis potestatis gubernativæ est Rempublicam in pace, & justitiâ continere, eam inducendo, ut vivat secundùm rationem, & virtutem; quod sinè cultu veri Dei, ac legis naturalis observantiâ haberi nequit: dicente S. Thoma, *lib.* 2. *de Regimine Principum*, *cap.* 16. & fusè probante, fundamentum omnis recti regiminis esse cultum veri Dei; ergo in Principe erga omnes sibi subditos debet esse potestas coactiva eos reducendi ad ejusmodi observantiam. Lex enim naturæ omnibus intimatur, & omnes obligat, & Princeps est custos legum.

XXIV. Confirmatur. Si Christianus Princeps non posset compellere suos subditos, etiam Infideles, ad observantiam legis naturæ; nec posset eos compellere ad observantiam legum humanarum, quæ justæ sunt, & consequenter Infideles in nullo ei esse subditos: sed hoc est falsum; ergo &c. Maj. prob. Omnes leges humanæ eatenus obligant, quatenus à lege naturæ derivantur, & ad illam meliùs servandam ordinantur.

XXV. Hinc igitur sanctè Grego-

rius

rius XIII. in sua Constit. editâ anno 1581. quæ incipit: ***Antiqua Judæorum improbitas***, potestatem dedit hæreticæ pravitatis Inquisitoribus liberè procedendi contra Judæos, aut alios Infideles non baptizatos, in multis casibus ibi relatis, videlicet: ***Si quis Judæus, aut Infidelis, in his, quæ circa fidem cum illis nobis sunt communia, veluti, Deum unum, & æternum, omnipotentem, creatorem omnium visibilium, & invisibilium, & similia non esse asseruerit, prædicaverit, vel privatim alicui insinuaverit. Si Dæmones invocaverit, consulueritve, aut eorum responsa acceperit, ad illosve Sacrificia, aut preces ob divinationem, aliamve causam, direxerit, aut quid eis immolaverit, vel thuris, alteriusve rei fumigationem obtulerit &c.*** Quibus patet in Ecclesia esse potestatem adigendi Infideles non baptizatos ad observantiam eorum, quæ nobis, & illis sunt communia, & consequenter naturæ lege præscripta.

XXVI. Sed dices. Lex naturalis non comparatur ad hominem, ut homo subditur homini, sed solùm ut subditur Deo, qui solus condidit, & solùm condere potest talem legem; ergo Paganus non subditur homini in observantia legis naturæ, sed Deo soli; ergo non potest ab homine ad ejus observantiam compelli: sicut hac ratione diximus, non posse compelli ad observantiam Evangelicæ.

XXVII. Respondetur, dist. antec. Non subditur homini, ut auctori legis naturæ, conc. antec. Ut custodi à Deo constituto pro ejus observantia, nego ant. Homo enim habens principatum in subditos, non est quidem auctor legis naturæ, sed solus Deus: est tamen à Deo constitutus, ut ejus observantiam in sibi subditos promoveat.

In quo apparet discrimen inter legem naturæ, & Evangelicam: cur Princeps sit à Deo constitutus custos generaliter pro observantia legis naturalis, apud quoscumque sibi subditos; non verò pro observantia legis Evangelicæ apud non baptizatos. Nam ab Infidelibus non baptizatis lex Evangelica non est acceptata: ideoque Ecclesia, vel Christianus Princeps eos obligare non potest tanquam custos. At Infideles etiam non baptizati legem naturalem unà cum usu rationis acceptaverunt, & professi sunt: quis enim homo, si rationis compos est, non assentiat his principiis: ***Vivendum esse secundùm rationem: & quod tibi non vis, alteri ne feceris?*** Cùm ergo ex his principiis deducantur per legitimam, & claram consequentiam, præcepta Decalogi: fit, ut acceptans talia principia, acceptet quoque præcepta Decalogi, eisque se subdat; & à Principe tanquam custodi observantiæ eorumdem, possit compelli.

XXVIII. Monent tamen Bannez, & Sylvius, non semper expedire, ut Princeps Christianus utatur hac potestate compellendi Infideles non baptizatos ad servandam omnem legem naturæ in omni eventu, etiamsi subditi sint: ne scilicet Infideles nimiâ severitate à recipiendo Evangelio magis avertantur, neve alia graviora crimina, & mala sequantur. Memores ergo esse debent sententiæ Apostolicæ, 1. Cor. 6. v. 12. ***Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.*** Et quod aliquando aliqua mala permittere, ne graviora eveniant, prudentis Gubernatoris, ac pii, est: plerumque enim homines pietate magis, quàm acerbitate trahuntur, & maximè ad fidem. Sic Josaphat, & Ezechias non punierunt idololatriam populi sui, meliorem fortè oportunitatem expectantes.

Quòd si Princeps Christianus in Idololatras ob idololatriam velit animadvertere; non eos propter hanc puniat, nisi priùs eam suis legibus prohibuerit: non enim licet peccata committi, & tolerari solita punire ante comminationem pœnæ. Nam estò respectu pœnæ æternæ, quæ per se respondet peccato mortali, non excusentur

tur homines, per ignorantiam pœnæ; Princeps tamen temporalis comminari priùs debet pœnam; eo quòd multi abstinerent à peccato, propter metum pœnæ temporalis: quia quousque non prohibet, tolerare videtur. Sicut custos vineæ, qui videt, & tacet dum alii furantur uvas, non potest uti jure suo, accipiendo pignus, quamvis fures teneantur restituere Domino vineæ: ita humanus Princeps legis naturæ custos, quousque ejus transgressionem videt, & tacet, non potest transgressores mulctare; quamvis à Deo mulctandi sint, ejusque justitiæ satisfacere teneantur.

DUBIUM II.

De Infidelibus non Subditis.

§. I.

An Ecclesia Potestatem habeat eos compellendi ad Fidem &c.

I. Dico primò. De facto Christiani Principes non habent jus Infideles non subditos compellendi ad fidem, nec puniendi peccata eorum contra legem naturæ commissa. Assertio hæc ex dictis præcedente Dubio constat. Si enim subditos Infideles non baptizatos non possunt Principes Christiani compellere ad suscipiendam fidem, multò minùs Infideles non subditos: & sicut subditos non possunt punire, ob peccata contra legem naturæ, antequam legem ferant: ita non poterunt punire non subditos, quos obligare non possunt ad observandam aliquam legem jam latam.

II. Nec dixeris cum Sepulveda, filios Israel, jubente Deo, bella gessisse contra Chananæos, eosque occidisse propter idololatriam, & similiter multas alias Infidelium nationes; ergo similiter licebit Christianis &c.

Neg. enim conf. Nam Israelitæ habuerunt speciale mandatum Dei; qui cùm sit Dominus omnium, voluit mediâ internetione illarum Gentium tradere Israelitis terras earum: ideoque hoc eis licitum fuit: sicut licitum fuit, captâ Jericho, omnes usque ad parvulos interficere, quod secluso mandato Dei fuisset immane facinus. At circa promulgationem Evangelii Gentibus oppositum Deus disposuit, ut dictum est, & dicetur.

III. Nec dixeris iterum. Si Rex Hispaniæ modò invaderet Mauros Africanos, & eos vinceret, posset eos punire, propter peccata antea commissa; ergo etiam alias Infidelium nationes. Etenim

Nego antec. In casu enim Rex Hispaniæ posset eos punire, non propter peccata infidelitatis, vel contra naturæ legem commissa: sed, vel propter commissa contra jus sui Regni; vel ex commissione Ecclesiæ, tanquam injustos usurpatores regionum, quæ quondam sub jurisdictione Ecclesiæ, & Principum Christianorum fuere.

IV. Dico secundò. Etsi Christiani Principes jus haberent ad coercendos, & puniendos armis Infideles non subditos, ut eos averterent, vel ab infidelitate, & idololatriâ, vel à peccatis contra legem naturæ; non tamen expediret, ut hoc jure uterentur. Probo. Ecclesia enim imitari debet exemplum Christi, & ejus præscripta pro Evangelii promulgatione, & idololatriæ eversione servare: atqui Christus cùm esset Dominus Gentium, & posset, ut olim per Israelitas Deus fecit, armatos exercitus mittere, sive hominum, sive Angelorum, ut idololatriam everterent, & Evangelium stabilirent, noluit tamen: sed potiùs paucos, & inermes misit, qui Evangelium annunciantes, credentibus vitam æternam promitterent, non credentibus æternam damnationem denunciarent: qui Principibus, etsi Infidelibus, parerent, & patientiâ, mansuetudine, ac demum sanguine, sicut ipse eam fundavit proprio, ita & ipsi suo rigarent, & propagarent: & voluit,

luit, ut inter persecutiones Tyrannorum Ecclesia adolesceret; ergo etiam modò Principes Christiani, & Ecclesia gerere se debent.

V. Confirm. Christus voluit, ut Ecclesia in propagatione fidei evitet scandalum Infidelium. Quapropter ipse, *Matth.* 17. ad vitandum scandalum, voluit tributum solvere: maximum autem scandalum, quod eorum conversionem impediret, oriretur, si inter armorum terrores Evangelium proponeretur Infidelibus. Imò eorum Principes odio implacabili contra Christianos accenderentur; si scirent, Christianam fidem secum trahere sui dominii eversionem. Quare, ad hæc evitanda, monet Paulus, 1. ad Timoth. 6. v. 1. *Quicumque sunt sub jugo servi Dominos suos* (infideles) *omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini, & doctrina blasphemetur*. Addens v. 3. *Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, & ei, quæ secundùm pietatem est doctrinæ, superbus est, & nihil sciens*.

§. II.

An ob Infidelitatem possint Infideles Spoliari suis Bonis, & Dominio?

VI. Dico. Infideles non subditi Principibus Christianis, non possunt ob solam infidelitatem suis bonis, & dominio spoliari. Est contra Hostiensem, & Armacanum putantes, fidem divinam esse fundamentum dominii; & proinde qui carent fide, vero quoque dominio carere. His tamen omnes tùm Theologi, tùm Juristæ repugnant: imò & Scriptura ipsa, quæ Reges, quamvis infideles, Regum nomine appellat. Psal. 2. v. 2. *Astiterunt Reges terræ, & principes convenerunt in unum*. Matthæi 2. Herodes sæpiùs vocatur Rex. *Lucæ* 22. *v.* 25. ait Christus: *Reges Gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos benefici vocantur*. Agnovit ergo Christus in Regibus Gentium potestatem. Unde *Matth.* 22. interrogatus: an liceret tributum dare Cæsari; respondit v. 21. *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo*.

VII. Ne autem quis dicat, Infideles habere quidem posse verum dominium supra Infideles, non autem supra Fideles: hi enim cùm per fidem facti sint liberi, Infidelium dominio non amplius subjiciuntur.

VIII. Noverit hoc crimine, per calumniam, notatos fuisse Christianos, ut videre est apud Tertullianum, quasi Imperatorum majestatem non venerarentur: quos ipse, *lib. ad Scapulam*, *cap.* 2. egregiè ab hac notâ abstergit, dicens: *Christianus nullius est hostis, nedum Imperatoris, quem sciens à Deo suo constitui, necesse est, ut & ipsum diligat, & revereatur, & honoret.... Colimus ergo & Imperatorem sic, quomodo & nobis licet, & ipsi expedit, ut hominem à Deo secundùm, & quidquid est à Deo consecutum, & solo Deo minorem..... Itaque & sacrificamus pro salute Imperatoris, sed Deo nostro, & ipsius: sed quomodo præcepit Deus, pura prece. Non enim eget Deus Conditor universitatis odoris, aut sanguinis alicujus*. Hæc Tertullianus concilians Imperatoris reverentiam cum Religione Christianâ. Et meritò. Nam ait Paulus, Rom. 13. v. 1. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi à Deo; quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit*. Ita Paulus: cùm tamen ii, ad quos scribebat, essent Fideles, & Principes tunc temporis Infideles essent.

IX. Distinguit tamen S. Thomas 2. 2. *q.* 10. *a.* 10. inter prælationem, seu dominium Infidelium supra Fideles de novo instituendum, & prælatione jam institutâ; & dicit, quòd prima *Nullo modo permitti debet: cederet enim hoc in scandalum, & in periculum fidei. De facili enim illi, qui subjiciuntur aliorum jurisdictioni, immutari possunt ab eis, quibus subsunt,*

sunt, ut sequantur eorum imperium, nisi illi, qui subsunt, fuerint magnæ virtutis. Et similiter Infideles contemnunt fidem, si Fidelium defectus cognoscant. Et ideo Apostolus prohibuit, ut Fideles non contendant judicio coram judice Infideli. Et ideo nullo modo permittit Ecclesia, quòd Infideles acquirant dominium super Fideles, vel qualitercumque præficiantur eis in aliquo officio. Quare Ecclesia Paganos, & Judæos arcet ab omni Magistratu, & Officio publico inter Christianos, cap. *Cum sit nimis* & cap. *Ex speciali*, tit. de Judæis. Ubi etiam, cap. *Etsi Judæos*, vetat, ne Judæi habeant ex Christianis nutrices, servos, aut ancillas. Imò si servus à Judæis sit emtus ad servitium, statim ac fit Christianus, liberatur à servitute, nullo dato pretio, & similiter vernaculus, idest, in servitute natus. Non est autem idem de servis aliorum Infidelium. Eo enim ipso, quòd Christiani fiunt, non liberantur à servitute, neque possunt seipsos propriâ auctoritate à dominio suorum Principum se subtrahere; modò nullum immineat periculum perversionis fidei, aut morum: quod si immineat, possunt fugâ quærere libertatem, sicut etiam citra istud periculum fugere posse, ut libertatem recuperent, servos bello captos probabile est.

X. Si verò loquamur de dominio, vel prælatione jam existente, dicit S. Thomas, dominium Infidelium supra Fideles, per istorum conversionem ad fidem, per se non tolli. Et probat: quia *Dominium, & prælatio introducta sunt ex jure humano, distinctio autem Fidelium, & Infidelium est ex jure divino: sed jus divinum, quod est ex gratia, non tollit jus humanum, quod est ex naturali ratione; ergo distinctio Fidelium, & Infidelium secundùm se, considerata, non tollit dominium & prælationem Infidelium supra Fideles.*

XI. His accedit: quòd fundamentum dominii non est fides, aut gratia, sed liberum arbitrium. Unde si homo fuisset creatus in puris naturalibus, fuisset capax dominii: & hoc dominium etiam Philosophi à fide alieni cognoverunt esse in Regibus, ac Principibus. Cùm ergo dominium fundetur in natura libertatis capaci, quam etiam habent Infideles, illud retinere possunt, sicut in res varias, ita & in homines. Adde: quòd articulus Wiclefi 15. dicentis: *Nullum esse dominum civilem, dum est in peccato mortali*, damnatus fuit in Concilio Constantiensi.

XII. Sed dices primò. *Ecclesiastici* 10. v. 8. habetur: *Regnum à gente in gentem transfertur propter injustitias, & injurias &c.* Rursùs: *Hebr.* 7. *v.* 12. legitur: *Translato enim Sacerdotio, necesse est, ut & legis translatio fiat:* sed revera per mortem Christi translatum est Sacerdotium ad Ecclesiam; ergo & lex translata est; ergo legislatio, & jurisdictio ad solos Christianos transivit.

XIII. Respondeo ad primum textum, ex Ecclesiastico, quòd si quid probat, probat, non solâ infidelitate, sed aliis etiam peccatis potestatem dominativam amitti — Sensus ergo est, Deum ita justè disponere, ut propter peccata Regum, & populi, Regnum transferatur ad alios; sicut Regnum Israel à Roboam ad Jeroboam, 3. *Reg.* 12. & tandem totus populus Judæorum traditus est Babyloniis captivus, & eorum Regnum eversum.

Ad secundum textum, ex Paulo, dico ibi non agi de jurisdictione temporali, & translatione legum civilium; sed de translatione legis Mosaicæ in legem Evangelicam, quæ non in possessione temporalium consistit, sicut illa, sed Regni Dei. Dato tamen, quòd loquatur etiam de jurisdictione temporali; non loquitur generaliter, sed particulariter de solis Judæis, à quibus & Sacerdotium, & Regnum temporale translatum est in pœnam, juxta Danielis vaticinium *c.* 9. Cui allusit Christus, quando videns Civitatem Jerusalem flevit super illam, prædicens ejus eversionem faciendam à Tito:

Tito: nihilominus, & Titus, & Babylonii injustè gesserunt, Hebræos temporali Regno spoliantes.

XIV. Dices secundò. Alexander VI. concessit Regibus Catholicis Ferdinando, & Elisabethæ dominium omnium insularum maris Oceani, usque ad illud tempus inventarum, & postmodum inveniendarum: illæ autem insulæ proprios habebant dominos, estò Idololatras; ergo ob peccatum infidelitatis præfati Infideles spoliati sunt dominio, & hoc auctoritate Ecclesiæ.

XV. Respondeo, neg. ant. Neque enim Alexander VI. concessit unquam, quod saltem directè dare non poterat: cùm omnium, quæ in Mundo sunt, ipse Dominus non esset. Quare Paulus III. post Bullam Alexandri definivit, Indos verum, & proprium suorum Regnorum dominium habere: sed cùm nuntius ad Alexandrum pervenisset, in illis insulis, recens à Columbo detectis, inventos fuisse homines, agrestes quidem, ac nudos incedentes, pacificè tamen viventes, unumque Deum creatorem omnium agnoscentes, quas ad suscipiendam fidem Christi, & bonos mores induendos apti videbantur; ut possent ad illos lucrandos viri probi, docti, ac Religiosi, qui illos tutè instruerent, ad illas partes mitti, & haberent locum, in quo sedem figerent, ne à prædicatione Evangelii impediri possent: illarum insularum per centum leucas Regibus Catholicis, eorumque successoribus partem concessit, atque donavit. Quapropter non dedit eis facultatem deponendi Reges Indorum, vel eorum terras absolutè invadendi: sed, ut illuc Prædicatores mitterent, ac tùm eos, tùm populos, qui converterentur, possent defendere, loca illa assignavit. Quia verò Reges illi prædicationi obstiterunt, potuit Ecclesia, ad vindicandum jus, quod habet, ubique terrarum Evangelium prædicandi, & ad salutem eorum, qui jam fidem susceperant, sartam tectam tuendam, earum partium dominium ad Hispanos Reges transferre, qui primi Religionis semina in illas partes deportarunt.

XVI. Pro cujus majori explicatione adverto ex D. Thom. hâc *q.* 10. *a.* 8. quòd estò Infideles, qui nunquam fidem susceperunt, non possint compelli ad fidem: *Sunt tamen compellendi à Fidelibus, si adsit facultas, ut fidem non impediant, vel blasphemiis, vel malis persuasionibus, vel etiam apertis persecutionibus. Et propter hoc Fideles Christi frequenter contra Infideles bellum movent; non quidem, ut eos ad credendum cogant, quia si etiam eos vicissent, & captivos haberent, in eorum libertate relinquerent, an credere vellent: sed propter hoc, ut eos compellant, ne fidem Christi impediant.* Hoc autem Hispanos Reges fecisse, & adhuc facere compertum est. Compulerunt quidem Indorum Reges, ne fidem, quam in eorum Regna æquissimo jure invehere tentabant, impedirent, eosque victos Regno spoliarunt: sed eorum subditos in eorum libertate reliquerunt, & adhuc relinquunt, ut fidem amplectantur, si velint, vel in infidelitate permaneant, si fidem amplecti nolint.

XVII. His omnibus addendum existimo cum S. Thoma hâc *q.* 10. *a.* 10. quòd etiamsi Princeps Infidelis Ecclesiæ non subditus suorum subditorum conversioni non obstet; neque, eâ secutâ, eos à fide recedere compellat; neque titulo suæ infidelitatis maneat de facto privatus dominio: *Potest tamen justè per sententiam, vel ordinationem Ecclesiæ auctoritatem Dei habentis, tale jus dominii, vel prælationis tolli: quia Infideles merito suæ infidelitatis merentur potestatem amittere super Fideles, qui transferuntur in filios Dei: sed hoc quidem Ecclesia quandoque facit, quandoque autem non facit.* Et postquam dixit, Ecclesiam hoc facere cum Judæis, quorum servi statim, ac fiunt Christiani, à servitute liberantur, & cum aliis Infidelibus, qui Ecclesiæ subditi sunt, addit: *In illis verò Infidelibus, qui temporaliter Eccle-*

Ecclesiæ, vel ejus membris non subjacent, prædictum jus Ecclesia non statuit; licèt posset instituere de jure. Et hoc facit, ad scandalum vitandum; sicut etiam Dominus, Matth. 17. ostendit, quòd poterat se à tributo excusare, quia liberi sunt filii: sed tamen mandavit tributum solvi, ad scandalum vitandum. Ita etiam, & Paulus cum dixisset, quod servi dominos suos honorarent, subjungit: Ne nomen Domini, & doctrina blasphemetur.

Hoc autem jure usum fuisse Alexandrum VI. dici potest. Videns enim expedire propagationi Religionis Christianæ in Indiis, ut Indis jam conversis aliquis Rex Christianus præficeretur, quo fides ibi nascens educaretur; & ne periculum esset, ut continuantibus Regibus Infidelibus in dominio, in suis exordiis suffocaretur; cùm ex naturali affectione subditorum ad suos dominos facile fit, ut subditi sequantur mores, & Religionem suorum Principum: id maximè Indis jam conversis expetentibus, præficere potuit Regem Catholicum, qui ex Christianis Principibus terras illas primus occupaverat.

§. III.

Alia Dubia solvuntur.

XVIII. Quia diximus, Principes Infideles, etiam Ecclesiæ, vel Principibus Christianis non subditos, posse per Ecclesiæ Principes compelli ad fidem, vel Regnis spoliari; maximè si fidem impediant, vel blasphemiis, vel malis persuasionibus, vel apertis persecutionibus: videtur obstare primò. Nam etiam idololatria includit magnam blasphemiam: subtrahit enim Deo singularitatem dominii, & fidem opere impugnat, ut docet S. Tho. 2. 2. *q.* 94. *a.* 3. *ad* 2. & tamen idololatria non sic impedit fidem, ut possint propter illam ab Ecclesia debellari.

XIX. Respondeo, quòd blasphemia fidei propriè est illa, quæ directam habet oppositionem cum confessione fidei, ut docet S. Tho. 2. 2. *q.* 13. *a.* 1. sicut autem confessio fidei consistit in verbis: ita blasphemia fidei debet in verbis consistere. Blasphemia autem, quæ in idololatria includitur, ut dicit S. Thomas, est blasphemia operis; inquantùm tribuens cultum Idolo, regium honorem, quem Deo immortali debebat, tribuit creaturæ, & sic facit ipso opere, quod faceret ore, si blasphemaret: & hac ratione in omni peccato lethali blasphemia includitur, quia Deo adimit rationem ultimi finis. Et tamen non ob omne peccatum lethale Infideles debellandi sunt, ut diximus.

XX. At inquies. Blasphemia operis, quæ in idololatria includitur, graviùs peccatum est, quàm blasphemia oris: nam gravius est peccare facto, quàm verbo. Cur ergo Ecclesia, ob blasphemiam oris, potest debellare Infideles, ob blasphemiam verò facti non potest?

Respondeo, rationem esse: quia jus Ecclesiæ consistit in potestate traditâ à Christo prædicandi fidem per totum Mundum, quæ prædicatio ore, & verbis fit: & sic cum blasphemia oris, quâ Deus, & Christus, qui sunt materia prædicationis fidei, verbis impugnatur, directiùs se opponat prædicationi, quàm blasphemia, quæ opere fit, quia directiùs se opponit confessioni fidei: per illam sic injuriatur Christus, & Ecclesia, ut in vindictam ejus possit Infideles ita blasphemantes oppugnare.

XXI. Obstare videtur secundò. Infidelis Princeps impediens, ne subditi suscipiant fidem, aut eos, qui eam susceperunt, abnegare compellens, utitur jure suo, quod habet ad conservandum se in dominio; si enim vassalli fierent Christiani, ipso remanente Infideli, hoc ipso, ut dicebamus, justè privari posset dominio vassallorum Fidelium: at quilibet utens jure suo alteri non facit injuriam; ergo &c.

Deinde: Ecclesia solùm jus habet prædicandi Evangelium, & consequenter, ne impediantur Prædicatores ejus ab exercitio talis muneris: at inducere suasionibus vassallos ne credant, non est impedire Prædicatores; ergo &c.

Præterea: Ecclesia solùm jus habet, ut omnes relinquantur liberi ad credendum, vel non credendum: at puræ suasiones hanc libertatem non tollunt; ergo &c.

XXII. Respondeo ad hæc. Ad primum dico, Principem habere quidem jus conservandi se in dominio, sed apponendo media directè opposita, & pugnantia propagationi fidei: suasio autem, vel quæcumque alia, etiam solùm moralis, retractio Principis à credendo, magni ponderis est ad retrahendos vassallos à susceptione fidei. Unde Princeps ita se gerens violaret jus fortius, quod à Deo habet Ecclesia, ad subjiciendos omnes homines Christo, per voluntariam susceptionem fidei.

Ad secundum nego min. Dum enim retrahuntur Fideles quovis modo à susceptione fidei, impeditur fructus prædicationis, ad quem Ecclesia mittit Ministros.

Ad tertium nego maj. Non enim Ecclesia solùm habet jus, ut populi relinquantur in libertate ad credendum; sed ne contra fidem disponantur, & ab auditu fidei removeantur. Addo: suasiones Principum esse tantæ efficaciæ apud subditos, ut moralem, si non physicam, adimant libertatem oppositum faciendi: unde in jure habetur, quòd quæ Principis precibus extorta sunt, pro invalidis habeantur: preces enim Principis armatæ sunt.

XXIII. Quæres: An Ecclesia habeat jus compellendi Infideles non subditos ad audiendum Evangelium?

Videtur quod sic. Nam Ecclesia habet jus annuntiandi omnibus Evangelium; ergo habet jus compellendi omnes ad illud audiendum. Sicut ex quo habet jus remittendi omnibus peccata, habet jus compellendi homines, ut confiteantur.

Secundò. Ecclesia, ex dictis, habet jus removendi obstacula, quæ impediunt prædicationem Evangelii: sed qui audire nolunt, ponunt obstaculum; ergo &c.

XXIV. Communis responsio est negativa, saltem quoad Infideles Principi Christiano non subditos. Primò probatur. Quia Christus mittens Discipulos ad prædicandum Evangelium non præcepit eis, ut repugnantes ad audiendum compellerent; sed ut, si qui eos recipere noluerint in una civitate, pergerent in aliam, & excuterent pulverem de pedibus suis, ut supra diximus ex Matth. 10. v. 14. *Et quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo, vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris*. Quod repetitur *Marci 6. v. 11.* & *Lucæ 9. v. 5.* Quod impletum legimus à Paulo, & Barnaba, *Act. 13. v. 51.* dum nolentibus quibusdam Antiochiæ ipsos recipere: *Excusso pulvere pedum in eos, venerunt Iconium*.

Rursus: quia medium ad susceptionem fidei ordinatum est auditus, Rom. 10. v. 14. *Quomodo credent ei, quem non audierunt?* Sed non possunt cogi ad fidem; ergo nec ad auditum, cùm debeat esse proportio finis, & medii.

Addo: quòd ex tali compulsione sequerentur sacrilegia, blasphemiæ &c. & alia, quæ à fide retraherent potiùs Infideles, quàm ad eam allicerent.

XXV. Quoad Infideles verò subditos degentes inter Christianos, quales sunt Judæi, censetur, posse cogi ad audiendam certis diebus concionem Christianorum, ne fiat Fidelibus scandalo. Hoc tamen non est eos compellere ad fidem, cum eis relinquatur liberum credere, vel non credere. Quod de Infidelibus non subditis censent aliqui: nimirum compelli posse, ut semel, vel iterum saltem verbum Christi audiant, relinquendo in eorum libertate illud amplecti nec ne. Sed proba-

probabilius censeo oppositum, ut dictum est: hi enim in nullo, nec in temporalibus Ecclesiæ subjiciuntur; ideoque illis liberum esse debet, & credere, & etiam audire. Quapropter

XXVI. Ad primum dico. Ex illo jure sequi, quòd possit quidem omnibus, qui audire voluerint Evangelium, prædicare, & facere, ne Prædicatoribus illius locus denegetur; imò obstare volentes, etiam per vim compescere, ut §. *præcedente* dictum est: non tamen, quòd audire nolentes, ad audiendum per vim possit compellere. Neque est idem de jure remittendi peccata. Nam hoc est in Ecclesiæ subditos per Baptismum, quos ad confitendum peccata potest jure compellere.

Ad secundum nego min. Neque enim omnes, qui audire nolunt, impedimentum ponunt prædicationi, ne illa fiat liberè: cùm multi tales solùm recusent audire, alii nihil dicant, aut agant ad prædicationem impediendam.

DUBIUM III.

An Hæretici sint compellendi ad Fidem?

§. I.

Sancti Augustini Mens.

I. HUjus S.Doctoris, ut refert ipse, *Epist.* 48. modò 93. *ad Vincentium, cap.* 5. fuit olim sententia, hæreticos ad fidem, & unitatem non esse cogendos: *Mea* (inquit) *primitus sententia non erat, nisi neminem ad unitatem Christi esse cogendum; verbo esse agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum, ne victos Catholicos haberemus, quos apertos hæreticos noveramus.* Sed hanc suam opinionem fuisse falsam, potiùs quàm contradicentium verbis, experientiâ, & exemplis, se cognovisse confitetur. Tùm in sua Civitate, quæ *cùm tota esset in parte*, seu schismate *Donati*, *ad unitatem Catholicam timore legum imperialium conversa est*. Tùm etiam multorum, qui, sive humano respectu, sive consuetudine, sive securitate, sive maledicorum dictis, sive quia in errore nati, in eo detinebantur, quibus legum terror oculos aperuit veritati. *Quàm multi enim, quod certò scimus, jam volebant esse Catholici manifestissimâ veritate commoti, & offensionem suorum reverendo quotidie differebant. Quàm multos non veritas, in qua nunquam præsumsistis, sed obdurata consuetudinis grave vinculum colligabat, ut in eis compleretur divina illa sententia* (Prov. 29. v. 19.) Verbis non emendabitur servus durus, si enim & intellexerit, non obediet. *Quàm multi propterea putabant, veram Ecclesiam esse partem Donati; quia eos ad cognoscendam Catholicam veritatem securitas torpidos, fastidiosos, pigrosque faciebat. Quàm multis aditum intrandi obserabant rumores maledicorum, qui nescio quid aliud nos in Altare Dei ponere jactitabant* (Donatistæ enim, de quibus loquitur, sicut Catholicos non verè baptizare asserebant, ita nec verè consecrare existimabant) *Quàm multi nihil interesse credentes, in qua quisque parte Christianus sit, ideo permanebant in parte Donati, quia ibi nati erant: & eos inde discedere, atque ad Catholicam nemo transire cogebat. His omnibus harum legum terror, quibus promulgandis Reges serviunt Domino in timore, ita profuit, ut nunc alii dicant, jam volebamus: sed Deo gratias, qui nobis occasionem præbuit, jamjamque, & dilationum morulas amputavit &c.* Hæc Augustinus. Quæ si modernis hæreticis applicentur, dicere poterimus: quàm multi aliquo ex prælaudatis titulis in hæresi continentur, qui legum timore excitati, oculos veritati aperirent.

II. Quia verò Donatistæ opponebant. *Non invenitur exemplum in Evangelicis, & Apostolicis Litteris, aliquid petitum à Regibus terræ pro Ecclesia contra inimicos Ecclesiæ.*

Res-

Respondet S. Aug. citato loco, *c.* 3. hoc verum esse: *Sed* quia *nondum implebatur illa prophetia:* Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram, servite Domino in timore. *Adhuc enim illud implebatur, quod in eodem Psalmo paulò superiùs dicitur:* Astiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adversùs Dominum, & adversùs Christum ejus. *Verumtamen si facta præterita in propheticis libris figura fuerunt futurorum; in Rege illo, qui appellabatur Nabuchodonosor, utrumque tempus figuratum est, & quod sub Apostolis habuit, & quod nunc habet Ecclesia. Temporibus itaque Apostolorum, & Martyrum illud implebatur, quod figuratum est; quando Rex memoratos pios, & justos cogebat adorare simulacrum, & recusantes in flamam mittebat. Nunc autem illud impletur, quod paulò post in eodem Rege figuratum est; cum conversus ad honorandum Deum verum, decrevit in Regno suo, ut quicumque blasphemaret Deum Sidrach, Misach, & Abdenago, pœnis debitis subjaceret. Prius ergo tempus illius Regis significabat priora tempora Regum Infidelium, quos passi sunt Christiani pro impiis: posterius verò tempus illius Regis significavit tempora posteriorum Regum jam Fidelium, quos patiuntur impii pro Christianis.* Prioribus ergo Ecclesiæ temporibus Imperatores Infideles injustè persequebantur pios Fideles; posterioribus autem Imperatores Fideles justè persequuntur impios Infideles, mitiori tamen pœnâ: nam illi pœnâ capitis Fideles mulctabant, ut eos perderent, isti pœnâ Infideles coercent, ut eos salvent: *Et certè longè ibi pœna severior constituta est; illius quippe impietatis capitale supplicium est. De vobis autem corripiendis, atque coercendis habita ratio est, quò potiùs admoneremini ab errore discedere, quàm pro scelere puniremini.* His S. Augustinus sedat Donatistarum querelas, & etiam nostrorum temporum hæreticorum contra Ecclesiam, & Catholicos conclamantium; dum pœnis coercentur, ut ab errore ad veritatem, à qua recesserunt, revertantur. Quibus jam occurrimus in vera Ecclesia, *Tom.* 1. *cap.* 3. *§.* 6. *num.* 24. & *cap.* 6. *§.* 3. *à num.* 16. ubi res ista fusè tractatur.

§. II.

Resolutio Dubii.

III. Dico. Hæretici, & apostatæ si redire sponte nolint ad Ecclesiam, & fidem, pœnis etiam temporalibus coercendi sunt. Constat ex Augustino supra laudato, quem Fidelis ejus discipulus S. Thomas sequitur 2. 2. *q.* 10. *a.* 8. Ubi postquam docuit, Infideles, qui nunquam fidem susceperunt, non esse compellendos, ut credant, subjungit: *Alii verò sunt Infideles, qui quandoque fidem susceperunt, & eam profitentur, sicut hæretici, & quicumque apostata; & tales sunt etiam corporaliter compellendi, ut impleant quod promiserunt, & teneant quod semel susceperunt.* Et rationem dat ibidem *ad* 3. dicens: *Quòd sicut vovere est voluntatis, reddere autem necessitatis: ita accipere fidem est voluntatis; sed tenere eam acceptam est necessitatis. Et ideo hæretici sunt compellendi, ut fidem teneant.* Ex quibus hæc formatur ratio. Sicut Religiosus per emissionem voti solemnis Religionis fit subjectus Religioni; ita homo per susceptionem fidei in Baptismo fit subjectus Ecclesiæ: at Religiosus, etsi liberè voverit, postquam tamen emisit votum, ex necessitate subjectus est Religioni, ac Superioribus ejus, in ordine ad ea, quæ spectant Religionem; ita ut possit ab eis cogi ad ea, quæ vovit, & professus est observanda: & si à Religione fortè discesserit, potest pœnis etiam temporalis compelli, ut ad eam revertatur; ergo homo, qui vovit in Baptismo fidem Christo, & Ecclesiæ, potest legitimè compelli ad eam servandam, & si ab ea recesserit, etiam

pœnis

pœnis corporalibus coerceri. Verùm si ex hujusmodi coactione sequeretur, multos fictè tantum ad veram fidem redire, ex eorum malitia esset: Ecclesia enim eos trahendo utitur jure sibi dato à Christo, ut supra dictum est, *Dub. 1. §. 2. num. 20. & 21.*

Quòd si quis audire iterum velit S. Augustinum, adeat illum, *Ep. 50.* modò 185. *ad Bonifacium c. 6. & 7.* & *Serm. 33. de Verb. Domini*, modò *Serm. 112.* ubi *c. 7.* ad illa verba, Lucæ 14. v. 21. *Exi in vias, & sepes, & quos inveneris coge intrare*, ait: *Quos inveneris, ut dignentur, noli expectare, coge intrare. Magnam cœnam, magnam domum paravi, non ibi patior locum vacare. Venerunt de plateis & vicis Gentes. Veniant de sepibus haeretici: hic inveniunt pacem. Nam qui construunt sepes, divisiones quærunt. Trahantur à sepibus, evellantur ab spinis. In sepibus hæserunt, cogi nolunt. Voluntate, inquiunt, nostrâ intremus. Non hoc Dominus imperavit: Coge, inquit, intrare. Foris inveniatur necessitas, nascitur intus voluntas.* Hæc sufficiant pro præsenti Tractatu.

TRA-

TRACTATUS
DE SPE THEOLOGICA.

Idem naturæ ordine sequitur ſpes: poſtquam enim fides propoſuit intellectui æterna bona credentibus repromiſſa, & intellectus aſſenſum præbuit, naſcitur in voluntate ſpes in Deum auxiliatorem ad ea conſequenda. Meritò igitur tractatui de fide tractatum de ſpe theologicâ ſubjicimus, quæ deſcribi poteſt, quòd ſit: habitus per ſe infuſus, quo in Deum divina bona conferentem ſperamus. De hac agit S. Thom. 2. 2. *q.* 17. & 18.

QUÆSTIO I.

De Spe quoad ejus Eſſentiam.

DUo circa eſſentiam ſpei theologicæ præcipuè occurrunt inveſtiganda. Primum: an ſit verè virtus theologica. Secundum: quodnam ſit ejus objectum.

DUBIUM I.

An Spes inter Virtutes Theologicas ſit Recenſenda?

§. I.

Prior Reſolutio.

I. DIco primò. Spes eſt verè, & propriè virtus. Reſolutio hęc eſt contra Durandum, in 3. *diſt.* 26. *q.* 1. aſſerentem, quidem ſpem eſſe virtutem, quia inclinat voluntatem ad bonum actum; non tamen eſſe virtutem ſtricto, ſed largo modo. Eam tamen expreſsè docet S. Thomas hâc 2. 2. *q.* 17. *a.* 1.

Notandum tamen cenſeo: ſperare aliquando ſumi ampliſſimè, & impropriè pro quavis expectatione futuri eventus, ſive boni, ſive mali: unde eſt illud Judith 13. v. 15. *Sperabant, eam jam non eſſe venturam.* Sed hoc eſt timere potiùs, quàm ſperare: unde Auguſt. in Enchiridio c. 8. *Spes* (inquit) *nonniſi bonarum rerum eſt, nec niſi futurarum, & ad eum pertinentium, qui earum ſpem gerere perhibetur.* Ad differentiam fidei; quæ, ut ait S. Auguſt. ibi paulò ſuperiùs *Eſt ... & malarum rerum, & bonarum, quia & bona creduntur, & mala, & hoc fide bonâ, non malâ. Eſt etiam fides, & præteritarum rerum, & præſentium, & futurarum: credimus enim Chriſtum mortuum, quod jam præteriit: credimus, ſedere ad dexteram Patris; quod nunc eſt: credimus venturum ad judicandum, quod futurum eſt. Item fides & ſuarum rerum eſt, & alienarum. Nam & ſe quiſque credit aliquando eſſe cæpiſſe: nec fuiſſe utique ſempiternum, & alios, atque alia: nec ſolùm de aliis hominibus multa, quæ ad Religionem pertinent, verùm etiam de Angelis credimus.* Convenit autem ſpes cum fide, quòd ea, quæ ſperantur, & quæ creduntur, non videantur. *Spes* enim *quæ videtur, non eſt ſpes. Nam quod videt quis, quid ſperat?* Ait Paulus, *Rom.* 8. *v.* 24. Et de fide, ad *Hebr.* 11. *v.* 1. Fides eſt *ſperandarum rerum argumentum non apparentium.* His prænotatis

II. Prob. Aſſertio ratione S. Thomæ *a.* 1. citato, ſic. Actus, qui facit actum hominis bonum, & attingentem debitam regulam, eſt habitus virtutis propriè talis; quia, ut habetur in 2. *Ethic. c.* 6. virtus uniuſcujuſque rei eſt,

eſt, quæ bonum facit habentem, & opus ejus bonum reddit: ſed hujuſmodi eſt ſpes; ergo &c. Maj. prob. Nam in omnibus regulatis, & menſuratis bonum conſideratur per hoc, quòd aliquid propriam regulam attingit: ſicut dicimus, veſtem eſſe bonam, quæ nec excedit, nec deficit à debita menſurâ. Min. quoque ſuadetur. Nam debita regula actuum humanorum, vel eſt homogenea, & hæc eſt ratio; vel eſt ſuprema, & excedens, & hæc eſt Deus: ſed ſpes diſponit hominem faciens, ut ab ipſo, mediante ejus auxilio, expectet homo beatitudinem æternam; ergo &c.

III. Sed dices primò pro Durando. Vera virtus, utpote diſpoſitio perfecti ad optimum, debet eſſe habitus ponens potentiam in ultimo perfectionis debitæ ſuo actui: ſed ſpes non eſt hujuſmodi, relinquit enim ſperantem adhuc in ſtatu imperfecto, utpote re ſperatâ carentem; ergo &c.

IV. Secundò. Timor non eſt virtus; ergo nec ſpes: ſicut enim ſe habet ſpes ad bonum; ita timor ad malum.

Imò ſicut timor non eſt vitium, ita neque ſpes erit virtus: ſpes enim, & timor opponuntur, cùm nemo timeat bonum, quod expectat.

V. Tertiò. Continentia, & conſtantia eſtò ſint habitus boni, virtutes tamen non ſunt, quia non ſunt principium perfectæ actionis: cùm non ſupponant paſſiones iraſcibilis, & concupiſcibilis pacatas, & frænatas; ergo à pari ſpes, quæ non ſupponit ſubjectum in poſſeſſione boni, non erit virtus propriè talis.

VI. Quartò. Virtus per ſe habet delectationem: ſed ſpes non habet delectationem: cùm enim per ſpem expectemus aliquid abſens, non eſt de illo gaudium, ſed potiùs triſtitia, juxta illud Prov. 13. v. 12. *Spes, quæ differtur, affligit animam.*

VII. Quintò. Virtus verſatur circa difficile: ſed non eſt difficile ſperare promiſſa; ergo &c.

VIII. Reſpondeo ad primum cum S. Thom. hoc *a.* 1. *ad* 3. diſt. min. Per comparationem ad id, quod ſperat, con. min. Per comparationem ad regulam, cui innititur, nego min. *Ille, qui ſperat* (inquit S. Doct.) *eſt quidem imperfectus ſecundùm comparationem ad id, quod ſperat obtinere, quod nondum habet: ſed eſt perfectus quantùm ad hoc, quòd jam attingit propriam regulam, ſcilicet Deum, cujus auxilio innititur.* Ut enim docet *Qu. unica de Spe a.* 1. *ad* 4. perfectio virtutis non conſiſtit in hoc, quòd conjungat ſubjectum cum materiali objecto, nempe, cum re ſperatâ, ſed cum objecto formali, quod eſt Deus: *In hoc enim conſiſtit perfectio hominis, quòd Deo inhæreat. Et ſimile eſt etiam de fide, quæ habet imperfectionem ex eo, quòd nondum videt ea, quæ credit; habet autem perfectionem ex eo, quòd inhæret teſtimonio primæ veritatis: & ex hoc eſt virtus.*

IX. Ad ſecundum dico cum S. Th. hîc 2. 2. *q.* 19. *a.* 9. quòd timor alius eſt humanus, & ſervilis, alius filialis, & caſtus. Primus quidem rationem virtutis non aſſequitur. Secundus tamen, qui inter dona Spiritus Sancti numeratur, à ratione virtutis prorſus non excluditur: cùm, ut docet S. Doct. ibi *ad* 3. hujus timoris principium ſit caritas. Attamen *amor magis habet rationem virtutis, quàm timor: quia amor reſpicit bonum, ad quod principaliter virtus ordinatur ſecundùm propriam rationem.... & propter hoc etiam ſpes ponitur virtus. Timor autem principaliter reſpicit malum, cujus fugam importat: unde eſt aliquid minus virtute theologicâ* — Neque hujuſmodi filialis timor opponitur ſpei. *Non enim* (ut docet S. Thom. ibi ad 1.) *per timorem filialem timemus, ne nobis deficiat, quod ſperamus obtinere per auxilium divinum; ſed timemus ab hoc auxilio nos ſubtrahere. Et ideo timor filialis, & ſpes ſibi invicem cohærent, & ſe invicem perficiunt.* Sed nec alii timores, qui bo-

ni sunt, opponuntur spei, ut est virtus faciens expectare aliquod bonum à Deo, secundùm legem ab eo constitutam; quia non sunt de eodem: aliud est enim, quod speratur, aliud, quod timetur.

X. Ad tertium respondeo ex D. Th. hâc 2. 2. *q.* 155. *a.* 1. quòd continentia, & constantia cùm ex sua ratione non supponant passiones frænatas per temperantiam, & fortitudinem, non attingunt rationem perfectam virtutis; cùm non sint principium actionis perfectæ. At spes, cùm inclinet hominem ad propriam regulam, scilicet Deum, est principium actionis perfectæ; & licèt non ita perfectæ, sicut erit possessio rei speratæ, ita tamen quantum patitur status viæ: eodem modo, quo actus fidei actus virtutis est, etsi non ita perfectus, sicut actus visionis Patriæ.

XI. Ad quartum dist. maj. Delectationem de suo actu, con. maj. Semper de objecto, nego maj. Et eodem modo dist. min. Responsio est S. Thomæ Q. 7. *de Spir. creat.* quæ est unica de spe, *a.* 1. *ad* 14. dicentis: *Quòd duplex est delectatio. Una quidem de objecto actus: alia verò de ipso actu. Prima autem delectatio non est propria virtutis; quia est aliqua virtus, ad quam pertinet dolere de suo objecto, scilicet pœnitentia. Sed secunda delectatio, quæ est de actu, est propria virtutis; quia unicuique habenti virtutem est delectabilis operatio, quæ est secundùm proprium habitum: unde etiam pœnitens de dolore gaudet. Sic igitur spes inquantùm causat delectationem de re speratâ, non causat delectationem per se, sed per aliud; inquantùm facit eam existimare ut præsentem: sed secundùm quod causat delectationem de proprio actu, sic per se delectationem causat.*

Quod verò additur ex Proverbiis, non urget. Nam, ut ait S. Thom. ibi ad 13. *Spes non affligit animam, sed magis est causa delectationis, inquantum facit, rem speratam quodammodo esse præsentem, secundùm fiduciam adipiscendi; unde & Apostolus dicit. Rom.* 12. spe gaudentes: *sed dilatio rei speratæ est, quæ quandoque affligit.*

XII. Ad quintum nego min. Sperare enim beatitudinem, & bona supernaturalia, ut oportet ad salutem, difficile est; cum nemo sperare possit, ut oportet, absque præveniente Spiritus Sancti inspiratione, ex Trident. *Sess.* 6. *Can.* 3.

XIII. Sed adhuc objicies. Qui ex virtute operatur, laudabiliter operatur: sed qui operatur ex spe mercedis æternæ, non operatur laudabiliter; ergo &c. Min. prob. Qui ex motivo mercedis facit, ita facit, ut si non esset merces, non faceret: sed hoc non est laudabiliter agere: sicut nec laudabiliter ageret, qui abstineret à peccato, ob metum gehennæ, ita ut tacitè diceret: si non esset gehenna, à peccato non abstinerem.

Confirmatur. Operari ex spe præmii, vilis mercenarii est; ergo non laudabile.

XIV. Hæc Lutheranorum est oppositio; qui, sicut oblatrant contra timorem ex gehennæ pœna conceptum, ut *de pœnitentia* suo loco videbitur: ita etiam spem condemnant, quæ non unicè meritis Christi speret gloriam, ut hæreditatem promissam, sed eam speret, ut etiam per propria merita, tanquam præmium, & mercedem obtinendam.

Eorum tamen errorem proscripsit Tridentinum, Sess. 6. Can. 31. *Si quis dixerit, justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis benè operatur: anathema sit.* Et meritò. Nam, ut idem Concilium, eâdem *Sess. cap.* 11. docuerat, scriptum est de Davide, Psal. 118. v. 112. *Inclinavi cor meum ad faciendum justificationes tuas.... propter retributionem:* & de Moyse dicit Apostolus, Hebr. 11. v. 26. quòd *respiciebat in remunerationem.* Scriptura insuper excitat ad operandum spe præmii, Matt. 4. v. 17. *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim Regnum Cœlorum.* Coloss. 3. v. 23. *Quodcumque faci-*

facitis, ex animo operamini... scientes, quia à Domino accipietis retributionem hæreditatis. Scriptura autem non excitaret ad operandum spe præmii, nisi esset bonum, & laudabile.

XV. Ad objectionem autem in contrarium nego min. Ad prob. neg. maj. Falsum enim est, quòd ex hoc, quòd quis intuitu vitæ æternæ aliquod opus faciat, si vita æterna non esset, illud non faceret; sed infertur, quòd non faceret ex illo motivo: posset enim idem facere ex alio motivo, vel obedientiæ, vel honestatis: vel ad summum, quòd si tale motivum non extaret, mens maneret indifferens, ut faceret, vel non faceret. Unde falsum est, quòd actus, quo intuitu mercedis aliquid facio, includat alium actum, quo dicam: si tale motivum non extaret, non facerem.

XVI. Ad Confirm. similiter dico, quòd illud tantùm est opus vilis mercenarii, quod quis non faceret, si non esset merces: qui autem operatur ex spe mercedis æternæ, non est ita dispositus, ut dicebamus. Vide S. Tho. in 3. *dist.* 26. *q.* 2. *a.* 1. *ad* 5. Addo: quòd operari ex spe præmii, qui ipse Deus sit, sicut operamur per spem theologicam, non est operari ut vilis mercenarius: quia sic operari, licèt habeat pro motivo præmium, habet tamen pro termino, & fine amorem Dei, cum quo sperat conjungi.

XVII. Quæres: An spes informis sit virtus? Videtur enim, quòd non: quia sperare vitam æternam sinè caritate, temerarium est.

Respondeo. Quòd sicut fides informis est quoad substantiam virtus, licèt non habeat perfectum statum virtutis, ut dictum est; ita & spes informis: quia utraque est principium boni actus tendens in bonum supernaturale, secundùm regulam divinam, ex motione Spiritus Sancti procedens, & disponens subjectum ad statum perfectum. Neque qui sperat, caritatem non habens, sperat beatitudinem consequi sinè caritate; hoc enim esset tementè sperare: sed sperat, saltem tacitè, consequi remissionem peccatorum, atque ita caritate ornari, quâ possit pervenire ad beatitudinem.

§. II.

Resolutio Posterior.

XVIII. Dico secundò. Spes divina est virtus infusa, & theologica. Quòd spes sit virtus infusa, fidei dogma est, sancitum in Tridentino, Sess. 6. cap. 7. *In ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & caritatem.*

Quòd verò sit virtus theologica, ostendit S. Tho. hâc *q.* 17. *a.* 5. & in 3. *dist.* 26. *qu.* 2. *a.* 2. Quia virtus, quæ habet pro suo objecto principali immediato Deum, est virtus theologica: sed hujusmodi est spes; ergo &c. Min. Dubio sequenti patebit, ubi agimus de objecto spei. Deus enim non solùm est id, à quo, vel in quo sperat; sed est id, quod principaliter immediatè sperat spes: quod est cautè notandum. Ad rationem enim virtutis theologicæ non est satis, Deum respicere; sed requiritur ipsum respicere, ut objectum immediatum, & *quod*. Nam timor potest Deum respicere, à quo imminet malum, & tamen virtus Theologica non est: non enim potest habere Deum pro objecto, cùm ab ipso refugiat. Religio pariter Deum respicit, cui debitum cultum offert: & tamen non est virtus theologica, quia non Deum, sed cultum Dei habet pro immediato objecto. Unde S. Tho. Qu. unic. de Spirit. creat. a. 12. ad 11. *Religio* (inquit) *habet Deum pro fine, non autem pro objecto, sed ea, quæ offert colendo ipsum: & ideo non est virtus theologica. Similiter etiam sapientia, quâ nunc contemplamur Deum, non immediatè respicit ipsum Deum, sed effectus, ex quibus ipsum in præsenti contemplamur. Timor etiam res-*

picit pro objecto aliquid aliud, quàm Deum: vel pœnas, vel propriam parvitatem, ex cujus consideratione homo Deo reverenter se subjicit. Magnanimitas etiam potest à Deo sperare magnum honorem: & tamen virtus theologica non est: quia estò speret à Deo, non tamen sperat Deum, ut objectum *quod*, & immediatum. Tùm etiam: *quia est circa arduum, quod consistit in rebus humanis, non circa arduum, quod est Deus*, ut S. Tho. in 3. *dist.* 26. *q.* 2. *a.* 2. *ad* 4. Et hâc *q.* 17. *a.* 5. *ad* 4. quòd respicit arduum etiam propriâ potestate, non alterius auxilio consequendum.

XIX. Dices tamen. Objectum *quod* spei est bonum arduum futurum auxilio Dei consequendum; ergo objectum immediatum spei non est Deus, sed aliquid ejus auxilio obtinendum.

Si respondeas, neg. conf. & suppositum. Nam hoc bonum arduum, quod à spe expectatur, est ipse Deus, ut divino auxilio in Patria possidendus. Quare respectu spei Deus est is, à quo, & in quo speratur, & simul etiam id, *quod* immediatè speratur.

XX. Contra est. Deus non est bonum, quod immediatè speramus; ergo nulla solutio. Ant. prob. primò. Illud est bonum, quod immediatè speramus, de quo immediatè delectamur in Patria: sed delectatio nostra in Patria correspondens spei in via non est de Deo in se, sed de consecutione Dei; ergo &c.

Secundò. Illud est bonum immediatè speratum, de quo immediatè habetur desperatio: sed hæc non habetur immediatè de Deo in se, sed de consecutione Dei; ergo hæc, non ille, est bonum &c.

Tertiò. Id est bonum immediatè speratum, quod est objectum concupiscentiæ nostræ; quia spes pertinet ad amorem concupiscentiæ: sed objectum amoris concupiscentiæ non est Deus in se, sed Deus ut assequibilis, & ut bonus nobis; ergo &c.

XXI. Respondetur, neg. antec. Ad primam probat. conc. majori, distin. min. De consecutione Dei de connotato importatâ, conc. min. Importatâ in recto, nego min. Deus ergo, ut consequibilis, ita respicitur à spe, ut in recto respiciatur Deus; consecutio verò solùm de connotato: quare id, quod immediatè, & ut objectum *quod* respicitur à spe, & de quo gaudet in Patria, est Deus non absolutè, sed ut connotans assecutionem sui. Sic qui sperat acquirere pecuniam, habet pro objecto immediato ipsam pecuniam, connotatâ tamen pecuniæ acquisitione, seu pecuniâ ut habendâ.

Ad secundam eodem modo dist. min. Desperatio enim desperat boni divini consecutionem, importando bonum divinum in recto, & consecutionem de connotato.

Ad tertiam eodem modo respondeo. Spes enim respicit Deum, ut bonum nostrum: non ita tamen, ut bonum nostrum sit finis specificativus, & cujus gratiâ; sed solùm finis effectus, & perfectibilis per ipsum Deum: sicut dicimus, Deum misisse Filium suum ad nostrum bonum, ut nempe, esset salus, & perfectio nostra.

DUBIUM II.

Quodnam sit Objectum Spei.

§. I.

Resolvitur de Objecto Immediato Quod.

I. Beatitudinem æternam esse id, quod spe theologicâ primariò speramus, omnibus compertum est. Sed quia beatitudo æterna alia est formalis; & hæc est actus, quo Deum consequimur, in quo actus creaturæ importatur in recto, & Deus in obliquo: alia verò est objectiva, & hæc est ipse Deus, ut consequutus, seu, ut consequibilis per actus nostros; in quo Deus importatur in recto, & consequutio de connotato: hinc est, quòd Durandus in 3. *dist.* 26. *q.* 2. putat,

putat, solam beatitudinem formalem, non verò objectivam, esse objectum primariò speratum à spe theologicâ. Alii verò conveniunt quidem in hoc, quòd solus Deus, seu beatitudo objectiva in recto sit objectum primarium spei; in modo tamen hoc explicandi diffident. Nos in sequentibus mentem nostram exponemus: & primò de objecto primario *quod*, deinde de objecto *quo*, seu de ratione formali *sub qua*

II. Dico primò. Objectum immediatum *quod*, & primariò inspectum à spe theologicâ non est beatitudo formalis, seu consequutio Dei in recto sumta. Hæc assertio constat ex dictis, *Dub. praced.* Nam spes virtus theologica est; ergo debet habere pro objecto primario, & immediato aliquid divinum in recto: sed beatitudo formalis non dicit in recto aliquid divinum, sed aliquid creatum, nempe, actum creatum consecutivum Dei; ergo &c. Et sanè: spes theologica, in ratione virtutis theologicæ, univocatur cum fide, & caritate; sed fides, ut vidimus, respicit immediatè, & in recto aliquid divinum, nempe, divinam veritatem, caritas autem, ut videbimus, divinam bonitatem; ergo &c.

III. Dices. Objectum immediatum, & primariò speratum debet esse aliquod arduum, possibile futurum: sed Deus non est in se bonum arduum, nisi in ratione assequibilis, seu ratione assecutionis, quæ est ardua, possibilis, & futura; ergo &c. Min. prob. Nam sicut paries non dicitur visus, nisi ratione visionis: sic Deus non dicitur arduus, futurus nobis, nisi ratione assecutionis, seu beatæ visionis.

IV. Respondeo, dist. min. Ratione assequutionis, tanquam conditionis connotatæ, con. min. Tanquam rei speratæ, nego min. Res enim sperata Deus est, qui quidem estò in se arduus non sit, nisi ratione assecutionis; non sit tamen, ut ipsa assecutio sit res sperata, sed applicatio, & conditio: ita ut res sperata sit Deus, non absolutè, sed ut connotat sui assecutionem arduam, possibilem, futuram Et propterea assecutio non est objectum, sed conditio objecti: sicut res visa, paries est, non absolutè, sed ut connotat visionem. Quare exemplum allatum de pariete potius nobis favet.

V. Dico secundo. Objectum immediatum, & primarium *quod* speratur per spem, est Deus, ut connotans tamen consecutionem sui, quæ per visionem sit: ita ut consecutio non sit objectum, nec pars objecti, sed tantùm conditio objecti. Conclusio hæc constat ex dictis. Spes enim virtus theologica est; ergo in objecto ejus primario nihil ingredi debet, quod non sit Deus — Secundò. Idem est objectum, quod primariò speramus per spem, ac illud, in quo primariò quiescemus in Patria, sicut idem est locus, in quem tendit lapis, dum gravitat, & in quo, dum non gravitat, quiescit: sed id, in quo primariò quiescet appetitus noster in Patria, erit solus Deus, quia solus ipse est infinitum bonum potens adæquatè satiare appetitum; ergo &c.

VI. Confirmatur, & refellitur Adversariorum responsio. Estò Deus non sit sperabilis, nisi ut assequibilis; adhuc non sequitur, quòd assecutio formalis ingrediatur rationem formalem objecti spei, sed solùm quòd sit conditio requisita, ut Deus sit objectum spei; ergo &c. Ant. prob. Assecutio Dei nil aliud est, quàm conjunctio Dei cum mentibus Beatorum; ergo non respicitur à spe, ut res sperata per se, & propter se, sed ut conditio, & aliquid ejus, quod primariò speratur. Sicut estò bonum non possit amari, nisi ut apprehensum; aprehensio tamen non est id, quod amatur per modum objecti, sed solùm est conditio objecti amati. Et ratio est. Quia sicut apprehensio non est de linea amabilis: ita neque assecutio, utpote quid creatum, non est de linea objecti primariò sperabilis per spem theologicam.

VII.

VII. Dices. Objectum primarium spei est Deus, ut à nobis possidendus, at nequit sperari Deus, ut possidendus, quin ipsa possessio speretur: Deus enim, ut possidendus, est concretum, cujus formale est possessio; ergo nequit, ut possidendus, primariò sperari, nisi ipsa possessio primariò speretur. Sicut nequit corpus, ut album, disgregare visum, quin albedo, quæ est formale illius concreti, concurrat formaliter ad disgregandum visum, & primariò.

VIII. Respondeo, dist. maj. Deus, ut possidendus, ita ut ratio possessionis sit motivum formale sperandi, nego maj. Ita ut sit tantùm conditio objecti primariò sperabilis. Con. maj. Neque est idem de albedine; illa enim est primariò visibilis: at possessio non est primariò sperabilis, sed sola bonitas Dei: quæ sicut seipsâ quietat in patria; ita seipsâ nos primariò excitat, ut tendamus in ipsam per spem.

IX. Si instes. S. Thom. hâc *q. 17. a. 2.* dicit: *Bonum, quod propriè, & principaliter à Deo sperare debemus, est bonum infinitum.... hoc autem bonum est vita æterna, quæ in fruitione ipsius Dei consistit;* ergo fruitio, quæ est actus creatus, rationem objecti formalis spei ingreditur.

Respondeo, dist. conf. Ingreditur tanquam connotatum, con. conf. Tanquam pars objecti, nego conf. Solùm enim sequitur, quòd objectum spei sit bonum infinitum, ut connotans sui possessionem: hoc enim est bonum infinitum, ut possidendum. Dici etiam potest, quòd sicut Deus visus est objectum quietis in Beato, sumtâ tamen visione pro visione objectivâ, non pro formali: ita Deus, ut possidendus, est objectum spei, sumtâ tamen possessione, pro possessione objectivâ, non pro possessione formali.

X. Dico tertiò. Bona creata, quæ ad beatitudinem conducunt, pertinent ad objectum secundarium spei Theologicæ. Ita S. Thom. hâc *q. 17. a. 2. ad secundum*, his verbis: *Spes principaliter quidem respicit beatitudinem æternam; alia verò, quæ petuntur à Deo, respicit secundariò in ordine ad beatitudinem æternam: sicut & fides principaliter quidem respicit Deum, & secundariò respicit ea, quæ ad Deum ordinantur.* Probatur etiam ratione. Virtus primariò tendens efficaciter in finem, secundariò respicit media ad finem conducentia: atque spes est virtus primariò tendens in beatitudinem objectivam, ut possidendam; ergo secundariò respicit bona creata ad beatitudinem conducentia.

§. II.

Resolvitur de Objecto Formali Quo.

XI. Dico. Objectum formale *quo* spei est omnipotentia Dei, ut auxilians. Probatur ratione desumtâ ex D. Thoma, hâc *q. 17. a. 6.* ubi docet: *Spes autem, & fides faciunt hominem inhærere Deo, sicut cuidam principio, ex quo aliqua nobis proveniunt: de Deo autem provenit nobis & cognitio veritatis, & adeptio perfectæ bonitatis. Fides ergo facit hominem Deo inhærere, inquantùm est nobis principium cognoscendi veritatem: credimus enim, ea vera esse, quæ nobis à Deo dicuntur. Spes autem facit Deo inhærere, prout est in nobis principium perfectæ bonitatis; inquantùm scilicet per spem divino auxilio innitimur ad beatitudinem obtinendam.*

Ex quibus sic. Sicut fides inhæret Deo, ut principio revelanti veritatem; ita spes nititur, ut principio auxilianti ad beatitudinem: sed Deus, ut revelans, est fidei ratio formalis credendi; ergo Deus, ut auxilians, est spei ratio formalis sperandi.

Confirmatur. Ideo prima veritas, ut revelans, est ratio formalis objectiva fidei; quia tota ratio, ob quam intellectus assentit his, quæ non videt, est, quia ea prima veritas revelavit: sed tota ratio, quare speramus beatitudinem, in sui consecutione arduam

arduam, nobis fore possibilem, est; quia illam in divina potentiâ nobis auxiliante confidimus obtinere; ergo &c. Min. explicatur. Fides proponit nobis beatitudinem arduam, & difficilem: hinc nos accendimur desiderio illam consequendi, imò & speramus illam consequi. Si quæram? Quid nos movet ad eam desiderandam? Respondebimus: bonitas ipsa beatitudinis. Sed si quæram? Cùm beatitudo sit ardua; quid nos movet ad illam sperandam? Respondebimus, & benè: quia, licèt sit ardua, divino tamen auxilio omnibus parato ejus arduitas superari potest. En ergo, quòd motivum, & ratio sperandi est Deus, ut auxilians. Quare patet, quòd spes sperat Deum in Deo: Deum, quia res primariò sperata est Deus: in Deo, quatenus non solùm est res sperata, sed etiam quia est ratio, motivum, & securitas spei. Unde Psalm. 30. v. 1. *In te Domine speravi, non confundar in æternum.* Et Psalm. 25. v. 1. *In Domino sperans non infirmabor.*

XII. Obstat tamen primò. Deus (ex dictis) ut auxilians, est principium, & causa efficiens assecutionis boni sperati: sed causa efficiens assecutionis boni sperati nequit esse ratio formalis specificativa spei: quis enim dicat, motum calefactionis tendentem ad assecutionem caloris specificari ab igne, qui effectivè causat calorem? Cùm ergo spes sit motus ad beatitudinem, quæ viribus, & auxilio omnipotentiæ acquiritur; quis dicet, motum spei ab omnipotentia specificari?

XIII. Respondeo, dist. min. Ut in executione efficiens est, con. min. Ut objectivè constituit bonum consequibile, nego min. Omnipotentia igitur auxilians, non solùm executivè efficit adeptionem beatitudinis; verùm objectivè constituit beatitudinem in ratione assequibilis: & hoc pacto constituit objectum spei, & sub hac ratione specificat spem — Neque est idem de motu calefactionis ad calorem, ac de motu spei ad beatitudinem. Nam motus calefactionis est ipsum fieri, & productio caloris; & ignis est causa effectiva non solùm caloris, sed etiam motus ad calorem; unde ignis nequit specificare motum: quia motus non specificatur à causa effectivâ, sed à termino, ad quem, & propter quem est. At motus spei non est ipsum fieri beatitudinis, sed firma tendentia, & prætensio illius; unde oportet, quòd habeat motivum talis prætensionis: hoc autem bonitas beatitudinis se solâ esse non potest. Licet enim hæc alliciat ad sui desiderium; quia tamen in ratione assequibilis ardua est, nequit seipsâ movere ad firmam prætensionem suæ acquisitionis; sed requiritur, ut, in ratione causæ moventis, constituatur per aliquid potens superare impedimenta, & difficultates, quæ reddunt illam arduam: hoc autem est omnipotentia auxilians.

XIV. Sed replicabis. Quando causa effectiva formæ est etiam causa motus ad formam, nequit esse ratio formalis specificans motum, ut nuper dicebamus: sed omnipotentia auxilians non solùm est causa assecutionis beatitudinis, sed etiam est causa motus spei ad illam; quia sine Dei auxilio nedum assequi non possumus, sed nec sperare beatitudinem; ergo &c.

XV. Respondeo, dist. cons. Ergo omnipotentia, ut auxilians, ad actum spei non potest &c., con. cons. Ut constituens beatitudinem in ratione sperabilis, nego cons. Ex hoc enim sequitur quidem, quòd omnipotentia, quatenus auxilians ad actum spei, non sit motivum formale sperandi: non tamen quòd non sit motivum sperandi eadem omnipotentia, quatenus auxilio suo reddit assequibilem beatitudinem, ut bonum speratum.

XVI. Obstat secundò. Quia Deus, ut auxilians, videtur potiùs destruere, quàm constituere objectum formale spei. Nam objectum spei debet esse arduum, & difficile: sed Deus, ut auxilians, destruit arduitatem, & ponit facilitatem; ergo &c.

XVII.

XVII. Respondeo, neg. assumtum. Deus enim auxilians destruit arduitatem, vincendo difficultates: unde non invertit objectum spei, sed solùm adjuvat infirmitatem nostram; ut ad illud, quamvis arduum, pervenire possimus. Hoc autem non est destruere, sed potiùs constituere beatitudinem in ratione objecti spei: quia si esset ardua, & nobis impossibilis, illam sperare non possemus.

XVIII. Obstat tertiò. Actus spei debet esse theologicus: atqui non redditur theologicus, per hoc, quòd speret bonum, ut Dei auxilio producendum; ergo &c. Min. prob. Actus, qui timet pœnam, sive temporalem, sive æternam, ut à Deo infligendam, non est theologicus; ergo à pari. Sicut enim præmium pendet ab omnipotentia Dei: ita & pœna, ac supplicium.

XIX. Respondeo, neg. minor. Ad prob. nego conf. Estò enim motivum formale timoris sit omnipotentia, ut potens infligere malum; tamen timor non est theologicus. Quia materia primaria timoris non est immediatè, & in recto ipse Deus; sed vel malum aliquid temporale, vel æternum, si sit timor pœnæ sensus: vel Deus tantùm de connotato, nempe, privatio Dei, si sit timor pœnæ damni. Ad hoc autem, ut timor esset actus theologicus, requireretur, ut non solùm motivum ad timendum esset Deus; sed etiam materia, circa quam primariò versatur, esset Deus in recto, ut supra vidimus. At respectu spei Deus non solùm est motivum sperandi, sed etiam res primariò sperata, ut ostensum est: & ideo actus spei est verè theologicus.

§. III.

Quæsita aliqua Proponuntur.

XX. Quæres primò: Utrum amor concupiscentiæ, quo amatur beatitudo, ut bonum nostrum, sit actus spei?

Respondeo negativè. Esto enim actus spei amorem illum præsupponat, & ex eo derivetur; non tamen est formaliter actus spei. Colligitur ex S. Tho. hâc q. 17. a. 8. ad 2. ubi ait: *Spes, & omnis motus appetitivus ex amore provenit aliquo, quo scilicet amat bonum expectatum.* Ex eo enim, quòd fides proponit nobis beatitudinem, nascitur in nobis amor, seu desiderium illam consequendi: sed quia proponitur nobis, ut ardua, & excedens vires nostras, hinc fit, quòd incipimus illam sperare medio auxilio divino. Scientes insuper, non ab alio, quàm à Deo, sperare nos posse auxilia ad beatitudinem, ex spe nascitur amor, quo Deum justitiæ nostræ auctorem, & fontem diligere incipimus: & iste amor à Concilio Tridentino, *Sess. 6. cap. 6.* ponitur tanquam ultima dispositio ad gratiam justificationis in Sacramento obtinendam.

XXI. Quæres secundò: An liceat, spe theologicâ sperare in homine?

Respondet S. Tho. hâc q. 17. a. 4. in solo Deo sperandum, tanquam causâ nostræ beatitudinis primariâ; quia ipse solus potest in eam ducere, sicut principale agens. Hinc 2. *Paralip.* 16. reprehenditur Asa, quòd fiduciam habuerit in Rege Syriæ, & non in Domino Deo suo. Et Jerem. 17. v. 5. *Maledictus homo, qui confidit in homine.* Addit tamen S. Doctor: *Licet autem sperare de aliquo homine, vel de aliqua creaturâ, sicut de agente secundario, & instrumentali; per quod aliquis adjuvatur ad quæcumque bona consequenda in beatitudinem ordinata: & hoc modo ad Sanctos convertimur, & ab hominibus etiam aliqua petimus.*

XXII. Quæres tertiò: An etiam in suis meritis possit homo aliquam spem ponere?

Respondeo affirmativè: dummodo magis confidat, ac speret in Deo, cujus dona sunt nostra merita. Prior pars, nempe, licitum esse in operibus, ex gratia Dei factis, aliquam spem, & fiduciam ponere, statuta est in Tridenti-

dentino contra Lutherum, aliosque hæreticos, *Sess. 6. Can. 26.* his verbis: *Si quis dixerit, justos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, expectare, & sperare æternam retributionem .... anathema sit*. Et Cap. 16. allegans illud Pauli, ad Hebr. 10. *Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem*, subjungit, docens: *Benè operantibus usque in finem, & in Deo sperantibus, proponendam esse vitam æternam; & tanquam gratiam filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissam, & tanquam mercedem ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddendam.*

Ex Scriptura quoque colligitur. Tobiæ 4. v. 12. *Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam.* Item 1. Joann. 3. v. 21. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum ..... quoniam mandata ejus custodimus &c.* Et 2. ad Timoth. 4. v. 7. & 8. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: In reliquo reposita est mihi corona justitiæ.* Hinc S. Ambrosius, *Serm. 3. in Psal. 188.* ait: *Innocentis est conscientia ab ipso, cui servieris, petere mercedem. Pete igitur confidenter, si merita suffragantur.* Et S. August. Præfat. in Psal. 31. *Ipsa caritas benè operantis dat ei spem bonæ conscientiæ.*

XXIII. Ratio quoque præstò est. Licitum est enim, spem ponere in illis rebus, quæ à Deo sunt ordinata, tanquam media necessaria, ad nostram salutem: sed merita bonorum operum sunt hujusmodi; ergo licitum est in eis spem ponere, ut mediis tamen, & causis instrumentalibus. Quæ doctrina tùm contra Sectarios tenenda est, nulla agnoscentes merita bonorum operum; de quo egimus *Tract. de Merito*. Tùm pro remedio adhibenda est contra illorum anxietatem, qui cum ad extremum vitæ perveniunt, desperatione tentantur. Si enim piè vixerint, in memoriam revocent sua opera Christi Domini meritis innixa, memores Ezechiæ, qui, *Isaia 38. v. 3.* sic orabat: *Obsecro, Domine, memento quæso, quomodo ambulaverim coram te, in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis, fecerim.* Ne autem tentetur præsumtione, recolat illud Jacobi 3. v. 2. *In multis offendimus omnes.* Ecclesiastæ 7. v. 21. *Non est homo justus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Et quòd multa peccata nos lateant, unde *Psal. 18. v. 13.* ait David: *Ab occultis meis munda me.* Si verò ita fuerint flagitiosi, ut vel nulla omnino, vel solùm pauca merita habeant; in sola Dei misericordiâ confidant, exemplo Latronis in Cruce pendentis.

XXIV. Sic tamen de propriis meritis sperare potest, ut principalem, ne dicam totam, spem in Deo, & Christi meritis homo reponat. Tùm quia: salus nostra à Dei misericordia per Christum originem sumit, & cujus gratiâ est omne meritum, quod in se reperit. Ut enim ait Gregorius, Homil. 8. super Ezech. *Quidquid in Sanctorum virtutibus agitur, ejus est gratiæ, qui merita largitur.* Et ut Cœlestinus Papa, & ex ipso Trident. *Sess. 6. cap. 16.* docet: *Tanta est Dei erga homines bonitas, ut nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona.* Quare dum omne suum meritum adscribit gratiæ, id, quod sperabit ex meritis, omnino sperabit ex gratia, & implebit Apostoli monitum, 1. Cor. 1. v. 31. *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Tùm etiam: quia contingere potest, ut quæ sibi videntur merita, verè merita non sint, sed solis naturæ viribus facta: & licèt sibi nullius peccati conscius appareat, adhuc tamen coram Deo justus non sit, juxta Pauli dictum, 1. Cor. 4. v. 4. *Nihil mihi conscius sum: sed non in hoc justificatus sum.* Quibus omnia Sectariorum argumenta evacuantur.

XXV. Quæres quartò: An objectum spei non solùm sit bonum nostrum, sed etiam possit esse bonum alie-

alienum: ita ut sperare beatitudinem proximo, sit actus spei theologicæ?

Respondeo, objectum spei per se, & directè esse solum bonum proprium; indirectè tamen, & ex aliquo præsupposito posse esse etiam bonum alienum. Priorem partem docuimus supra, *Dub.* 1. §. 1. ex S. August. Utramque docet S. Tho. hâc *q.* 17. *a.* 3. ubi postquam dixit, absolutè loquendo, spes est solius boni ardui ad se pertinentis, subjungit: *Sed præsupposità unione amoris ad alterum, jam aliquis potest sperare, & desiderare aliquid alteri, sicut sibi: & secundùm hoc potest sperare alteri vitam æternam, inquantùm est ei unitus per amorem. Et sicut est eadem virtus caritatis, quâ quis diligit Deum, se ipsum, & proximum; ita etiam est eadem virtus spei, quâ quis sperat sibi ipsi, & alii.*

XXVI. Si dicas primò. Velle bonum alteri, quem diligimus, est actus caritatis; ergo non spei.

Respondeo, quòd si hæc argumentatio valeret, concluderet, nec dari spem respectu nostri: nam etiam velle nobis beatitudinem, quæ est summum bonum, pertinere videtur ad caritatem. Sicut ergo beatitudo respectu nostri considerari absolutè potest, ut bonum nostrum; & sic terminat actum amoris concupiscentiæ, quo & nos, & proximum ordinatè diligimus: vel ut est bonum arduum, & obtentu difficile, ad quod proinde divini adjutorii ope indigemus, & ei unicè innitimur: & hac ratione terminat actum spei. Similiter beatitudinem, ut est bonum proximi, per amorem ei concupiscimus; ut verò est bonum excelsum, ac difficile, per spem eam illi volumus, & quantum possumus, ei cooperamur, tanquam esset bonum nostrum. Unde Paulus 2. *Cor.* 1. *v.* 7. ait: *Ut spes nostra firma sit pro vobis.* Et v. 13. *Spero autem, quòd usque in finem cognoscetis.* Item c. 10. v. 15. *Spem autem habentes crescentis fidei vestræ &c.* Idem ad *Galat.* 5. *v.* 10. & alibi.

XXVII. Noto tamen: quòd dum S. Thomas dicit, aliquem posse alteri sperare vitam æternam, inquantùm est ei unitus per amorem, non requirit, quòd sit unio per caritatem, sed per amorem: amor autem latiùs patet, quàm caritas. Ideoque hâc q. 17. art. 8. ad 2. *Spes* (inquit) *& omnis motus appetitivus ex amore provenit aliquo, quo scilicet aliquis amat bonum expectatum. Sed non omnis spes provenit à caritate.* Qui ergo, vel per amorem naturalem, vel per aliquem alium bonum affectum unitus est alteri, amans ejus bonum, tanquam aliquo modo suum; potest tùm sibi, tùm illi ex misericordia, & auxilio Dei sperare beatitudinem, etiamsi non sit in caritate.

XXVIII. Dices secundò. Si sperare alteri beatitudinem esset actus spei theologicæ, sequeretur, quòd si de salute proximi desperaret, amitteret habitum spei; virtus enim infusa per unum actum oppositum destruitur: sed hoc est falsum: potest enim de sua salute sperando, desperare de aliena, puta, de salute Antichristi; ergo &c.

Respondeo, majorem esse veram, si de salute proximi desperaret, de auxilio, & omnipotenti misericordia Dei diffidens: sic enim rationem formalem spei penitus destrueret. Secus verò, si de aliena salute desperaret ex certa malitiæ, & obstinationis reprobi alicujus notitiâ, sicut de salute Antichristi desperamus.

QUÆSTIO II.

De Subjecto Spei.

DE hoc agit S. Thom. hâc 2. 2. *q.* 18. & nos cum eo in præsenti tractabimus: non quidem de subjecto *Quo*, nimirùm, de potentia, in qua resideat spes: hanc enim ex D. Th. hìc *a.* 1. supponimus esse voluntatem, cùm actus spei sit motus partis appetitivæ rationalis. Sed loquemur de subjecto *Quod*, nempe, de supposito.

DU-

DUBIUM I.

An in Beatis sit Spes: & an fuerit in Christo?

§. I.

Quædam Supponuntur.

I. De spe tàm quoad habitum, quàm quoad actum sermo erit. Hanc suppono non esse in Deo, nedum circa bona Deo intrinseca, quia cùm Deus ita perfectissimè ea possideat, ut non possit non possidere, est incapax ea sperandi; quia spes essentialiter est de bono nondum obtento: sed etiam circa bona Deo extrinseca, quæ Deus ab æterno non possidet, ut sunt honor, gloria, aliaque obsequia, quæ ipsi ab hominibus exhibentur in tempore. Nam esto ejusmodi bona Deus ab æterno non possederit; non tamen circa illa potuit in Deo esse spes. Primò. Quia Deus semper habuit judicium clarum, & infallibile de talium bonorum futuritione: cum judicio autem claro, seu cum clara visione rei futuræ non componitur spes. Secundò. Quia talia bona sunt divinæ voluntati plenissimè subiecta; ergo non sunt illi ardua: quod necessariò requiritur ad spem. Ad dubium ergo veniendo

II. Tripliciter potest agitari quæsitum, an in Beatis sit spes. Primò: An in illis maneat idem habitus, & virtus, quæ in via dicebatur spes. Secundò: An in illis maneat aliquis actus spei theologicæ elicitus ab auxilio speciali. Et tertiò: An saltem maneat aliquis actus spei respectu gloriæ proprii corporis, aut respectu continuationis suæ beatitudinis.

§. II.

Resolvitur de Beatis.

III. Dico primò. In Beatis non manet idem habitus, aut virtus, quæ in via dicebatur spes. Colligitur ex illo Rom. 8. v. 24. *Spes autem, quæ videtur, non est spes: nam quod videt quis, quid sperat?* Sed Beati in Patria beatitudinem videndo possident; ergo eam sperare amplius non possunt. Id enim, quod de ratione sui importat imperfectionem ex parte subjecti, non potest manere in subjecto opposità perfectione jam perfecto: sed spes de ratione sui hanc imperfectionem ex parte subjecti importat, ut subjectum nondum videat, & nondum teneat, quod sperat; ergo in Beatis, qui Deum tenent, ac possident, spei virtus esse non potest. Ita ex S. Thom. 1. 2. *q.* 67. *a.* 4. Probatur autem ratione S. Thom. hoc *a.* 2. sic. Subtracto objecto formali habitus, aut virtutis non potest remanere habitus, aut virtus: sed objectum formale habitus, seu virtutis spei subtrahitur à Beatis: hoc enim est Deus, ut possibilis haberi ex divino auxilio, seu beatitudo æterna, ut bonum arduum futurum: de facto autem Beati Deum possident, & beatitudo non est illis futura, sed præsens; ergo &c. Hinc estò in Beatis remaneant virtutes morales, quas habuerunt in via, estò non secundùm actum; quia objectum specificativum earum non repugnat statui beatitudinis: non tamen remanere potest spes, sicut nec fides, etiam quoad habitum.

IV. Dices. Sicut adeptio beatitudinis est quoddam bonum arduum, ita etiam ejus continuatio: sed homines antequam beatitudinem adipiscantur, habent spem de beatitudinis adeptione; ergo postquam sunt beatitudinem adepti, possunt sperare beatitudinis continuationem.

V. Respondet S. Thom. hâc *q.* 18.

a. 2. *ad* 2. neg. conf. Quia Sanctorum beatitudo actu possessa est tota simul immutabiliter permanens: inquantum enim sunt beati, æternitatem participant, in qua non est præteritum, nec futurum: *Beatitudo* (inquit) *Sanctorum est vita æterna, quia per hoc, quòd Deo fruuntur, efficiuntur quodammodo participes æternitatis divinæ, quæ excedit omne tempus: & ita continuatio beatitudinis non diversificatur per præsens, præteritum, & futurum. Et ideo Beati non habent spem de continuatione beatitudinis, sed habent ipsam rem: quia non est ibi ratio futuri.* Quod non est simile in viatoribus: quamvis enim in beatitudine nihil sit futurum secundùm se; ipsa tamen est futura illis, qui nondum eam participant, quatenus eam sunt participaturi.

VI. Aliter respondet idem S. D. Q. *unica de Spe a.* 4. *ad* 3. Nimirum, quòd continuatio beatitudinis in eo, qui eam possidet, non habet rationem ardui: quia secum affert necessitatem non peccandi, & semper in eodem statu permanendi: quod non est simile de confirmatis in gratia. Nam hi, estò certi sint de sua beatitudine; adhuc tamen illis est futura, & ardua.

VII. Dico secundò. Nec manet in Beatis actus spei theologicæ elicitus ab auxilio actuali. Prob. Nam in Beatis non manet actus principalis spei theologicæ; quia non manet objectum ejus specificativum, nempe, Deus, ut nondum possessus, sed possidendus, ut dictum est. Nec etiam manent actus circa alia objecta secundaria, qui sunt veri actus spei; ut sequenti Assertione ostendemus.

VIII. Neque dicas. Beati sibi complacent in sua beatitudine, ut est bonum sibi: sed talis complacentia non potest esse caritatis, quæ respicit Deum, ut bonum in se, non ut bonum ipsi amanti; ergo erit actus spei. Respondeo enim, neg. min. Complacentia enim illa est actus caritatis saltem secundarius. Amor enim concupiscentiæ in Patria (si amor concupiscentiæ est) à caritate procedit; quia amando primariò Deum in se, amat consequenter divinam bonitatem, ut in seipso participatam, eamque gaudet in se habere inamissibiliter: unde amor ille à Deo incipit, & ad Deum redit.

IX. Dico tertiò. In Beatis neque circa gloriam proprii corporis, quam expectant, neque circa beatitudinem aliorum, quam desiderant, datur actus, qui sit verè, & propriè actus spei.

Quoad gloriam corporis docet S. Th. 1. 2. *qu.* 67. *a.* 4. *ad* 3. his verbis: *Respectu autem gloriæ corporis in animabus Sanctorum potest quidem esse desiderium, non tamen spes propriè loquendo. Neque secundùm quod spes est virtus theologica: sic enim ejus objectum est Deus, non autem aliquod bonum creatum. Neque secundùm quòd communiter sumitur; quia objectum spei est arduum, ut supra dictum est: bonum autem, cujus jam inevitabilem causam habemus, non comparatur ad nos in ratione ardui. Unde non propriè dicitur aliquis, qui habet argentum, sperare, se habiturum aliquid, quod statim in potestate ejus est, ut emat. Et similiter illi, qui habent gloriam animæ, non propriè dicuntur sperare gloriam corporis, sed solùm desiderare.* Quoad salutem verò aliorum idem docet in 3. *dist.* 26. *qu.* 2. *a.* 5. *quæstiunc.* 2. ubi asserit: In Beatis circa salutem aliorum non esse spem, sed desiderium largè sumtum.

Differentiam autem inter desiderium, & spem tradit S. Tho. 1. 2. *q.* 40. *a.* 1. ex objecto. Nam objectum spei requiritur, quòd sit aliquid arduum cum difficultate adipiscibile: non enim aliquis dicitur sperare minimum, quod statim est in sua potestate, ut habeat: & per hoc differt spes à desiderio, vel cupiditate, quæ est de bono futuro absolutè. Unde pertinet ad concupiscibilem: spes autem ad irascibilem.

lem. Cùm ergo gloria proprii corporis, ficut & falus aliorum, habentis gloriam effentialem, nempe, Deum, quid parvum fit, cùm utrumque fit creatum; cumque infuper Beatus ratione fui ftatus gaudeat fecuritate obtinendi omnia, quæ defiderat, & rurfus habeat caufam inevitabilem gloriæ fui corporis obtinendæ; & cooperari ad falutem aliorum ei facile fit, imò & obtinere eam à Deo, nifi per nos fteterit: ideo refpectu horum habet quidem deiiderium, fed non fpem.

X. Si autem quæras: à qua virtute hoc defiderium in Beatis procedat? Refpondeo, procedere ex virtute caritatis. Omnia enim præfata ab illis, dum erant viatores, volita erant per caritatem, & per fpem. Per caritatem quidem, quatenus erant bona ipforum, vel aliorum: per caritatem enim optamus bona omnibus, quos diligimus ex caritate, nobis fcilicet, & proximis, ut docet S.Thom. 2. 2. *q.* 25. *a.* 2. Per fpem verò, quatenus erant bona ipforum, vel aliorum ardua. Evacuatâ ergo fpe, & ceffante arduitate, remanent ut purum caritatis objectum; & fic omnes præfati actus caritatis funt.

XI. Sed dices. Deftructo fundamento, & pariete deftruitur tectum: fed in ædificio fpirituali fides fe habet, ut fundamentum, fpes, quæ erigit, ut paries; ergo fi tollantur fides, & fpes, non manebit caritas, quæ quafi tectum operit multitudinem peccatorum.

XII. Refpondeo, confequens verum effe, fi tollatur fides, & fpes quantùm ad id, quod perfectionis in eis eft, ut tolluntur per infidelitatem, & defperationem. Secus verò fi tollantur per adventum perfectioris, nempe, fides per lumen clarum, & fpes per comprehenfionem. Eftò autem fides, & fpes fint fundamentum, & paries fuftinens caritatem in ftatu imperfecto viæ; in ftatu tamen confummato, & perfecto Patriæ, fundamentum erit clara vifio, & paries poffeffio ejufdem, quibus caritas incumbet.

§. III.

Refolvitur de Chrifto Domino.

XIII. Dico primò. In Chrifto non fuit fpes virtus theologica. Ita S.Tho. 3. *p. q.* 7. *a.* 4. & probat. Quia fpes virtus theologica habet pro objecto ipfum Deum, cujus fruitionem principaliter expectat: fed Chriftus non expectavit fruitionem Dei clarè vifi, fed à primo inftanti fuæ conceptionis ftatim habuit; ergo non fuit in eo fpes theologica.

XIV. Dico fecundò. Refpectu aliquorum fperabilium creatorum, quæ nondum erat adeptus, puta, gloriam, & immortalitatem proprii corporis, potuit Chriftus dici habuiffe fpem communiter dictam, non tamen theologicam. Ita S.Thom. laudatus. Prior pars probatur. Nam Chriftus potuit habere fpem de iis, quæ nondum habebat: fed nondum habebat corporis immortalitatem, & gloriam; ergo &c.

Secunda verò pars probari poteft ex dictis. Nam fpes verè theologica refpicit, ut principale objectum, Deum nondum poffeffum: fed Chriftus, qui ab initio Beatus fecundùm animam perfectè poffidebat Deum, de Deo fpem habere non poterat; ergo fpes, quam de aliis habebat, non erat verè theologica. Sicut ergo fides theologica non eft de quocumque non vifo, fed folùm de Deo: ita etiam fpes, inquantùm eft virtus theologica, non eft de quocumque non habito, & proinde fperato; fed de ipfo Deo, cujus fruitionem homo principaliter expectat per fpei virtutem.

XV. Ex his tamen ne inferas, quòd ficut Chriftus de aliquibus habuit fpem largo modo: ita etiam de aliquibus habuerit fidem. Non, inquam. Nam, ut obfervat S. Tho. citato loco ex 3. *p.* fides eft de non vifis, feu de nondum clarè cognitis; fpes autem eft de nondum habitis: Chrifto autem nihil erat obfcurè cognitum, fed omnia plenè, & cla-

& clarè cognoscebat: non omnia tamen statim perfectè adeptus fuerat, sed aliqua ad corpus spectantia ei supererant adipiscenda. Unde in Christo nullus locus erat fidei respectu quorumcumque; locus tamen erat spei, saltem largè, respectu aliquorum.

XVI. Neque tandem inferas, quòd cùm Christus esset Beatus, nullus locus erat spei, sicut diximus in Beatis non esse. Nam discrimen est inter Christum, & Beatos. Hi etenim estò nondum possideant gloriam proprii corporis, & aliqua alia; adhuc tamen ea non sperant, quia illis non repræsentantur ut ardua. At Christo gloria sui corporis, & immortalitas repræsentabatur ut ardua; quia licèt illi esset debita vi beatitudinis, quâ secundum animam fruebatur: divinâ tamen dispensatione ab illo comparanda non erat, nisi per passionem Crucis, & mortem: dicente ipso, Lucæ 24. v. 26. *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?*

DUBIUM II.

An in Damnatis, & Animabus, quæ fuerunt in Limbo, & modò sunt in Purgatorio, sit Spes Theologica?

§. I.

Resolvitur de Damnatis.

I. Dico. In Damnatis non est spes. Ita S. Tho. hâc *q.* 18. *a.* 3. cujus ratio est. Sicut ad perfectam, & veram beatitudinem requiritur, ut aliquis sit certus de suæ beatitudinis perpetuitate; alioquin voluntas non quietaretur, si apprehendere posset, eam aliquando defecturam, vel posse deficere: ita ad veram, & rigorosam rationem pœnæ requiritur, ut Damnatus sit certus de suæ damnationis perpetuitate; alioquin voluntas ei non omnimodè repugnaret, si posset apprehendere, eam aliquando defuturam, vel deficere posse, vel saltem eam nunquam defuturam ignoraret.

Ex quibus ita discurro. Damnati in Inferno non possunt apprehendere beatitudinem, ut bonum illis possibile in praxi. Quamvis enim per absolutam Dei potentiam possent ab Inferno liberari, habent tamen judicium certum, hanc liberationem illis non esse futuram in praxi: pœnæ enim Damnatorum finem habituræ non sunt, ut contra Origenem ostensum est, *Tom. 6. in 1. p. Qu. 9. de Pœna Ang. Dub. 5.* Sed cum judicio certo de non futuritione rei non potest stare spes, cujus objectum debet esse aliquid in praxi possibile futurum; ergo &c. Quòd si ut probabile refertur, aliquos ab Inferis fuisse liberatos (cujus oppositum fortè probabilius est) non proinde colligi potest, in Damnatis posse esse spem. Tùm quia: isti de sua futurâ suscitatione nihil antea sciverunt. Tùm quia: tales non erant simpliciter Damnati, sed in Inferno depositati, ut in 4 *dist.* 45. *q.* 2. *a.* 2. *qu.* 1. *ad* 5. dicitur.

II. Probatur etiam. Quia spes causat gaudium, secundùm illud, Rom. 12. v. 12. *Spe gaudentes:* sed in Damnatis nullum est gaudium, sed summus dolor, & tristitia; ergo &c. Unde *Proverb.* 11. *v.* 7. dicitur, quòd *Mortuo homine impio non erit ultra spes.* Omnia enim supernaturalia dona à Damnato auferentur, & etiam quæcumque bona, in quibus ante confidebat.

III. Sed dices primò. *Job.* 40. *v.* 28. de Diabolo dicitur: *Spes ejus frustrabitur eum.*

Respondeo primò, quòd Scriptura ibi ad litteram loquitur de Ceto marino, qui licèt magnæ sit quantitatis, & fortitudinis; dum tamen pisces persequitur sperans, & expectans eorum capturam, interdum suâ expectatione frustratur: adeo ut excurrens eò, ubi pauca est aqua, neque inde valens evadere, mori ipse cogatur.

Ref-

Respondeo secundò cum D. Tho. hoc *a.* 3. *ad* 1. quòd, vel *sicut Gregorius dicit* 33. *moral. c.* 19. *hoc dicitur de Diabolo secundùm membra ejus, quorum spes annullabitur. — Vel si intelligatur de ipso Diabolo, potest referri ad spem, quâ sperat, de Sanctis victoriam obtinere, secundùm illud, quod supra præmiserat:* habet fiduciam, quòd Jordanis influat in os ejus. *Hæc autem non est spes, de qua loquimur.*

IV. Dices secundò. Si quis moriatur in errore Origenis, quòd Damnati aliquando liberabuntur, videtur habiturus spem: nam error ille perseverabit in Inferno — Respondeo, negando, quod erronea spes in illo perseveraret: in Inferno enim positus errorem suum agnosceret, idque in sui irreparabile exitium.

V. Dices tertiò. Multi, qui damnantur, in hac vitâ, habuerunt, & conservarunt usque ad mortem spem; ergo ab eo post mortem non tollitur, cùm post mortem nullum sit demeritum.

Respondeo cum S. Tho. hoc *a.* 3. *ad* 3. neg. conf. Nam *defectus spei in in Damnatis non variat demeritum, sicut nec evacuatio spei in Beatis auget meritum: sed utrumque contingit propter mutationem status.*

VI. Dices quartò. In Damnatis, & Dæmonibus manet fides informis: cur ergo non manebit spes informis?

Nego in primis ant. Ut enim ostendimus, fides, quæ est in Dæmonibus, & Damnatis, non est fides theologica adhuc informis, sed fides naturalis, & coacta ex evidentiâ signorum. Verùm quia aliqua saltem fides manet in Damnatis, nulla autem spes: respondeo cum S. Tho. hoc *a.* 3. *ad.* 2. quòd *Sicut August. dicit in Enchirid. c.* 8. Fides est malarum rerum, & bonarum, & præteritarum, & præsentium, & futurarum, & suarum, & alienarum. Sed spes non est nisi rerum bonarum futurarum ad se pertinentium. *Et ideo magis potest esse fides informis in Damnatis, quàm spes; quia bona divina non sunt eis futura possibilia, sed sunt eis absentia.*

§. II.

De Animabus olim in Limbo, & nunc in Purgatorio existentibus.

VII. Dico. In animabus olim in Limbo, & modò in Purgatorio positis spes theologica statuenda est. Probatur ex D. Tho. in 3. *dist.* 26. *q.* 2. *a.* 5. *quæst.* 3. Spem enim mansisse in Patribus, qui erant in Limbo, constat, eò quòd beatitudo adhuc erat illis absens, & futura ardua, quia supra eorum vires: atque adeo in illis locum habebat ratio formalis objecti spei, & proinde ipsa spes. Accedit: quòd in iis, qui justitiam retinent, spes non evacuatur, nisi per hoc,quòd actu habeant id, quod speraverunt. Cùm ergo illi, qui erant in Limbo, justitiam retinerent; similiterque eam retineant, qui modò sunt in Purgatorio, nec tamen actu habeant beatitudinem, quam speraverunt, sed illis adhuc sit futura, & ardua: dicendum est, quòd spes, quam in hac vitâ habuerunt, non fuerit evacuata.

VIII. Neque obest, quòd qui fuerunt in Limbo, & qui sunt in Purgatorio, securi sint de sua beatitudine: hoc enim non tollit rationem spei. Primò. Quia certitudo de salute consequendâ non evacuat spem, ut patet in B. Virgine, quæ certa erat de sua salute: & tamen constat, habuisse spem. Secundò. Quia beatitudo adhuc illis repræsentatur ut ardua; nondum enim habent evidentiam de illius adeptione, sed solùm cognitionem obscuram per fidem: dum autem intellectus non convincitur per evidentiam, adhuc ambulat per fidem, & spem. Tertiò. Quia estò certi, quòd gloriam consequentur; sunt tamen certi, quòd illam non consequentur, nisi transeundo priùs per gravissimas pœnas. Sicut Christus, esto certò, imò evidenter sciret,

ret, se consecuturum gloriam proprii corporis; quia tamen sciebat, se ad illam non perventurum, nisi per Passionem, & Mortem, illi erat ardua, & aliquomodo sperabilis, ut diximus. Quartò. Quia estò tam Patres in Limbo certi essent, & modò in Purgatorio certi sint de consecutione gloriæ aliquando futurâ: non tamen certi sunt, sed ignorabant, & ignorant tempus consecutionis, ex quo ardua illis repræsentabatur, & modò repræsentatur.

DUBIUM III.

In quibus sit Spes in hac Vita; & an sit Certa.

§. I.

Resolutio Prioris Partis.

I. Dico primò. Spes theologica invenitur in omnibus Justis viatoribus, & etiam in omnibus illis Fidelibus, qui tametsi malè vivant, non desperant tamen, neque præsumant, solis suis viribus veniam, aut gloriam consequi, vel solâ Dei misericordiâ absque ullis bonis operibus.

Pars prior manifesta est *Rom. 5. v.* 2. ubi de Justis per gratiam dicitur: *In qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei*. Rom. 8. v. 24. *Spe enim salvi facti sumus*. Et 1. Petri 1. v. 3. *Secundùm misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam*. Unde Trident. *Sess. 6. c. 7.* docet, quòd *In ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & caritatem*. Quare meritò ab Innocentio XII. 12. Martii, anno 1699. damnatæ fuerunt multæ propositiones, quæ à Justis perfectis excludebant omnes actus tùm timoris, tùm spei, tùm proprii interesse; quarum prima erat: *Datur habitualis status amoris Dei, qui est caritas pura, & sinè ullâ admixtione motivi proprii interesse. Neque timor pœnarum, neque desiderium remunerationum habent ampliùs in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam.*

Interesse enim proprium, quod ad Dei gloriam ultimò refertur, non lædit puritatem caritatis, sed legi, & ordini ejus est conforme. Primò. Quia si ex lege caritatis debemus velle bonum proximo, eâdem lege, & ordine debemus velle bonum nobis, seu ut nobis benè sit. Secundò. Quia caritas, quantumcumque perfecta sit, non excludit, sed potiùs præcipit amorem sui, & aliorum propter Deum. Et hoc maximè, quando bonum, quod nobis volumus, non est distinctum ab ipso Deo, sed est ipse Deus, ut à nobis possidendus, quo modo amamus, & volumus per spem. Hinc S. August. in Ps. 72. *Factum est* (inquit) *cor castum: gratis jam amatur Deus. Non ab illo petitur aliud præmium. Qui aliud præmium petit à Deo, & propterea servire vult Deo, carius facit, quod vult accipere, quàm ipsum, à quo vult accipere. Quid ergo, nullum præmium Dei? Nullum præter ipsum. Præmium Dei ipse Deus est. Hoc amat, hoc diligit. Si aliud dilexerit, non erit castus amor &c.*

II. Posterior autem pars, nempe, spem manere in Fidelibus, licet peccatoribus, non est quidem à Tridentino apertè definita, sicut definitum est, manere fidem: colligitur tamen ex ejus doctrina, *Sess. 6. c. 6. & Sess. 14. c. 4.* ubi spem in peccatore agnoscit: imò eam requirit, ut ad justificationem se disponat. Et *Sess. 6. Can. 3.* dum sperare, ut oportet ad justificationis gratiam consequendam, vult, esse non posse sinè præveniente Spiritus Sancti gratiâ; sentit, spem, quæ in peccatore nondum justificato manet informis, quia sine caritate, adhuc esse donum Dei. Eadem est doctrina S. Thom. 2. 2. *q.* 17. *a.* 8. ubi agnoscit spem, quæ sit prior caritate *q.* 18. *a.*

18. *a.* 4. *ad* 2. ubi docet, ſpem non inniti principaliter gratiæ jam habitæ: & *ad* 3. aliquos habentes ſpem deficere à beatitudine. Tùm etiam 1. 2. *q.* 65. *a.* 4. ubi expreſsè docet, fidem, & ſpem quantùm ad ſubſtantiam virtutis, eſtò non quantùm ad ſtatum perfectum, eſſe poſſe ſinè caritate. De quo videri poſſunt dicta ſuperiùs de fide, Q. 3. *Dub.* 4. & *Tom.* 1. *in* 1. 2. *Tract. de Virtut.* Q. 3. *Dub.* 4.

III. Habet ergo ſpem theologicam etiam peccator fidem ſervans; non quia ſperet, ſe, dum manet in ſtatu peccati, poſſe conſequi beatitudinem: ſed quia ſperat, ſe per miſericordiam Dei eruendum à ſtatu peccati, & transferendum ad ſtatum gratiæ, quâ poſſit beatitudinem mereri.

Quamvis autem cæteræ virtutes morales infuſæ in peccatore non maneant; voluit tamen Deus, ut in eo maneret fides, & ſpes, quæ ſunt velut ſemina, & prima principia vitæ ſpiritualis: & hoc, ut in eo eſſet aliquid, quo, accedente Spiritus Sancti motione, faciliùs poſſet à peccato reſurgere.

Et demum, quamvis in peccatore non ſit amor caritatis, poteſt in eo eſſe ſpes. Nam, ut ſupra dicebamus, ex D. Tho. *q.* 17. *a.* 8. *ad* 2. & *Qu. unicâ de Spe*, *a.* 3. *ad* 4. ſpes quidem *præſupponit aliquem amorem; non tamen oportet, quòd præſupponat amorem caritatis, ſed amorem ſui ipſius, quo quis optat ſibi bonum divinum*. Poteſt enim peccator ſic affici erga Deum, per fidem ſibi propoſitum ut glorificatorem; ut quamvis eum nondum anteponat omnibus aliis bonis, diligere tamen incipiat, ut ſummum bonum, quo deſideret frui.

IV. Dico ſecundò. In hæreticis non manet ſpes theologica. Probatur. Sublato fundamento cætera deſtruuntur: ſed in hæreticis, ut diximus, non manet fides, quæ eſt fundamentum, ſuper quod erigitur ſpes; ergo in eis non manet ſpes. Præterea: ut aliquis habeat ſpem theologicam, oportet, ut innitatur auxilio Dei, per media ad finem ſperatum à Deo inſtituta: ſed hæreticus mediis non innititur à Deo inſtitutis, ſed ea eligit, quæ ſua exiſtimatio ſibi confixit; ergo &c.

§. II.

Quali certitudine gaudeat Spes.

V. SPem viatorum debere eſſe firmam, & certam, prædicant Scripturæ, præſertim 2. *ad Timoth.* 1. *v.* 12. ubi Paulus: *Non confundor* (inquit) *ſcio enim, cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſervare in illum diem*. Et ad Hebr. 6. v. 18. *Confugimus ad tenendam propoſitam ſpem: quam ſicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam*. Unde Concil. Trident. Seſſ. 6. c. 13. docet, quòd Juſti *in Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare, & reponere omnes debent*. Cæterùm, quomodo intelligenda ſit hæc certitudo, non omnes conveniunt. S. Tho. hâc *q.* 18. *a.* 4. docet, ſpem eſſe ſolùm participativè certam, certitudine participatâ à fide. Nam certitudo eſſentialiter invenitur in vi cognoſcitivâ, & participativè in omni eo, quod à vi cognoſcitivâ movetur ad finem ſuum: cumque fides, quæ eſt in vi cognoſcitivâ, certitudinem habeat de divinis promiſſionibus, earumque implemento, eaſque ſic proponat voluntati, movet eam ad illas ſperandas, ut certò implendas, & futuras.

VI. Cæterùm, ut certitudo ſpei meliùs percipiatur, ſciendum eſt, certitudinem triplicem eſſe poſſe: nempe, conditionatam, quâ aliquid dicitur certum, non abſolutè, ſed quia altero poſito infallibiliter ſequitur: quo modo filius dicitur certus hæres ſui patris, quia poſito, quòd ſit patri ſuperſtes, neque agat aliquid exhæredatione dignum, hæreditatem adibit. Alteram abſolutam, quâ aliquid abſolutè, ideſt, nullâ poſitâ conditione,

certò, & sinè hæsitatione eveniet: sicut certum est, omnes mortuos surrecturos, & omnes Sanctos cum Christo in æternum regnaturos. Tertiam, quâ id certum dicitur, quod vel naturæ instinctu, vel ex animi inclinatione ferè semper uno modo fit: quomodo certum dicitur, quòd sobrius aget sobriè, & justus justè.

VII. Primam igitur certitudinis speciem convenire spei, certum est. Omnis enim, qui sperat vitam æternam, certus est, quòd illam assequetur; posito quòd fecerit omnia, quæ ad ejus consecutionem requiruntur: hoc est, si in justitia perseveraverit usque in finem. Nititur autem hæc certitudo, tùm veritati divinæ, quæ nec falli, nec fallere potest: tùm omnipotentiæ, quæ nequit impediri: tùm bonitati divinæ, quæ tanta est, ut Pater proprio Filio non pepercerit, sed pro nobis tradiderit illum.

VIII. Porro secunda certitudo, hoc est, absoluta non perfectè convenit spei, sed solùm ex parte. Si enim spectetur spes, quatenus nititur divinæ promissioni, omnipotentiæ, & bonitati, ex hac parte habet absolutam certitudinem: ideoque certissimè expectamus beatitudinem, ut juxta divina promissa possibilem: quod Paulus, 2. *ad Timoth.* 1. *v.* 12. spectavit, dum ait: *Scio enim, cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem.* Nec de hoc dubitare sinit fides Christiana. At si spectetur spes, quatenus respicit nostra merita, vel in meritis perseverantiam, ex hac parte certitudinem non habet: quia sperans non est certus, se vel merita habere, vel in bonis meritis perseveraturum.

Hæc cùm ita sint, manifestum est, inane esse hæreticorum commentum, quos, *Tomo* 3. *in* 1. 2. *Tractatu de Justific.* rejecimus: nimirum, spem Christianam habere absolutam securitatem salutis, & hac certitudine debere sperare omnes Fideles. Nam Deus non absolutè promisit unicuique nostrum vitam æternam, sed si vigilaverimus, si mandata ejus custodierimus, si usque in finem in bono perseveraverimus. Quas conditiones cùm nemo scire possit, in se esse adimplendas; sequitur, quòd nec de consecutione rei promissæ omnino certus, ac securus esse possit. Quapropter Paulus, ad Philipp. 2. v. 12. *Cum metu* (inquit) *& tremore vestram salutem operamini.* 1. Cor. 10. v. 12. *Qui se existimat stare, videat, ne cadat.* Et ad Hebr. 4. v. 1. *Timeamus ergo, ne forte relictâ pollicitatione introeundi in requiem ejus, existimetur aliquis ex nobis deesse.* Unde ipse, 1. *Cor.* 9. *v.* 26. *&* 27. certus de divinis promissis, dicit: *Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aerem verberans.* Deinde de se ipso incertus, subjungit: *Sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne fortè, cùm aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.*

IX. Tertia certitudo etiam spei jure convenit. Nam sicut quælibet alia virtus infallibiliter inclinat ad proprium actum, ita spes. Sicut enim temperantia sic temperantis animum afficit, ut ad sobrias, & pudicas actiones promtè, constanter, & certò feratur: ita spes animum sperantis erigit ad æternam felicitatem certo, & determinato modo expectandam, ex gratia, nempe, & meritis gratiâ comparatis. Hæc autem spei certitudo oritur ex judicio fidei: cùm enim fides judicet, quòd Deus, qui promisit beatitudinem obtemperantibus, sit verax, & omnipotens; oritur certa beatitudinis expectatio sub conditione, sub qua est promissa. Et cum eadem fides judicet, quòd beatitudo non dabitur, nisi benè operantibus per auxilium gratiæ; oritur expectatio ejusdem ex gratia, & meritis gratiæ.

X. Concluditur ex dictis, spem per se, & ex sua ratione formali objectivâ habere omnimodam certitudinem, & indefectibilitatem eventus. Quòd si interdum à certitudine deficit, & ab eventu rei speratæ; hoc est ex parte

re subjecti, & per accidens, nempe, liberi arbitrii declinantis in peccatum. Sicut ignis habet per se absolutam certitudinem calefaciendi: & tamen interdum deficit per accidens ex aliquo impedimento, quod objicitur. Uno verbo. Spes non dicitur certa, quasi vel habitus spei, vel merita non possint deficere: sed quia res sperata certò eveniet, si ponantur omnia prærequisita.

XI. Ex quibus jam videre licet, quomodo certitudo spei differat à certitudine fidei. Primò enim differt: quòd certitudo fidei est in intellectu, & proinde essentialis: certitudo spei est in voluntate, & proinde participata à fide. Secundò: quòd certitudo fidei non potest deficere, sed certitudo spei potest per accidens deficere. Tertiò: quia certitudo fidei repugnat errori, & dubitationi, certitudo spei diffidentiæ, & hæsitationi.

DUBIUM IV.

An Ille, cui facta esset Revelatio de propria Damnatione, posset adhuc, & teneretur, suam sperare Beatitudinem Spe Theologicâ?

§. I.

Præmittuntur scitu Necessaria.

I. PRo resolutione præsentis Dubii supponendum est, quòd objectum spei, estò non debeat esse absolutè futurum in re; cùm multi Reprobi, quibus certè propria beatitudo in re non est futura, in varios actus spei circa illam erumpant; neque debeat certò judicari absolutè futurum, quod speramus, quia in hac vitâ speramus beatitudinem, quam certò non judicamus nobis esse futuram: nihilominus objectum spei debet taliter proponi, ut prudenter judicare possimus, ipsum esse futurum, seu nos esse consecuturos, quod speramus. Cùm enim spes sit ardens conatus voluntatis prætendentis efficaciter rei speratæ consecutionem; requirit in prætendente judicium tale, quo prudenter judicet, se consecuturum id, quod prætendit. Ex quo fit, ut qui certò judicaret, se non esse assecuturum; neque posset prudenter judicare, se esse assecuturum, neque consequenter sperare. Hæc pro resolutione præsentis Dubii præ oculis habenda sunt.

II. Huic ergo, ut viam aperiamus, supponere debemus, saltem de potentia Dei extraordinariâ, possibilem esse casum, quo alicui viatori Deus absolutâ revelatione certò revelet suam damnationem; & quòd homo ille tali revelationi certum præbeat assensum. Cùm enim Deus clarè, & certò cognoscat cujusque salutem, vel damnationem, quare hanc non posset, si vellet, homini revelare? Unde id expresè docet S. Thom. Q. 23. *de Verit.* a. 8. *ad* 2. Et ratio est. Quia in hoc nulla apparet contradictio, & possunt Deo esse rationes id faciendi, quas nos ignoramus. Quemadmodum enim Deus de facto revelavit animæ Christi omnium Reproborum damnationem, & Ecclesiæ revelavit damnationem Antichristi futuri, ac multis Sanctis eorum futura merita, confirmationem in gratia, & demum gloriam: & sicut D. Petro prædixit ejus trinam negationem futuram, similiter posset, si vellet, alicui suam damnationem absolutè revelare. Quæritur ergo: an ille miser, cui adeo infausta fieret revelatio, quique illi assensum certò præberet, posset, ac teneretur, adhuc sperare suam beatitudinem.

Qua in re quidam, tùm ex Veteribus, tùm ex Recentioribus, affirmant. Alii verò, & presertim Nostrates, frequentiùs negant.

*** ✠ ***

§. I I.

Resolvitur Dubium.

III. Dico primò. Is, cui revelaretur sua damnatio, deberet eam accipere per modum comminationis, & non per modum absolutæ prædictionis; ac proinde deberet adhuc sperare, & desperando peccaret: nisi fortè esset talis, quam ei constaret, esse absolutam prædictionem. Ita S. Thomas Qu. 23. *de Verit.* citatâ. Probatur. Is enim, cui fieret revelatio de sua damnatione, nisi aliter aliunde ei constaret, deberet respiciens ad misericordiam Dei, quâ vult, omnes homines salvos fieri, & neminem perire, existimare, dictam revelationem esse conditionatam: nimirum, se esse damnandum, si in peccato perseveret, & nisi resipiscat: & eo modo, quo Ninivitæ timore concussi pœnitentiam egerunt, ita ipse ad divinam gratiam confugere deberet, sperans, ejus auxilio se ablaturum suæ damnationis causas; ergo deberet, possetque, suam salutem adhuc sperare.

IV. Dico secundò. Si is, cui fieret revelatio de sua damnatione, certò sciret, eam esse de sua damnatione absolutè, & inimpedibiliter futurâ, nec posset, nec teneretur, suam salutem ampliùs sperare spe theologicâ; nec peccaret desperando. Colligitur ex D. Thom. citatâ Q. 23 *de Verit. a.* 8. *ad* 2. ubi ait, quòd *talis revelatio cogeret hominem desperare*. Prob. autem sic. Ille talis non posset ampliùs sperare suam salutem; ergo neque teneretur, eam sperare. Ant. prob. Tùm quia: in eo destructa esset ratio formalis spei theologicæ, quæ est beatitudo, ut possibilis, & aliquando futura. Tùm quia: ut quis possit sperare suam beatitudinem, debet posse formare judicium, quo prudenter judicet, suam beatitudinem sibi aliquando futuram: sed in hypothesi talis revelationis, nedum non posset formare judicium prudens de sua beatitudine aliquando futurâ: sed formare deberet judicium certum de sua beatitudine non futurâ, utpote innixum divinæ revelationi, quæ nec falli, nec fallere potest, & cui ille firmum assensum præbuisse supponitur; ergo &c.

V. Confirmatur primò. Talis non posset certâ cum fiducia expectare beatitudinem: quomodo enim certâ cum fiducia expectaret id, quod certissimè novit, se nunquam obtenturum? Ergo non posset eam sperare.

VI. Confirmatur secundò. Ideo beatitudo illi esset adhuc sperabilis, quia adhuc ei remaneret possibilis, quantùm est ex vi auxiliorum sufficientium, quæ illi essent parata: sed hoc non sufficit; ergo &c. Min. prob. Ut aliquid sit sperabile, non sufficit, ut judicetur, sibi illud esse possibile; aliàs etiam Damnati possent suam sperare salutem, & quilibet homo posset sperare Incarnationem, cùm utrumque sit absolutè possibile; sed requiritur, ut prudenter judicetur, esse possibile sibi hìc, & nunc, & in praxi expectari tanquam futurum: at ille talis non posset prudenter judicare, beatitudinem sibi hìc & nunc esse possibilem, & à se posse expectari, ut futuram, quin potiùs prudenter deberet judicare, sibi hìc & nunc eam non esse possibilem; ergo eam sperare non posset: *Non enim aliquis sperat, quod omnino adipisci non potest, & secundùm hoc differt spes à desperatione*, ut ait D. Thom. 1. 2. q. 40. a. 1. Imò præsentatâ sibi beatitudine, quam, stante tali revelatione, judicaret sibi factam in praxi impossibilem, ab ea per desperationem recedere teneretur. Quia, ut ait idem S. Thom. loco mox citato, a. 4. *Objectum spei, quod est bonum arduum, habet quidem rationem attractivi, prout consideratur cum possibilitate adipiscendi; & sic tendit in ipsum spes, quæ importat quemdam accessum. Sed secundùm quòd consideratur cum impossibilitate obtinendi, habet rationem repulsivi ...... & sic respicit hoc objectum desperatio.*

VII.

VII. Secundò prob. Si quis per revelationem certò sciret, aliquem esse Reprobum, non speraret, nec teneretur, sperare illi beatitudinem; ergo neque ille, qui per revelationem certò sciret, se esse Reprobum, posset, ac teneretur, sibi sperare beatitudinem. Conf. videtur sequi. Nam sicut stante revelatione de alterius certâ reprobatione, non posset formare judicium prudens de illius futurâ salute: ita, stante revelatione de sua certâ reprobatione, non posset formare &c. Ant. verò probatur ex S. August. *l. 21. de Civit. Dei c. 24.* dicente: *Si de aliquibus ita Ecclesia certa esset, ut qui sint illi, etiam nosset, qui licèt adhuc in hac vitâ sint constituti, tamen prædestinati sunt, in æternum ignem ire cum Diabolo, tàm pro eis non oraret, quàm nec pro ipso.* Tùm etiam: quia nullus sperat beatitudinem Antichristo, nec peccat desperando de salute ejus; quia certò scimus ex Scriptura, eum Reprobum esse.

§. III.

Solvuntur Opposita.

VIII. Opponunt primò. Suppositâ tali revelatione, adhuc beatitudo remaneret illi possibilis: cùm adhuc ei concederentur auxilia sufficientia, quibus in ipso perseveraret potentia ad benè operandum, & merendum beatitudinem, sicut erat ante revelationem; ergo, adhuc eâ positâ, posset, & teneretur sperare suam beatitudinem.

IX. Respondeo, conc. antec. intellecto tamen de possibilitate antecedente, non de possibilitate consequente, & in praxi, negando conf. Ut enim posset sperare suam beatitudinem, deberet posse prudenter existimare, sibi eam esse futuram; quod in hypothesi homo ille formare non posset: imò haberet judicium certum de non futuritione illius, cum quo stare nequit judicium prudens de illius futuritione.

X. Sed instari potest primò. Estò non posset sperare beatitudinem, ut absolutè futuram; posset tamen eam sperare, ut futuram, quantùm est ex vi suorum actuum, & auxilii Dei parati; ergo &c.

Secundò. Estò ille, cui facta esset talis revelatio, non posset potestate consequente prudenter æstimare, se beatitudinem consequuturum; posset tamen potestate antecedente: sed hoc sufficeret ad habendum spem &c. ergo &c. Maj. probatur. Quia præscientia, & revelatio non inducit necessitatem antecedentem, sicut nec gratia efficax; ergo sicut revelatio de uno, & motio efficax ad unum, non facit, oppositum esse antecedenter impossibile; ita nec dicta revelatio de damnatione reddit impossibile antecedenter judicium prudens de salute.

Tertiò. Ei, cui facta esset præfata revelatio, adhuc esset possibilis salus; ergo esset ei possibilis spes: quia salus non est possibilis, nisi mediâ fide, spe, & caritate.

XI. Respondeo ad primam instantiam, neg. antec. Ut enim beatitudo posset sperari, deberet posse apprehendi, ut futura ex vi suorum operum, & auxilii parati; & consequenter apprehendi, ut futura operatio bona correspondens salvationi, nempe, operatio bona in fine vitæ, & donum perseverantiæ: suppositâ autem revelatione damnationis, ut pœnæ propter demeritum, operatio illa respondens gloriæ non apprehenderetur ut futura, sed potiùs ut certò non futura: ideoque nec posset apprehendi gloria ut futura, quantùm est ex vi bonorum operum.

Quod Confirmo. Si enim Deus revelaret alicui, se consecuturum quidem gloriam, sed non in tali gradu, puta, ut *centum;* non speraret talem gradum gloriæ ut possibilem, & futurum suis actibus, & auxilio Dei parato; ergo neque ille, cui facta esset revelatio propriæ damnationis, sperare posset suam beatitudinem, ut simili mo-

li modo possibilem, & futuram. Simile etiam argumentum fieri posset de eo, cui Deus revelaret pœnam suorum peccatorum luendam in Purgatorio: non enim speraret evasionem, certò sciens, infallibiliter fore, quod Deus revelavit.

XII. Ad secundam nego absolutè maj. Cùm enim assensus absolutæ revelationi de damnatione inferat judicium certum de non futuritione beatitudinis, tollit potentiam antecedentem ad formandum judicium prudens de futuritione illius: tollit enim objectum talis prudentis judicii, & consequenter tollit etiam objectum spei, quod essentialiter excludit judicium certum de non futuritione rei speratæ: & subinde tollit etiam potentiam antecedentem, ac impossibile reddit illi auxilium sufficiens ad sperandum. Quemadmodum si tolleretur objectum formale visus, nempe color, & lux, non posset dari ullum auxilium sufficiens ad videndum; quia esset impossibilis actus visionis: ita cùm stante revelatione in casu tolleretur ab eo objectum spei, quod est beatitudo futura, vel effectivè, vel existimativè, non posset per ullum auxilium sperari beatitudo.

Nec est simile de præscientia, revelatione, & motione efficaci ad unum. His enim positis, adhuc manet possibile oppositum; & consequenter objectum potentiæ antecedentis non læditur, quod est possibile. At in casu revelationis de propria damnatione, formato jam judicio certo de illius futuritione, beatitudo prorsus decidit ab objecto spei, quod debet esse bonum arduum possibile, & saltem in existimatione prudenti futurum, & in praxi possibile.

Quòd si dicas, in potestate ejus fore, illam certitudinem amittere, amittendo fidem de sua damnatione; quâ amissâ, posset prudenter æstimare, suam beatitudinem esse futuram — Respondeo, quòd si voluntariè amitteret fidem talis revelationis de sua damnatione, amitteret etiam spem theologicam: sicque non posset prudenter existimare, se beatitudinem assecuturum.

XIII. Ad tertiam dist. ant. Esset possibilis salus speculativè, con ant. Practicè, nego ant. & consequ. Quia possibilitas merè speculativa præscindit à mediis, quibus res in praxi obtinenda est.

XIV. Opponunt secundò. Ille homo adhuc teneretur observare legem; ergo non maneret liber à lege spei, & consequenter posset sperare. Conf. prob. Tùm à paritate rationis. Tùm quia: observantia legis spei videtur necessaria ad alia præcepta observanda: nam sublatâ intentione finis non possunt appeti media, & cessante obligatione finis, cessat obligatio volendi media.

XV. Respondeo, co. ant. nego cons. Ad primam probationem disparitas est. Quia præfata revelatio destruit rationem formalem objecti spei; non tamen aliarum virtutum de actibus, quarum dantur in lege præcepta: ideoque teneretur quoad alia præcepta legem observare: non autem quoad præceptum spei, quod illi factum esset observatu impossibile. Ad impossibile autem nemo tenetur, ut contra Jansenium Ecclesia statuit.

Ad secundam prob. fateor, spem beatitudinis multum conducere ad observanda præcepta. Quia, ut docet S. Tho. 2. 2. q. 22. a. 1. *Per spem præmii homo inducitur ad observantiam præceptorum:* ideoque illi, cui facta esset præfata revelatio, valdè difficile foret non imitari eos, *qui* (ut dicitur, ad Ephes. 4. v. 19.) *desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis.* Non tamen ita ei necessarium fieret, ut sine spe redderetur ei omnino impossibilis aliorum mandatorum observatio: posset enim ille ea observare ex motivo honestatis, & quia rationi congrua — Estò autem, remotâ intentione beatitudinis, etiam auferatur obligatio volendi actus virtutum, quatenus

nus sunt media ad talem finem; non tamen quatenus sunt conformes rationi, & actus oppositi vitiorum rectæ rationi dissonant: quo motivo multi ex Gentilibus naturalia præcepta impleverunt.

XVI. Opponunt tertiò. Homo ille non posset licitè de sua salute desperare; ergo posset eam sperare: si enim non posset eam sperare, licitè de ea desperare posset. Ant. prob. Desperatio enim est intrinsecè mala. Tùm quia: est fuga, & nolitio boni. Tùm quia: detrahit divinæ misericordiæ.

XVII. Respondeo, neg. ant. Oppositum enim docet S. Tho. Q. 23. *de Verit. a.* 8. *ad* 2. ut supra diximus. Ad prob. dico, desperationem posse dupliciter contingere. Uno modo, per diffidentiam misericordiæ Dei, & ejus omnipotentiæ, tanquam insufficienti ad salvandum: & hoc modo desperare est intrinsecè malum, ac Dei misericordiæ, & omnipotentiæ derogat. Alio modo, solùm diffidendo de consecutione beatitudinis; quia certò scit, Deum retrahere velle ab eo suam misericordiam, ut in eo exerceat suam justitiam; & hæc nullam injuriam divinæ misericordiæ facit, neque peccatum est. — Similiter fuga, & nolitio beatitudinis, licèt inordinata sit, quando respicitur tanquam mala; non tamen quando respicitur, quia verè facta est in praxi impossibilis, quomodo in casu præsenti contingeret.

Hinc S. Tho. 2. 2. *q.* 20. *a.* 1. *ad* 3. docet: quòd *Damnati non sunt in statu sperandi, propter impossibilitatem reditus ad beatitudinem. Et ideo quòd non sperant, non imputatur eis ad culpam, sed est pars damnationis eorum. Sicut etiam in statu viæ si quis desperaret de eo, quod non est natus adipisci, vel quod non est ei debitum adipisci, non esset peccatum.*

Ex hac S. Tho. doctrinâ colligo, dupliciter posse aliquem desperare de salute. Vel positivè, seu privativè, quia cum possit, & debeat sperare, non vult sperare: & hoc modo desperare, peccatum est. Vel tantùm negativè; quia sperare ei est impossibile: & hoc modo non sperare, peccatum non est. Ille ergo, cui facta esset revelatio de sua damnatione, quia salus propria facta esset ei impossibilis speratu, desperando, seu veriùs non sperando, non peccaret: unde daretur in eo medium, ut nec speraret, nec positivè desperaret, sed non speraret, idest, negativè se haberet.

XVIII. Opponunt quartò. Si cuipiam fieret revelatio peccati futuri, sicut facta fuit Divo Petro, cum Christus ei dixit, Matth. 26. v. 75. *Ter me negabis*, non liceret desperare evasionem peccati, sed eam sperare teneretur; ergo etiamsi fieret revelatio damnationis, teneretur homo sperare ejus evasionem, & proinde salutem. Conf. patet. Quia eadem ratio est quoad certitudinem eventus, factâ revelatione, & quoad dependentiam à libero consensu nostro: sicut enim peccatum committendum est libero nostro consensu: ita salus amittenda est liberis nostris actibus, ac demeritis. Antec. verò probatur. Si liceret desperare, aut non sperare evasionem peccati, liceret non cavere peccatum, neque conari illud impedire; quia si licet omittere finem, licebit & omittere media, & qui ita desperaret, eo ipso consentiret peccato; cùm sinè spe evasionis nequeat vitari peccatum, vel consensus in illud: hoc autem est falsum; ergo &c.

XIX. Respondeo. quòd ille, cui fieret revelatio peccati futuri, dupliciter erga illam potest se gerere. Vel illi non assentiendo, seu ad eam non attendendo. Vel illi assensum præbendo, eique adhærendo. Si priori modo se gerat, perinde est, ac si revelatio ei facta non fuisset: & propterea tenetur non solùm vitare peccatum, sed potest evasionem peccati sperare. Et hoc modo visus est se gessisse Divus Petrus: revelationi enim de sua trina negatione non dedit assen-

sensum, tanquam absolutæ, vel saltem ad eam non attendit; sed tunc solùm, postquam in negationem lapsus est. Unde dicitur citato loco: Et *recordatus est Petrus verbi Jesu, quod dixerat.* Quare Petrus, & tenebatur cavere trinam negationem, & poterat sperare se evasurum.

Si verò secundo modo se gerat, firmum assensum præbendo revelationi, & formando judicium certum de non futura evasione peccati revelati; sic nego ant. & ad probat. nego similiter ant. Nam spes evadendi peccatum non ita est necessaria, ut sinè illâ peccatum caveri non possit: cùm sæpè evadamus peccatum, nihil cogitantes de spe illud evadendi. Ad obligationem igitur evadendi, seu cavendi peccatum, sufficit, non esse ligatam voluntatem, & in potestate hominis esse, peccatum cavere; quæ potestas non aufertur per revelationem prædictam, cum non auferat rationem formalem objecti aliarum virtutum. E' contra verò cùm tali revelatione auferatur ratio formalis objecti spei; inde est, quòd evasio peccati sperabilis non est, cùm tamen sit homini possibilis.

XX. Opponunt quintò. Factâ revelatione propriæ damnationis, potest quis sperare donum perseverantiæ; ergo & probabiliter existimare, suam salutem esse sibi futuram. Ant. prob. Nam poterit habere efficax propositum observandi totam legem, usque ad finem vitæ.

XXI. Respondeo, negand. antec. Ad prob. dist. antec. Poterit potentiâ possibilitatis, seu antecedente, con. ant. Potentiâ futuritionis, seu consequente, nego ant. Stante enim revelatione Dei de sua damnatione, in fine vitæ de facto legem non adimplebit, estò possit absoluè adimplere; alioquin divinam revelationem falsificaret, si de facto in fine vitæ legem impleret.

XXII. Opponunt sextò. Potest quis sperare beatitudinem non futuram, ut patet in Reprobo, cujus salus futura non est: & tamen illam sperat; ergo ex quo factâ revelatione de damnatione salus non sit futura, adhuc maneret de illa possibilis spes.

XXIII. Respondeo, quòd licèt salus Reprobi in re futura non sit; quòusque tamen illi non est revelatum oppositum, prudenter existimat, eam sibi esse futuram: quod satis esse ad spem, supra diximus. At in casu revelationis propriæ damnationis salus nedum non esset in re futura; sed neque prudenter apprehendi posset, ut futura: & ideo ab eo sperari non posset. Nec refert, quòd ille adhuc esset viator. Nam ad hoc non requiritur, ut possit sperare beatitudinem, ut futuram: sed sufficit, ut non sit in termino suæ damnationis, sed respiciat suam damnationem nondum habitam, sed ut futuram.

§. IV.

De Desperatione.

XXIV. Spei opponitur desperatio. Sicut enim per spem ad Deum accedimus rectè existimantes de divina bonitate, & misericordiâ; ita per desperationem à Deo recedimus, de ejus misericordia, & bonitate falsò existimantes, nimirum, quòd peccatori pœnitenti veniam deneget, & parcere nolit. Propterea ad calcem Tractatus de Spe theologicâ aliquid de desperatione apponere, inutile non erit.

XXV. Desperationem ergo in homine viatore peccatum esse, ostendit S. Tho. 2. 2. *q.* 20. *a.* 1. Motus enim appetitus sequens falsam existimationem de Deo, secundùm se malus est, & peccatum: sed desperatio est motus appetitus sequens falsam existimationem de Deo: cùm enim vera æstimatio de Deo, quam sequitur spes, sit: *Quòd ex ipso provenit hominum salus, & venia peccatoribus datur, secundùm illud Ezech.* 18. Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat:

Falsa

Falsa opinio (quam sequitur desperatio) *est, quòd peccatori pœnitenti veniam deneget, vel quòd peccatores ad se non convertat per gratiam justificantem.* Unde desperatio ex timore Dei, & horrore magnitudinis peccatorum occasionaliter procedit, & malè utitur. Cùm enim ex timore Dei deberet potiùs ad ipsum, veniam petens, converti; ex horrore magnitudinis peccatorum ad severiorem pœnitentiam induci: hisce bonis motivis abutitur, à Deo potiùs recedendo, quasi nolit, nec sit semper paratus, peccatorem, quamvis impium, ad veniam, si supplex eam petat, recipere.

XXVI. Quia verò S. Thomas dicit, desperationem includere falsam existimationem, & errorem de Deo; quòd scilicet non sit semper paratus, peccatorem ad veniam admittere, hinc meritò movetur Dubium: an Desperatio sit semper conjuncta cum infidelitate, quâ desperans credat, non dari in Ecclesia remissionem peccatorum: quæ fuit hæresis Novatianorum.

XXVII. Cui Dubio respondet S. Th. hâc *q.* 20. *a.* 2. negatvè. Et notat, quòd potest aliquis falsam existimationem habere: vel in universali, & speculativè: vel in particulari, & practicè ex passione, vel appetitu corrupto. Et quòd licèt qui habet falsam existimationem in universali, circa aliquam veritatem fidei, sit Infidelis; non tamen ille, qui habens veram existimationem in universali, solùm habet falsam æstimationem in judicio practico particulari corrupto per habitum, vel passionem: *Sicut* (inquit) *ille, qui fornicatur, eligendo fornicationem, ut bonum sibi ut nunc, habet corruptam æstimationem in particolari; cùm tamen retineat universalem æstimationem veram secundùm fidem; scilicet, quòd fornicatio sit mortale peccatum.*

Ex quibus format rationem sic. Qui, licèt habeat falsam æstimationem in judicio practico particulari, habet tamen æstimationem in universali veram, secundùm fidem, peccat quidem mortaliter, sed sinè infidelitate: atqui contingere potest, quòd aliquis retinens æstimationem in universali veram, secundùm fidem, nempe, quòd in Ecclesia detur remissio peccatorum cuicumque verè pœnitenti; corruptâ tamen ejus æstimatione circa particulare, practicè judicet, quòd sibi in tali statu existenti, non sit sperandum de venia, & sic desperet; ergo contingere potest desperatio absque infidelitate. Unde ibidem *ad* 2. ait: *Quòd si quis in universali existimaret, misericordiam Dei non esse infinitam, esset Infidelis. Hoc autem non existimat desperans, sed quòd sibi in statu illo, propter aliquam particularem dispositionem, non sit de divina misericordiâ sperandum.*

XXVIII. Sed contra hanc doctrinam obstare videtur primò. Cùm enim propositio particularis sequatur ex universali, & ex vero non possit sequi falsum; quomodo ex æstimatione universali verâ sequi potest æstimatio particularis falsa?

Secundò. Qui negat veritatem aliquam particularem inclusam in veritate universali, hoc ipso etiam negat universalem; ergo qui desperans judicat, se non posse sperare veniam, hoc ipso negat, remissionem peccatorum in Ecclesia esse possibilem, & sic est Infidelis.

Tertiò. Exemplum allatum de fornicatore non videtur ad rem: nam is, dum judicio particulari judicat, fornicationem esse sibi bonam, non contradicit judicio universali, quo judicat, eamdem esse malam. Quia judicium universale est de bono bonitate morali, judicium verò particulare est de bono delectabili.

XXIX. Respondeo. Ad primum dico, propositionem in particulari falsam non sequi immediatè ex universali verâ, sed mediante æstimatione particulari falsâ: quia ut ait S. Doct. hìc in c. *Necesse est: quòd ab æstimatione in universali ad appetitum rei particularis perveniatur mediante æstimatione particu-*

culari.... sicut ex propositione universali non infertur conclusio particularis, nisi assumendo particularem. Quare conclusio falsa sequitur ab æstimatione particulari, & practicâ falsâ, non ex universali speculativâ verâ.

XXX. Ad secundam similiter, nego ant. Qui enim judicio aliquo particulari practico negat veritatem aliquam particularem, non negat universalem: quia sic negans non sequitur, sed potiùs recedit à judicio universali, & sequitur appetitum, vel passionem, ex qua judicium particulare practicum oppositum, & falsum efformat.

XXXI. Ad tertium dico, exemplum esse ad rem. Sicut enim qui fornicatur, retentâ universali æstimatione verâ, secundùm fidem, quòd omnis fornicatio sit peccatum mortale, & non facienda; ex alia æstimatione corruptâ, quam ei suggerit passio, format judicium particulare falsum, nimirum, esse hìc, & nunc fornicandum: ita fieri potest, quòd quis retentâ universali æstimatione fidei, quòd nimirum remissio peccatorum in Ecclesia sit possibilis; ex alio principio falso æstimet, se in tali statu esse, in quo non sit sibi sperandum de venia. Contradictio autem inter æstimationem universalem veram, & particularem falsam ad intentum præsens stat in hoc, quòd universalis dictet, non esse faciendum, & particularis dictet, esse hìc, & nunc faciendum. Et in hoc conveniunt, tàm ille, qui fornicatur, quàm qui desperat.

XXXII. An verò desperatio sit maximum peccatorum: respondet S. Th. hàc *q.* 20. *a.* 3. esse quidem gravius iis peccatis, quæ opponuntur virtutibus moralibus, quia directiùs avertit à Deo: minùs tamen grave esse, ex sua specie, infidelitate, & odio Dei. Quia infidelitas, & odium Dei sunt contra Deum, ut in se est, illa contra veritatem, cui non credit; istud contra bonitatem Dei, quam odit; desperatio autem est contra bonitatem Dei ut participatur à nobis, quam se posse participare, desperat.

Addit tamen, ex parte nostrâ esse periculosiorem desperationem, quàm infidelitatem, & odium Dei. Quia per spem revocamur à malis, & inducimur ad bona prosequenda: unde per desperationem sublatâ spe, irrefrænatè homines ruunt in vitia. Unde Jerem. 18. *Desperavimus: post cogitationes nostras ibimus, & unusquisque pravitatem cordis sui mali faciemus.* Et c. 15. *Plaga mea desperabilis, renuit curari.* Et ad Ephes. 4. v. 19. *Qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam.* Sed hæc satis.

TRA-

TRACTATUS DE CARITATE.

Caritatem pro mutuo amore, quo homines se invicem diligunt, vel ipsi Ethnici agnoverunt; & nos in hoc eodem sensu caritatem hic usurpabimus; non tamen pro amore, quo homines præcisè seipsos diligunt: sed principaliter pro amore, quo feruntur in ipsum Deum, eumque diligunt, ex quo fit, ut etiam hominem diligant propter ipsum. Verùm quia amare Deum contingit dupliciter: vel amore naturali, quo Deus diligitur, ut auctor naturæ, de quo egimus in *Tract. de Necessit. Gratiæ, Tom. 5. in 1. 2.* vel amore supernaturali, quo Deum auctorem supernaturalem, prout nempe excedit omnem naturæ exigentiam, diligimus, qui amor propriè caritatis virtutis theologicæ nomen, & rationem sibi vindicat: ideo de amore, & caritate hoc secundo modo acceptâ præsens erit Tractatus.

QUÆSTIO I.

De Caritate secundùm Essentiam.

Sicut fides respicit Deum sub ratione primæ veritatis, & spes sub ratione auxiliantis; ita caritas respicit ipsum sub ratione summæ bonitatis: unde per caritatem diligimus Deum, ut in se summum bonum. Ex quo patet differentia inter caritatem, & spem. Estò enim spes aliquem Dei amorem includat; hic tamen non est amor Dei, saltem proximè, ut est bonus in se, sed ut bonitatem suam nobis participat: per caritatem verò Deum diligimus, ut in se bonum, non attendendo utilitatem nostram ex sua bonitate provenientem. Et propterea per caritatem Deum diligere dicimur amore amicitiæ. Pro hujus tamen elucidatione, primò erit

DUBIUM I.

An Caritas sit Vera Amicitia inter Deum, & Hominem?

§. I.

Resolvitur Dubium.

I. Dico. Caritas est verè, & propriè amicitia hominis cum Deo. Probatur. Nam caritati omnia conveniunt, quæ ad veram amicitiam constituendam necessaria sunt: quod ostendam singula percurrendo.

Primò ergo ad veram amicitiam requiritur, ut diligatur amicus propter seipsum, seu, ut amico bonum velimus; quo amor amicitiæ secernitur ab amore concupiscentiæ. *Si autem* (inquit S.Th. 2. 2. q. 23. a. 1.) *rebus amatis non bonum velimus, sed ipsum earum bonum nobis velimus, sicut dicimur amare vinum, aut equum, aut aliquid hujusmodi; non est amor amicitiæ, sed cujusdam concupiscentiæ: ridiculum enim est dicere, quòd aliquis habet amicitiam ad vinum, vel ad equum.* Sed caritate Deum propter se diligimus: jubet enim, ut diligamus eum ex toto corde, ex tota animâ, ex tota mente, & ut eum super omnia diligamus, omnia, etiam nos ipsos ad eum referendo; ergo caritas &c.

II. Secundò. Amicitia requirit, ut amor sit mutuus; unde D. Tho. citatus ait: *Sed nec benevolentia sufficit ad rationem amicitiæ, sed requiritur*

qua-

quadam mutua amatio, quia amicus est amico amicus: & hoc ad differentiam simplicis benevolentiæ; sed caritas amor mutuus est, eâ enim diligimus eum, qui nos diligit, Proverb. 8. v. 17. *Ego diligentes me diligo.* Cant. 2. v. 16. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Et Joann. 14. v. 21. *Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum;* ergo &c.

III. Tertiò. Requiritur, ut talis mutua benevolentia fundetur super aliqua communicatione; idest, quòd amici conveniant in aliquo bono, ex quo amicus dicitur alter ego: caritas autem amor est in communicatione fundatus, quâ Deus communicat seipsum nobis, in præsenti per gratiam, & in futuro per gloriam. Hanc mirè expressit S. Thomas in prosa Vener. Sacramenti, dicens: *Se nascens dedit socium, convescens in edulium, se moriens in pretium, se regnans dat in præmium.* Christus ipse Joan. 14. v. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Quæ communicatio, & mansio maximè fit per gratiam sanctificantem, quâ communicatur nobis divina natura, efficimur filii Dei, & Dii per adoptionem.

IV. Quartò. Inter amicos debet esse unio animorum: unde dici solet, quòd anima magis est ubi amat, quàm ubi animat: hoc autem præstat nobis caritas. Unde 1. Cor. 6. v. 17. *Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est.* Et Galat. 2. v. 20. ajebat Paulus: *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus.*

V. Quintò. Requiritur inter amicos secretorum communicatio: non solùm enim homines justi Deo cor suum aperiunt, non quia ipsum lateat, sed ex quadam amicabili confidentiâ, ut ipsos juvet: sed & ipse Deus secreta sua illis communicat. Quare Joann. 15. v. 15. *Jam* (inquit Christus) *non dicam vos servos, quia servus nescit, quid faciat Dominus ejus. Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis.*

VI. Tandem debent amici esse mutui amoris certi: hoc autem caritas facit. Nam imprimis amor noster occultus, & interior Deo est notus. Justos se à Deo redamari non latet; sciunt enim, Deum diligentes se diligere: & quamvis id certò non cognoscant, id tamen ex conjecturis, & signis, quantum sufficit, colligere possunt. Nam etiam quando unus homo est alteri amicus, non majori certitudine, quàm ex signis, & effectibus, alterius dilectionem dignoscere potest.

§. II.

Contrariis Respondetur.

VII. Primò objicitur. Deus sicut nihil facit, ita nihil amat, nisi propter semetipsum, Proverb. 16. v. 4. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus;* ergo neminem diligit amore amicitiæ, quæ vult bonum alteri.

Deinde: Deus nullo bono caret; ergo nullum est bonum, quod homo possit velle Deo.

VIII. Respondeo, quòd Deus quidem operatur, & vult omnia propter semetipsum, sicut propter finem ultimum; sed ad utilitatem nostram, non ad suam, ut qui *bonorum nostrorum non indiget*, Psal. 15. v. 2. Vult ergo bonum nobis, quando nos ad se, ut ad destinatum finem refert, in quo verum nostrum bonum situm est. Quòd si August. *l. 1. de Doctr. Christianâ c. 31.* dicit: *Deus non fruitur nobis, sed utitur*, verum dicit: sed hic Dei usus, non ad suam, sed ad nostram refertur utilitatem.

Ad id, quod additur, neg. cons. Quamvis enim Deus nullo bono careat, possumus tamen ei velle bona; vel interna, complacendo nobis, quòd illa habeat, & de hoc gaudendo; vel externa, ut honorem, cultum, tùm exhi-

exhibendo, tùm desiderando, tùm procurando: unde dicimus quotidie *Sanctificetur nomen tuum* — Nec refert, quòd nihil Deo dare possimus, quod suum non sit, eique ex justitia debitum — Nam hæc est bonitas Dei erga nos, ut accipiat à nobis, tanquam dona nostra, & merita, quæ sunt ipsi debita, & quæ sunt dona sua.

IX. Secundò objicitur. Inter dominum, & servum non datur vera amicitia. Tùm quia: quidquid servi est, domini est: unde non datur alteritas necessaria ad amicitiam, sicut nec ad justitiam. Tùm quia: inter amicos requiritur mutuus convictus, qui inter dominum, & servum non datur: sed homines quantumcumque justi, sunt servi Dei; ergo &c.

X. Respondeo, quòd licèt inter dominum, & servum, dum in servitute manet, non contrahatur amicitia; quia dominus, dum amat servum, non vult bonum servi, sed sibi, & suum, dominus enim amat servum, quia sibi utilem, & quidquid habet servus, domini est: nihil tamen prohibet, quin ille, qui conditione servus est, gratiâ, & benevolentiâ sui domini libertate donetur, & provehatur ad eam dignitatem, ut vel filius ejus adoptivus sit, vel amicus. Hoc autem contingit homini per Christum: qui enim, & conditione, & peccato erat servus, gratiâ, & caritate factus liber, ad filiationem, & amicitiam Dei evectus est. Hinc Paulus, Galat. 4. v. 31. *Itaque* (inquit) *fratres, non sumus ancillæ filii, sed liberæ; quâ libertate Christus nos liberavit.*

XI. Tertiò objicitur, & replicatur. Amicitia non datur propriè, nisi inter æquales: unde S. Hieron. *Michea* 7. ait: *Amicitia pares, aut accipit, aut facit;* ubi enim inæqualitas est, amicitia non est: sed inter Deum, & homines non potest esse æqualitas; ergo &c.

XII. Respondeo, amicitiam requirere æqualitatem, non absolutam, sed proportionis. Unde ipse Philosophus *l.* 8. *Ethic. c.* 7. agnoscit quoddam genus amicitiæ etiam inter inæquales, quam vocat supereminentiæ, seu excellentiæ; qualis est inter patrem, & filium, virum, & uxorem, Principem, & subditos: quæ in eo sita est, ut proportionaliter quod suum est, in bonum amici velit, & faciat, ut Princeps conferendo beneficia subdito, & subditus præstando obsequia Principi. Sic ergo Deus amando hominem, quamvis æqualitatem non inveniat, eam tamen proportionaliter facit; volendo, & efficiendo in ipso dona gratiæ, & caritatis, quibus consortes efficimur divinæ naturæ. 2. *Petri* 1. *v.* 4. Filii Dei. *Rom.* 8. *v.* 14. Domestici Dei. *ad Ephes.* 2. *v.* 19. Fratres Christi *Matth.* 28. *v.* 10. Homo autem justus diligit Deum, omnia, ac seipsum propter Deum, ut finem cujus gratiâ faciendo, & volendo.

XIII. Quartò objicitur. Caritas non est amicitia, neque ex parte hominis; quia amor, cujus finis est frui amato, non est amicitiæ, sed concupiscentiæ, quæ amat bonum sibi: caritatis autem finis ex parte hominis, est frui Deo. Neque est amicitia ex parte Dei; quia Deus diligit nos propter seipsum, non propter nos.

Confirmatur. Amicitia debet esse liberalis, & honesta: sed caritate diligimus Deum, non liberaliter, & honestè, sed propter mercedem; ergo &c.

Rursus: amicitia requirit familiarem consuetudinem, & convictum: sed cum Deo nulla est familiaritas; *Quoniam, dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino.* 2. Cor. 5. v. 6. Unde, *Daniel.* 2. *v.* 11. dicitur: *Exceptis Diis, quorum non est cum hominibus conversatio.*

XIV. Respondeo, caritatem esse amicitiam ex parte hominis. Quia etsi finis proximus caritatis sit frui Deo; hunc tamen ulteriùs ordinat in gloriam Dei: imò cum mercedem intuetur æternam, hoc in primis respicit,

cit, ut glorificetur Deus, ut docet Trident. *Sess. 6. c.* 10. Esse quoque amicitiam ex parte Dei; quia, ut dictum est, amat nos, tanquam finem, cui bonum vult: quod ad amicitiam excellentiæ, quali Deus respicit homines, sufficere debet.

XV. Ad Confirmationem, neg. min. Quia dum diligimus propter mercedem, non diligimus mercedem propter seipsam, sed propter Deum. Neque amor mercedis amicitiæ opponitur, quando merces est ipse amicus, & præsertim Deus.

XVI. Ad id verò, quod additur, dico primò, amicitiam non requirere convictum: cùm etiam teste Philosopho *lib.* 8. *Ethic. cap.* 5. inter absentes possit esse vera amicitia.

Dico secundò, quòd quamvis absentes à Domino corpore, adhuc tamen ambulantes per fidem, mente cum Deo familiariter possumus conversari. Unde Paulus, Philip. 3. v. 20. *Nostra autem* (inquit) *conversatio in Cœlis est*. Moyses Deo amicus familiariter cum Deo loquebatur, sicut solet homo loqui ad amicum suum, *Exod.* 33. *v.* 11. Et per orationem Deo familiariter loquimur, & ipse nobis, Psalm. 84. v. 9. *Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus*. Verba verò, quæ afferuntur ex Daniele, non sunt hominis justi, sed impiorum Chaldæorum apud Regem se excusantium, eo quòd somnium ei dicere non possent. Loquendo tamen de vero Deo: *Deuteron.* 4. *v.* 7. dicitur: *Non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis observationibus nostris*.

XVII. Sed contra dicta instabis. Quomodo ad amicitiam Dei pervenire possumus, cùm de nobis, veluti servis, dicatur, Lucæ 17. v. 10. *Sic & vos, cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: servi inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus*.

XVIII. Respondeo, verba præfata dici de nobis, quasi ex nobis, qui servi inutiles sumus; quia non *sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*, 2. Cor. 3. v. 5. sed non propterea debemus diffidere, si per Dei gratiam à servitute ad statum filiorum elevemur. Quare idem Paulus citato loco præmiserat: *Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum*.

XIX. Tandem objicitur. Scriptura etiam Reprobos, & non habentes caritatem vocat amicos. Unde, *Matth.* 22. *v.* 12. non habenti vestem nuptialem dicitur: *Amicè, quomodo huc intrasti?* Et, *Matth.* 26. *v.* 50. Proditori Judæ ait Christus: *Amice, ad quid venisti?*

Confirmatur. Caritas se extendit etiam ad inimicos, qui certè non redamant; ergo non est benevolentia mutua.

XX. Respondeo, modum illum loquendi Scripturæ in citatis locis esse per antiphrasim, & ironiam, quasi dicendo: tu, qui amicum te profiteris, ita te geris, aut hæc facis? Quod quædam quasi affabilis exprobratio est.

XXI. Ad Confirmationem respondet S. Tho. hoc a. 1. ad 2. *Quòd amicitia se extendit ad aliquem dupliciter. Uno modo, respectu sui ipsius: & sic amicitia nunquam est, nisi ad amicum ipsius. Alio modo se extendit ad aliquem, respectu alterius personæ: sicut si aliquis habet amicitiam ad aliquem hominem, ratione ejus diligit omnes ad illum hominem pertinentes, sive filios, sive servos, sive qualitercumque ei attinentes: & tanta potest esse dilectio amici, quòd propter amicum amentur hi, qui ad ipsum pertinent, etiamsi nos offendant, vel odiant. Et hoc modo amicitia caritatis se extendit etiam ad inimicos, quos diligimus ex caritate in ordine ad Deum, ad quem principaliter habetur amicitia caritatis*. Quare cùm dicitur, quòd amicitia petit redamationem, intelligi debet quantùm ad eos, cum quibus principaliter, & ratione sui est amicitia, ut docet idem S. Doct. in 3. *dist.* 27. *q.* 2. *a.* 1. *ad* 8.

XXII.

XXII. Quæri solet: An sinè gratiâ, & caritate, aliisque supernaturalibus donis possit esse aliqua amicitia hominis ad Deum.

Respondetur negativè. Nam in præsenti statu, qui absque caritate, & aliis supernaturalibus donis reperitur, in peccato mortali est, à Deo aversus, eique inimicus. Quòd si loquamur de peccatore, dum incipit converti, sic incipit quidem aliquem sincerum Dei amorem concipere: sed hic cùm non sit perfectus, disponit quidem ad amicitiam cum Deo, sed non constituit eum amicum, quousque, per grattam reconciliatus, non incipiat amare Deum amore caritatis.

XXIII. Dubitari forte posset de homine, si conditus fuisset in puris naturalibus: an scilicet, dum Deum diligeret auctorem naturæ, conservatorem, & gubernatorem, & à Deo diligeretur, naturalia dona ei communicando, dici posset amicus Dei verâ amicitiâ.

XXIV. Sed respondeo cum D. Tho. *in* 3. *dist.* 27. *q.* 2. *a.* 2. *ad* 4. ubi loquens de amore naturali Dei, ait, quòd ad amicitiam non pertingit, quæ facit amicos convenire, & in omnibus communicare; ideoque oportet superaddi caritatem. Quare hanc rationem formo. Ad veram amicitiam requiritur, si non æqualitas, saltem proportio, & convenientia in natura, & communicatio bonorum; non qualiscumque, sed quæ sit specialium donorum largitio, & secretiorum arcanorum patefactio: neque enim amicus censetur, qui non est alteri speciali familiaritatis usu distinctus. Videmus enim in humanis, illos tantùm amicos Regis appellari, non qui beneficia omnibus subditis communia recipiunt: sed qui specialibus muneribus, singulari honoris gradu, familiariori consuetudine, & secretorum participatione distinguuntur. Sed in ordine merè naturali homo bonis dumtaxat creaturis omnibus communibus per creationem, & gubernationem gauderet, quæ forent bonis, malisve promiscuè concessa: in illo etiam ordine non adesset communicatio in natura divinâ, quæ est per gratiam, non in secretis mysteriorum supernaturalium &c. ergo in illo statu non esset vera amicitia inter Deum, & hominem.

DUBIUM II.

An Caritas sit aliquid Creatum in Anima?

§. I.

Statuitur Veritas.

I. Magister sententiarum in 1. *dist.* 17. referente S. Thoma hâc q. 23 a. 2. *Ponit, quòd caritas non est aliquid creatum in anima, sed est ipse Spiritus Sanctus mentem inhabitans. Nec est sua intentio, quòd iste motus dilectionis, quo Deum diligimus, sit ipse Spiritus Sanctus; sed quod iste motus dilectionis est à Spiritu Sancto, non mediante aliquo habitu, sicut à Spiritu Sancto sunt alii actus virtutum, mediantibus habitibus aliarum virtutum, puta habitu fidei, aut spei, aut alicujus alterius virtutis. Et hoc dicebat propter excellentiam caritatis.*

Sed hujusmodi opinio communiter rejicitur tanquam erronea, & fidei, vel parum consona, vel etiam contraria. Unde

II. Dico. Caritas Dei non est ipse Spiritus-Sanctus immediatè actum dilectionis producens in anima; sed est aliquid in anima infusum, & productum, quo anima fit principium productivum amoris Dei. Probatur primò, ex Apostolo Rom. 5. v. 5. *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Quibus indicat, caritatem esse donum à Spiritu Sancto in cordibus nostris diffusum, seu productum. Super quæ S. August. l. de Spiritu, & litt. c. 32. *Caritas* (inquit) *Dei dicta est*

est diffundi in cordibus nostris, non quâ nos ipse diligit, sed quâ nos facit dilectores suos: sicut dicitur justitia Dei, quâ justi ejus munere efficimur, & Domini salus, qua nos salvos facit. Et fides Jesu Christi, quâ nos Fideles facit. Cui consentit Tridentinum, *Sess. 6. cap. 7.* dicens, in justificatione impii Sanctissimæ Christi Passionis merita communicari, dum *Per Spiritum Sanctum caritas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhæret. Unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo, per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & caritatem.* Si ergo caritas *per* Spiritum Sanctum diffunditur, si nobis *inhæret*, si *infunditur*, certè non est ipse Spiritus Sanctus, sed effectus, & donum ipsius. Quare 1. *Cor.* 13. inter charismata Spiritus Sancti numeratur caritas. Et *ad Galat. 5. v. 22.* inter fructus Spiritus recensentur caritas, gaudium, pax, patientia &c. Ad quem locum Hieronymus: *Qua alia* (inquit) *inter fructus Spiritus debuit tenere primatum, nisi caritas; sinè quâ cætera virtutes non reputantur esse virtutes, & ex qua nascuntur universa, quæ bona sunt?*

III. Accedunt rationes S. Thomæ. Prima sic expenditur. Si actus dilectionis est unicè à Spiritu Sancto movente voluntatem: vel voluntas ad actum dilectionis est pure mota, & non movens, seu principium talis actus, sicut cum aliquod corpus ab aliquo exteriori movente movetur: vel etiam voluntas seipsam ad talem actum movet, tanquam principium ejusdem. Si dicatur primum; ergo actus caritatis non erit homini voluntarius, de cujus ratione est, quòd procedat à principio, quod in volente sit: imò contra rationem actus vitalis, qui à vivente, & non in vivente produci debet. Quare ad actum dilectionis Dei voluntas humana comparabitur tanquam inanime quoddam, nihil omnino agens, sed merè passive se habens; nec erit in illa, unde possit dissentire, si velit: quod totum in Luthero damnavit Tridentinum, *Sess. 6. Can. 4.* Vel sic moveretur à Spiritu Sancto ad actum dilectionis, sicut movetur instrumentum, quod etsi sit principium actus, non tamen est in ipso agere, vel non agere; unde tolleretur ratio voluntarii, & ratio meriti: cum tamen dilectio caritatis sit principium merendi.

Si verò dicatur secundum, quæro: hoc principium, ratione cujus voluntas se movet ad actum caritatis, estne Spiritus Sanctus extrinsecè assistens voluntati; vel est aliquid à Spiritu Sancto in voluntate productum? Si primum. Contra est. Nam, ut in Tractatu de Visione Dei docuimus, per solam extrinsecam assistentiam Dei nequit actus supernaturalis ab intellectu, aut voluntate humana produci; neque Deus intrinsecè uniri potest in ratione formæ, seu principii operandi, estò uniri possit in ratione speciei repræsentantis objectum, vel subsistentiæ terminantis naturam. Quòd si dicatur secundum; ergo hoc, à Spiritu Sancto in voluntate productum, erit caritas: & sic caritas erit quid creatum in anima.

IV. Secunda ratio D. Thomæ est. Deus, qui omnia suaviter, & accommodatè ad rerum naturas disponit, indidit cuique rei proprias formas, & virtutes, quibus connaturaliter suas operationes exercere possent; ergo cùm hominem elevaverit ad ordinem supernaturalem, decuit, ut ei dederit formas, & virtutes, quibus promtè, faciliter, delectabiliter, & connaturaliter operari posset in tali ordine. Quemadmodum igitur ad credendum dat ei habitum fidei, ad sperandum habitum spei: cur ad amandum Deum, auctorem supernaturalem, non infundit ei habitum inclinantem ad talem actum, quo possit promtè, & delectabiliter Deum amare?

§. II.

§. II.

Solvuntur Argumenta.

V. Opponitur primò S. Augustinus, variis in locis. Primò. Ex *l. 8. de Trin. c. 8.* ubi sic loquitur. Qui proximum diligit, consequens est, ut ipsam dilectionem diligat: Deus autem dilectio est, consequens est ergo, ut Deum diligat.

Secundò. L. 15. de Trin. c. 17. *Ita dictum est, Deus caritas est, sicut dictum est, Deus spiritus est.* Ne autem respondeatur, Deum eo modo dici caritatem, quo dicitur nostra patientia, quia sit donum ab ipso proveniens, ait: *Neque enim propterea dictum est, quia Dei substantia est nostra patientia, sed quòd ab ipso nobis est: sicut alibi legimus:* Quoniam ab ipso est patientia mea. *Hunc quippe sensum facile refellit Srripturarum ipsa locutio. Tale est enim:* Tu es patientia mea; *quale est:* Tu es Domine spes mea, & Deus meus misericordia mea, *& multa similia. Non est autem dictum:* Domine caritas mea; *aut:* Tu es caritas mea; *aut:* Deus caritas mea. *Sed ita dictum est:* Deus caritas est, *sicut dictum est:* Deus spiritus est.

Tertiò. Ex *Tract. 9. in Jo.* ubi dicit: *Quomodo corpus tuum sinè spiritu, quod est anima tua, si fuerit, mortuum est: sic anima tua sinè Spiritu Sancto, idest, sinè caritate, si fuerit, mortua deputabitur.*

VI. Respondetur ad hæc, & similia, observando, S. Augustinum nusquam docere, præter caritatem increatam, quæ Deus est, nullum esse habitum caritatis in nobis infusum, quo formaliter dilectores constituamur: sed potiùs docere oppositum citato, *l. 15. de Trinitate*, ubi ait: nullibi in Scriptura dici de Deo: *Tu es caritas mea:* aut: *Deus est caritas mea.* Quod certè deberet dici, si Deus esset formaliter caritas, quâ ipsum diligimus. Imò laudato *l. 15. c. 18.* ait: *Dilectio, quæ ex Deo est, & Deus est, propriè Spiritus Sanctus est, per quam diffunditur in cordibus nostris Dei caritas, per quam nos tota inhabitat Trinitas.* Ubi caritas, quæ in nobis diffunditur, aliam esse dicit à caritate, quæ Deus est, & ex Deo per processionem est.

VII. Ad primam ergo auctoritatem in contrarium dico, Augustinum solùm velle, quòd caritas fraterna, quâ diligimus proximum (de qua ibi loquitur) sit participatio, & donum caritatis, quæ Deus est. Ita S. Tho. hâc *q. 23. a. 2. ad. 1.* his verbis: *Ipsa essentia divina caritas est, sicut & sapientia est, & bonitas est. Unde sicut dicimur boni bonitate, quæ est Deus, & sapientes sapientiâ, quæ est Deus (quia bonitas, quâ formaliter boni sumus, est participatio quadam divinæ bonitatis; & sapientia, quâ formaliter sapientes sumus, est participatio quadam divinæ sapientiæ) ita etiam caritas, quâ formaliter diligimus proximum, est quadam participatio divinæ caritatis. Hic enim modus loquendi est apud Platonicos, quorum doctrinis imbutus fuit Augustinus. Quod quidam non advertentes, ex verbis ejus sumserunt occasionem errandi.*

VIII. Ad secundam dico, intentum Augustini solùm esse, quòd Deus alio modo caritas est, quàm sit spes, vel patientia; non quòd ipse caritatem suppleat: sed quia non dicitur spes, vel patientia, quasi in seipso spem habeat, vel patientiam: nec enim quidquam sperare potest Deus, vel pati, sed purè, ac præcisè, quia spem, & patientiam in nobis causat, & infundit. Sed dicitur caritas, non solùm quia causat, & infundit nobis virtutem caritatis; sed etiam, quia ipsemet in se caritatem habet, imo caritas est: verè nos diligit ex caritate, sicut à nobis ex caritate diligitur.

IX. Ad tertiam dico, spiritum esse vitam animæ efficienter, animam verò esse vitam corporis formaliter: unde animâ per seipsam immediatè vivificat corpus, & eâ recedente, corpus est mor-

mortuum; quia ab eo recedit causa dans formaliter vitam: recedente autem spiritu, anima dicitur mortua; quia recedit causa conservans efficienter vitam caritatis, & gratiæ. Ita respondet S. Thom. 1. 2. *q.* 110. *a.* 1. *ad* 2. dicens: *Deus est vita animæ per modum causæ efficientis: sed anima est vita corporis per modum causæ formalis. Inter formam autem, & materiam non cadit aliquod medium; quia forma per seipsam informat materiam, vel subjectum. Sed agens informat subjectum, non per suam substantiam, sed per formam, quam causat in materia.* Videatur etiam hoc *a.* 2. *ad* 2.

X. Opponitur secundò. 1. *Joann.* 4. *v.* 16. dicitur: *Deus caritas est: & qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo.* Quibus ostendit, caritatem, quâ Deum diligendo in Deo manemus, & Deus nos diligendo in nobis manet, non esse aliam, nisi caritatem, quæ Deus est: aliàs S. Joannes argueret in quatuor terminis.

XI. Respondeo, ex verbis S. Joannis non concludi, quòd caritas fraterna, quæ in nobis est, & quâ in Deo sumus, sit formaliter ipsa caritas, quæ Deus est; sed participatio quædam illius. Cùm enim caritas, quæ Deus est, sit fons omnis dilectionis, quæ in creaturis invenitur; rectè concluditur, quòd is, qui manet in dilectione, maneat in Deo, & Deus in illo: quia causa manet in effectu, & effectus in causa. Sicut ergo is dicitur manere in Sole, qui manet in lumine à Sole diffuso; & vicissim Sol dicitur esse in cubiculo, ubi est lumen Solis: ita ille dicitur manere in Deo, qui manet in caritate à Deo diffusa; & Deus dicitur in eo manere per suum effectum. Neque sequitur, S. Joannem in quatuor terminis arguere. Tùm quia: S. Joannes non intendit ibi formare syllogismum in rigore dialectico. Tùm quia, dicendo caritatem, quæ Deus est, dicit fontem, & causam omnis caritatis.

XII. Opponitur tertiò. Nihil creatum potest nos à vanitate separare, & Deo, qui infinitus est, conjungere; quia, ut dicitur, Rom. 8. v. 20. *Vanitati creatura subjecta est*: & quod vanitati subjectum est, non potest veritati connectere. Unde August. *l. de Moribus Ecclesiæ, cap.* 13. concludit, Spiritum Sanctum, cùm à vanitate separet, & veritati conjungat, non esse creaturam: sed caritas à vanitate separat, & Deo primæ veritati nos connectit; ergo non est creatura.

Confirmatur. Omne creatum natura quædam est, & proinde nequit esse principium meriti, ut contra Pelagium sentit Ecclesia: sed caritas est principium meriti; ergo non est &c.

XIII. Respondeo, dist. maj. Nihil creatum secundùm ea, quæ habet ex se, & ut creatum est, con. maj. Sic enim ex nihilo est, & ad nihilum tendens. Secundùm ea, quæ habet, ut virtus agentis infiniti: nego maj. Responsio est D. Thom. hoc *a.* 2. *ad* 3. dicentis: *Caritas operatur formaliter: efficacia autem formæ est secundùm virtutem agentis, qui inducit formam. Et ideo patet, quòd caritas non est vanitas, nec est infinita: sed quòd facit effectum infinitum, dum conjungit animam Deo, justificando ipsam, hoc demonstrat infinitatem virtutis divinæ, quæ est caritatis auctor.* S. autem Augustinus probat, Spiritum Sanctum non esse creaturam; quia propria suâ vi, & auctoritate separat à vanitate, & conjungit veritati: non autem, ut virtus alterius, quomodo facit creata caritas.

XIV. Ad Confirm. dist. maj, est natura, idest principium connaturale, nego maj. Et in hoc sensu dicere, naturam esse principium meriti, Pelagianum esset. Natura, idest, essentia, sive connaturalis, sive divinitus data, con. maj. Caritas autem hoc modo natura quædam est, à Deo gratiosè homini collata, quâ fit potens, ipsum auctorem gratiæ diligere, eo modo, quo fides est donum Dei, quo fit potens, in ipsum credere: & spes do-

num

num ejusdem est, quo fit potens, in ipsum sperare.

DUBIUM III.

Quodnam sit Objectum Formale Caritatis.

§. I.

Resolutiones Dubii.

I. Duplex in caritate distinguere possumus objectum formale. Unum formale *Quo*, seu ratio formalis *sub Qua*, & motiva: aliud formale *Quod*, seu terminativum, seu ratio *Qua*. Et hoc, aliud est primarium, quod ratione sui attingitur: aliud & attactum ratione alterius.

II. Dico primò. Objectum formale *Quo*, seu ratio motiva est ipsa Dei bonitas in se sumta, sive etiam ut conveniens nobis; quatenus tamen abstrahit ab ejus possessione, vel non possessione: Prima pars ex Scriptura colligitur, quæ Dei bonitatem proponit nobis, ut motivum amoris; ut cum dicitur, Psalm. 105. & 106. v. 1. *Confitemini Domino, quoniam bonus*. Et alibi, Psal. 134. v. 3. *Laudate Dominum, quia bonus Dominus*. Deinde suadet ratio. Nam caritas est virtus theologica, imò inter virtutes theologicas præstantissima; ut 1. Cor. 13. v. 13. *Nunc autem manent fides, spes, caritas, tria hæc: major autem horum est caritas:* sed virtus teologica respicit pro objecto formali *Quo* Deum, seu aliquid divinum: unde fides respicit divinam veritatem, ut revelantem, spes divinam omnipotentiam, ut auxiliantem; ergo caritas debet respicere divinam bonitatem, seu Deum, ut summè bonum.

III. Secunda pars, quòd nimirum respiciat etiam divinam bonitatem, ut est nobis conveniens, hoc est, pro ut est objectiva creaturæ rationalis beatitudo, meritorum nostrorum præmium, probatur. Objectum enim formale *Quo* alicujus virtutis est ratio, sub qua movetur virtus ad attingendum objectum formale quod: sic lux est ratio, sub qua movetur visus ad attingendum colorem: atqui à bonitate divinâ, sive in se sumtâ, sive ut nobis est conveniens, movetur caritas ad diligendum Deum; ergo &c.

Unde S. Thomas 2. 2. *qu.* 3. *a.* 4. ponit pro objecto caritatis Deum, inquantùm beatitudinis objectum, dicens: *Ubi est specialis ratio boni, ibi est specialis ratio amoris: bonum autem divinum inquantùm est beatitudinis objectum, habet specialem rationem boni. Et ideo amor Caritatis, qui est amor hujus boni, est specialis amor*. Et ibidem *ad* 2. ait: *Quia caritas habet pro objecto ultimum finem humanæ vitæ, scilicet beatitudinem æternam, ideo extendit se ad actus totius humanæ vitæ per modum imperii:* bonum autem divinum, ut est objectum beatitudinis est bonum etiam, ut conveniens nobis.

IV. Tertia quoque pars: quòd nimirùm caritatis objectum abstractum à possessione, vel non possessione bonitatis divinæ, constat. Nam, ut dicemus, eàdem caritate, quâ diligimus Deum hìc in via, ipsum diligemus in Patria: sed hìc diligimus eum, ut nondum possessum, in Patria autem diligemus eum, ut possessum; ergo &c. Unde amor, qui præcipuus actus caritatis est, fertur in divinam bonitatem sub præcisa, & formali ratione bonitatis: ad differentiam gaudii, & delectationis, qui actus eum respiciunt sub ratione boni conjuncti, & possessi.

V. Dico secundò. Objectum formale *Quod* caritatis est bonitas divina. Probatur. Objectum formale *Quod* est perfectio illa, quam virtus, seu habitus in objecto materiali attingit: sic color est objectum formale *Quod* visus, quia visus in objectis materialibus colorem attingit: atqui divina bonitas est perfectio, quam caritas attingit in Deo: est enim actus voluntatis; actus autem voluntatis non aliud, quàm bonum in objectis materialibus attin-

git, ideft, non aliud in eis amat, nisi id, quod vel à parte rei in eis bonum est, vel saltem quod intellectus in eis, tanquam bonum, apprehendit; ergo &c.

VI. Dico tertiò. Objectum formale *Quod*, & primariò terminativum actus caritatis est sola bonitas divina: alia verò à Deo sunt objecta solùm secundaria. Prob. Illud solum est objectum formale *Quod*, & primarium caritatis, quod per se, & ratione sui ab ea inspicitur, & ratione cujus, seu per ordinem ad quod cætera omnia inspiciuntur: sed quod à caritate primò, per se, & ratione sui diligitur, est bonitas Dei, seu Deus, ut bonus; & ratione ejus, seu per ordinem ad ipsum cætera diliguntur; ergo &c. Min. constat. Nam per caritatem creatura non diligitur, nisi quatenus in Deo, vel aliquid Dei est, vel ad Deum ordinatur: & qui aliter eam diligeret, non diligeret eam caritate.

§. II.

Respondetur Contrariis.

VII. Omnia hucusque dicta certa sunt. Quod solùm facessit negotium est, quòd diximus, objectum formale *Quo* caritatis esse etiam bonitatem Dei, ut nobis convenientem. Contra hoc enim primò obstare videtur. Hoc enim posito, jam nulla apparebit differentia specifica inter caritatem, & spem: utraque nimirum respiciet bonitatem divinam, ut est bonum nobis conveniens.

Secundò. Si caritas habet pro objecto etiam bonitatem divinam, ut est nobis conveniens, tanquam beatitudo nostra, præmium, ac merces; amor caritatis non erit gratuitus, sed mercenarius; non erit amor amicitiæ, sed concupiscentiæ: quod est absurdum.

Tertiò S. Tho. 2. 2. *q.* 17. *a.* 6. ubi distinguens caritatem à fide, & spe dicit: *Caritas ergo facit, hominem adhærere Deo propter se ipsum, mentem hominis uniens Deo per affectum amoris. Spes autem, & fides faciunt hominem inhærere Deo, sicut cuidam principio, ex quo aliqua nobis proveniunt.*

VIII. Ad hæc tamen respondeo. Ad primum quidem, neg. ant. Diverso enim modo, seu sub diversa ratione respicitur bonitas divina, etiam ut nobis conveniens, à caritate, & à spe. Primò. Quia spes necessariò respicit bonitatem Dei, ut convenientem, & bonam nobis: caritas verò ex sua ratione formali respicere potest bonitatem Dei propter se ipsam, præscindendo ab hoc, quòd sit conveniens nobis. Si enim Deus se ipsum, ut præmium in Beatitudine non promisisset, adhuc possibilis esset actus caritatis, diligens ipsum unicè propter se ipsum: non autem esset possibilis actus spei. — Secundò. Caritas abstrahit à præsentia, vel absentia, à possessione, vel non possessione objecti amati: e contra spes essentialiter tendit in objectum, quatenus est absens. Unde, positâ objecti præsentiâ, spes definit esse: caritas autem augetur. Hinc S. Aug. l. 1. de Doct. Christ. c. 38. *Sed fidei* (inquit) *succedit species, quam videbimus; & spei succedit beatitudo ipsa, ad quam perventuri sumus. Caritas autem, istis decedentibus, augebitur potiùs. Si enim credendo diligimus quod nondum videmus, quantò magis cùm videre cœperimus? & si sperando diligimus, quò nondum pervenimus, quantò magis cùm pervenerimus.* — Tertiò. Caritas amat absentem Dei bonitatem, quâ frui desiderat: illam tamen per se ipsam immediatè non expectat, sed mediante spe, ad quam excitat, & movet. Unde actus expectans beatitudinem est actus proprius, & elicitus à spe, quamvis sit à caritate imperatus.

IX. Ad secundam nego similiter ant. ut supra *Qu. de Spe Dub.* 1. §. 1. *num.* 14. *&c.* Amor enim mercenarius mercedem quærit extra Deum, nempe, res temporales, quibus, ut fruatur

tur, utitur Deo; non verò ille, qui omnibus, ac se ipso utitur, ut fruatur Deo: talis autem est amor, quo homo amat Deum, ut est beatitudo nostra.

X. Ad tertiam dico, S. Thomam, dum dicit, fidem facere nos inhærere Deo, ut principio cognitionis, & spem, ut principio adeptionis perfectæ bonitatis; caritatem autem inhærere Deo propter seipsum, explicans, quid sit inhærere Deo propter seipsum, statim subdit: *Mentem hominis uniens Deo per affectum*. Et ad 3. *Caritas* (inquit) *facit tendere in Deum uniendo affectum hominis Deo, ut scilicet homo non sibi vivat, sed Deo*. Respicere autem unionem cum Deo, non est respicere bonitatem divinam, quasi abstractè, sed uniendam, & communicandam; ac proinde ut homini eam amanti convenientem. Cùm enim caritas sit amicitia hominis cum Deo, & inter amicos debeat esse bonorum communicatio; bonitas Dei, ut conveniens, & communicabilis homini non est contra rationem caritatis.

XI. Hoc dico, ne incidam in opinionem, quam supra, *Qu. 2. de Spe, Dub. 3. §. 1. nu. 1.* ab Innoc. XII. reprobatam retuli, volentem, statui caritatis perfectæ repugnare mixturam proprii interesse: & errorem Quietistarum volentium, Justos debere esse indifferentes circa æternam salutem, & circa media, quæ ad eam comparandam necessaria sunt, quos damnavit Innocentius XI. 12. *Kal. Decembris* 1687

Contra primam enim opinionem sic arguo. Non potest esse contra perfectionem caritatis id, quod caritas vult, & jubet: sed lege caritatis proximo debemus velle, ut ei benè sit, velle debemus ejus commodum, propter Deum, quem in eo amamus; ergo eâdem caritatis lege velle debemus nobis, ut benè sit, & proprium nostrum commodum propter Deum, quem in nobis amamus. — Rursus: ordo caritatis postulat, ut nos, & proximum propter Deum ultimò diligamus; igitur Justi, quamtumvis perfecti, cum cupiunt, ut sibi benè sit, nihil agunt, quod legi caritatis repugnet. Caritas enim, quantumcumque perfecta, non excludit sui, aut proximi amorem, cùm illum ad Deum ultimò referunt, seipsos Deo in omnibus subjiciendo, ita ut Deus in omnibus illis dominetur: *Qui*, teste Paulo, 1. Cor. 15. v. 28. *subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus*.

Tunc enim servant debitum ordinem caritatis: & ut ait August. l. 3. de Doctr. Christ. cap. 22. *Totam dilectionem sui, & illius* (proximi) *refferunt in illam dilectionem Dei, quæ nullum à se rivulum duci extra patitur, cujus derivatione minuatur*.

Contra Quietistarum errorem sic insto. Perfecti velle debent sibi, & aliis æternam salutem, quæ in Dei visione, & fruitione consistit: hanc enim docuit omnes petere Christus in Oratione Dominicâ, sicut & media ad eam consequendam. Quare velle debemus omne id, quod Deus vult, ut velimus, & petamus: sed Deus vult, ut velimus, & petamus æternam salutem, & ea, quæ ad illam obtinendam necessaria sunt: ipse enim hanc bonam voluntatem inspirat, qui vult omnes homines salvos fieri; ergo tantum abest, ut Perfecti ad æternam salutem indifferentes esse debeant, quòd potiùs debent illam expetere, & ad eam toto conatu tendere.

Tandem: perfecta caritate diligit Deum, qui eum sic diligit, ut assequatur quod promisit: sed diligenti se promisit readamationem, & suimet conjunctionem, Joann. 14. v. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*; ergo &c. qui diligit Deum, ut Deum in se habeat, verâ caritate ipsum diligit.

§. III.

§. III.

An eadem sit Caritas, quâ diligitur Deus, & quâ diligitur Proximus propter Deum?

XII. Respondeo affirmativè cum S. Tho. 2. 2. *q.* 25. *a.* 1. & probatur ratione ejusdem. Idem specie actus est, *Qui fertur in rationem objecti, & qui fertur in objectum sub tali ratione; sicut eadem est specie visio, quâ videtur lumen, & quâ videtur color secundùm luminis rationem: sed ratio diligendi proximum Deus est: hoc enim debemus in proximo diligere, ut in Deo sit;* ergo idem specie actus est, quo diligitur Deus, & quo diligitur caritate proximus. Unde hæc ratio est intelligenda, non de quacumque dilectione proximi; sed de caritativa, quâ diligitur proximus propter Deum, vel sicut causam formalem dilectionis proximi, vel sicut causam moventem, vel sicut causam finalem: his enim tribus modis diligi potest proximus propter Deum.

XIII. Sed dices primò. Alius est timor, quo timetur Deus, alius, quo timetur homo, qui dicitur timor humanus; ergo alius est amor, quo diligitur Deus, alius, quo diligitur proximus.

XIV. Respondeo ex D. Tho. citato *ad* 1. quòd *Proximus timeri potest dupliciter, sicut & amari. Uno modo propter id, quod est proprium sibi: puta, cùm aliquis timet tyrannum propter ejus crudelitatem; vel cùm amat ipsum propter cupiditatem acquirendi aliquid ab eo: & talis timor humanus distinguitur à timore Dei, & similiter amor. Alio modo timetur homo, & amatur propter id, quod est Dei in ipso: sicut cùm secularis potestas timetur, propter ministerium divinum, quod habet ad vindictam malefactorum, & amatur propter justitiam: & talis timor hominis non distinguitur à timore Dei, sicut nec amor*. Videatur Apostolus, *ad Rom. cap.* 13.

XV. Dices secundò. Dicit Philosophus, in 8. *Ethic. c.* 8. quòd *amari est honorari*: sed alius est honor, qui debetur Deo, qui est honor *Latriæ*: & aliùs est honor, qui debetur creaturæ, qui est honor *Duliæ*; ergo alius est amor, quo diligitur Deus, alius, quo diligitur proximus.

XVI. Respondeo ex D. Tho. citato *ad* 2. discrimen esse: *Quòd amor respicit bonum in communi, sed honor respicit proprium bonum honorati: defertur enim alicui in testimonium propriæ virtutis. Et ideo amor non diversificatur specie, propter diversam quantitatem bonitatis diversorum, dummodo referantur ad aliquod unum bonum commune: sed honor diversificatur secundùm propria bona singulorum. Unde eodem amore caritatis diligimus omnes proximos, inquantùm referuntur ad unum bonum commune, quod est Deus. Sed diversos honores diversis deferimus, secundùm propriam virtutem singulorum: & similiter Deo singularem honorem Latriæ exhibemus, propter ejus singularem virtutem.*

Respondet etiam idem S. Doct. 2. 2. *q.* 81. *a.* 4. *ad* 3. aliter: *Quòd objectum amoris est bonum: objectum autem honoris, vel reverentiæ est aliquid excellens: bonitas autem Dei communicatur creaturæ, non autem excellentia bonitatis ejus. Et ideo caritas, quâ diligitur Deus, non est virtus distincta à caritate, quâ diligitur proximus: Religio autem, quâ honoratur Deus, distinguitur à virtutibus, quibus honoratur proximus.* Hæc S. Tho. quæ clara sunt.

XVII. Dices tertiò. Non est idem habitus, quo cognoscimus conclusiones, & principia; ergo neque erit idem habitus, quo diligimus proximum, & Deum.

Confirmatur. Actus dilectionis est intentio, quia Deus diligitur tanquam finis; actus verò dilectionis proximi est electio, diligitur enim proximus propter Deum, & veluti ut medium: atqui intentio, & electio differunt

runt specie ; ergo & amor Dei, ac proximi.

XVIII. Respondeo, principia posse cognosci dupliciter: vel secundùm se, vel ut sunt ratio illuminandi conclusiones. Si primo modo cognoscantur, diverso habitu cognoscuntur, nempe, habitu primorum principiorum, ac conclusiones, quæ attinguntur per scientiam. At si principia attingantur, ut sunt ratio illuminandi conclusiones; sic eodem habitu scientiæ, quo attinguntur conclusiones, attinguntur, ut *quo*, etiam principia.

Ad Confirm. similiter dico, quòd eodem actu, quo eliguntur media propter finem, attingitur quoque finis, ut est ratio eligendi media: quare utraque paritas pro nobis est. Cùm enim caritate attingatur Deus, ut est ratio diligendi proximum; eâdem caritate, quâ diligitur proximus, diligitur quoque Deus. Unde August. *l.* 8. *de Trinit. c.* 8. ait: *Ex una igitur, eâdemque caritate, Deum, proximumque diligimus; Deum propter Deum, nos autem, & proximum propter Deum.*

DUBIUM IV.

Quænam sint Objecta Materialia Caritatis.

§. I.

De Dilectione Sui ipsius.

I. QUatuor (ut docet S. Thomas 2. 2. *q.* 25. *a.* 12. ex S. August. *lib.* 1. de *Doctr. Christ. c.* 23.) sunt diligenda: *Unum, quod supra nos est*, scilicet Deus, *alterum, quod nos sumus; tertium, quod juxta nos est*, scilicet proximus, *quartum, quod infra nos est*, scilicet proprium corpus. Cujus ratio est (inquit S. Tho.) quia amicitia caritatis in communicatione beatitudinis fundatur. In qua unum consideratur, ut principium influens beatitudinem; & hic est Deus, qui ea ratione est diligibilis, quia est beatitudinis causa: alterum beatitudinem directè participans, scilicet homo, & Angelus; & hoc est duplici ratione diligibile: vel quia est unum nobiscum, vel quia est nobis consociatum in beatitudine: & ex hoc duplex diligibile consurgit, prout homo diligit se ipsum, & proximum. Aliud tandem est id, ad quod per quamdam redundantiam beatitudo derivatur, & hoc est corpus humanum. De primo diligibili, nempe, Deo, jam egimus: hoc enim est, sinè quo dilecto, & ratione diligendi nequeunt cætera caritate diligi. De aliis diligibilibus agemus: & primò de se ipso, & proprio corpore.

II. Dico primò. Homo debet ex caritate diligere se ipsum. Ita S. Tho. hâc *q.* 25. *a.* 4. Prob. Quia homo debet diligere proximum sicut se ipsum, Matth. 19. v. 19. *Diliges proximum tuum sicut te ipsum:* sed proximum debet diligere ex caritate; ergo & se ipsum. Rursus: cùm caritas fundetur super communicatione beatitudinis æternæ, illi sunt ex caritate diligendi, quibus tale bonum velle debemus: sed homo sibi ipsi velle debet bonum æternæ beatitudinis; ergo se ipsum debet ex caritate diligere. Tertiò. Homo amando ex caritate principaliter Deum, ex consequenti amare debet ea, quæ sunt Dei: sed homo caritatem habens est aliquid Dei; ergo &c.

Hinc notandum cum S. Tho. quòd caritas considerari potest, & sub ratione amoris, & sub ratione communi amicitiæ. Secundùm quòd caritas dicit puram rationem amoris, sic homo directè potest amare se ipsum per caritatem: ut enim ait D. Tho. Qu. un. de Carit. a. 7. ad 12. *Licèt amicitia sit in communicatione ad alterum, sicut & justitia: tamen amor non de necessitate est ad alterum, qui sufficit ad rationem caritatis.* Unde, ut dixerat ibi ad 11. *Secundùm quòd caritas significat amorem, sic aliquis se ipsum ex caritate diligere potest.* Secundùm

quòd

quòd tamen caritas significat communem rationem amicitiæ, quæ de necessitate est ad alterum; sic se ipsum ex caritate diligere non potest, saltem directè, potest tamen ex consequenti: quia ex quo caritas est amicitia hominis ad Deum principaliter, *ex consequenti est ad ea, quæ sunt Dei, inter quæ est etiam ipse homo*, qui caritatem habet.

III. Sed dices primò. Ad id non tenetur homo, de quo non habet præceptum: sed estò habeat præceptum diligendi Deum, & proximum, non tamen præceptum diligendi se ipsum: nam in dilectione Dei, & proximi *Universa lex pendet, & Prophetæ*, ut ait Christus, *Matth. 22. v. 40.* ergo &c.

IV. Dices secundò. Ad id homo ex caritate tenetur, quod est laudabile, non ad id, quod est vituperabile: sed diligere se ipsum est vituperabile: dicitur enim, 2. ad Timoth. 3. v. 1. & 2. *In novissimis diebus instabunt tempora periculosa, erunt homines se ipsos amantes.* Tùm etiam: quia ex amore sui oriuntur omnia peccata; ergo &c.

Respondeo ad primam instantiam, ex D. August. *l. 1. de Doctr. Christ. c. 23.* neg. maj. Rationem autem, quare de dilectione nostrâ nullum datum fuerit præceptum exhibet, his verbis: *De secundo, & quarto* (hoc est de anima nostrâ, & corpore nostro amandis) *nulla præcepta danda erant. Quantumlibet enim homo excidat à veritate, remanet illi dilectio sui, & dilectio corporis sui. Fugax enim animus ab incommutabili lumine omnium regnatore id agit, ut & ipse sibi regnet, & corpori suo: & ideo non potest nisi se, & corpus suum diligere.*

Respondeo secundò cum eodem Sancto Augustino, præceptum diligendi se ipsum includi in præcepto diligendi proximum, quem ad normam dilectionis, quâ se ipsum diligit, diligere debet. Ita l. 1. de Doctr. Christ. c. 26. *Sed cum dictum est, diliges proximum tuum, tanquam te ipsum, simul & tui, & abs te dilectio non prætermissa est.* Potiùs tamen ibi præcipitur modus dilectionis sui, nempe, eam ad Deum referendi, quàm substantia. Nam si homo diligat se ipsum, & non propter Deum, frangit potiùs præceptum, quàm impleat. Ita idem S. August. l. 1. de Doctr. Christ. c. 25. *Modus ergò diligendi præcipiendus est homini, idest, quomodo se diligat, & prosit sibi. Quin autem se diligat, & prodesse sibi velit, dubitare dementis est. Præcipiendum etiam, quomodo corpus suum diligat, ut ei ordinatè, prudenterque consulat. Namquòd diligat etiam corpus suum, idque salvum habere, atque integrum velit, æquè manifestum est.*

VI. Ad secundam instantiam dico, min. intelligendam esse de dilectione sui inordinatâ, quâ scilicet propter proprium, & sensibile commodum negligunt gloriam Dei, & salutem proximi; qui scilicet *amant se, secundùm naturam sensibilem, cui obtemperant*, ut ait Divus Thomas hoc *art. 4. ad 3.* & in ea finem ponunt: non verò de dilectione sui ordinatâ, quâ diligunt se, *secundùm naturam rationalem, ut sibi velint ea bona, quæ pertinent ad perfectionem rationis:* maximè se ipsum, & omnia sua ordinando ad Deum, quomodo pertinet ad caritatem diligere se ipsum, non quomodo se ipsos amabant illi, quos reprehendit Paulus, qui proinde ex amore sui in omnia vitia præcipites ruebant. Ita enim se ipsum diligere, se ipsum potiùs odisse est: in quo sensu ait Christus, Jo. 12. v. 25. *Qui amat animam suam, perdet eam, & qui odit animam suam in hoc Mundo, in vitam æternam custodit eam.*

VII. Dico secundò. Homo debet corpus suum ex caritate diligere, non solùm tanquam rem amici scilicet Dei, ad cujus gloriam debemus uti nostro corpore; sed insuper tanquam id, cui debemus velle participationem beatitudinis. Ita S. Thom. hâc q. 25. a. 5. *Natura autem corporis nostri non est à malo*

malo principio creata, ut Manichæi fabulantur, sed est à Deo. Unde possumus eo uti ad servitium Dei, secundùm illud, Roman. 6. Exhibete membra vestra arma justitiæ Deo.

Et ibidem ad 2. *Quamvis* (inquit) *corpus nostrum Deo frui non possit cognoscendo, & amando ipsum; tamen per opera, quæ per corpus agimus, ad perfectam Dei fruitionem possumur venire. Unde ex fruitione animæ redundat quadam beatitudo ad corpus, scilicet, sanitatis, & incorruptionis vigor, ut August. dicit in Ep. ad Dioscorum* (quæ est 56. modò 118.) *Et ideo quia corpus aliquo modo est particeps beatitudinis, potest dilectione caritatis amari.*

VIII. Sed quomodo, inquies, corpus nostrum diligere tenemur; si potiùs illud affligere Sancti exemplo suo nos docent, & quicumque verè amat Deum, hoc facere tenetur? Nemo certe affligit, quod amat.

Quomodo amamus caritate illum, cui convivere non volumus? Homines autem caritatem habentes refugiunt corporis convictum. Unde Paulus, Roman. 7. v. *Quis* (inquit) *me liberabit de corpore mortis hujus?*

IX. Respondeo cum S. Thom. hic, in corpore nostro duo esse, nempe, naturam, & infectionem culpæ, ac pœnæ. Corpus quoad naturam diligere debemus: *Sed infectionem culpæ, & corruptionem pœnæ in corpore nostro diligere non debemus, sed potiùs ad ejus remotionem anhelare desiderio caritatis.* Et hoc oderant in corpore suo Sancti, ac ab eo amovere conabantur: & ideo ex caritate, quâ corpus suum diligebant, illud affligebant, ut redderent subjectum spiritui, Deo serviens, & participes efficerent futuræ beatitudinis. Ita S. Paulus dicebat, 1. Cor. 9. v. 27. *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo.* Et Hebr. 12. v. 6. *Quem enim diligit Dominus, castigat, flagellat autem omnem filium, quem recipit.*

Eodem modo respondet S. Thom. a. 5. citato ad 1. *Quòd Apostolus non refugiebat corporis communionem, quantùm ad corporis naturam; imò secundùm hoc nolebat ab eo spoliari, secundùm illud, 2. Cor. 5. v. 4.* Nolumus expoliari, sed supervestiri. *Sed volebat carere infectione concupiscentiæ, quæ remanet in corpore, & corruptione ipsius, quæ aggravat animam, ne possit Deum videre. Unde signanter dicit:* De corpore mortis hujus.

X. Quæres: An peccatores diligant semetipsos?

Responsio D. Thom. hâc q. 25. a. 7. est negativa, loquendo de vera, & rationabili dilectione: quia falsò existimantes seipsos diligere, revera se non diligunt, sed odio habent. Probatur primò. Ex Psalm. 10. v. 6. *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Secundò. Quia hominem seipsum diligere, est diligere se secundùm id quod est principale in ipso, hoc est secundùm naturam rationalem: sed peccatores non diligunt seipsos secundùm naturam rationalem: quia existimant, principale in ipsis esse naturam sensitivam, cui serviunt, cui volunt bona, cui operantur, cui delectabiliter convivunt, & cum qua etiam contra rationem concordant; ergo &c.

Ude D. Thom. assignans differentiam inter dilectionem, quâ seipsos diligunt boni, & eam, quâ se diligunt mali, ait: *Boni æstimant principale in seipsis rationalem naturam, sive interiorem hominem: unde secundùm hoc æstimant se esse, quod sunt. Mali autem æstimant principale in seipsis naturam sensitivam, & corporalem, scilicet, exteriorem hominem. Unde non rectè cognoscentes seipsos, non verè diligunt seipsos; sed diligunt id, quod seipsos esse reputant: boni autem verè cognoscentes seipsos, verè seipsos diligunt.* Ex quo concludit, quòd cùm amicus velit suum amicum vivere, & esse, velit ei bona, operetur bona ad ipsum, ei delectabiliter convivat, & cum ipso concordet: boni quoad hæc omnia feruntur erga spiritum, ejusque integritatem, mali autem erga corpus, & corporalia bona.

§. II.

§. II.

De Dilectione Proximi.

XI. Nomine proximi non venire creaturas irrationales, docet S. Thom. hâc *q.* 25. *a.* 3. ideoque non esse ex caritate diligendas, ratione sui. Quia homini proximus ille solus est, qui cum ipso communicat in natura rationali: & caritate, quæ est amicitia quædam, ea sola diligimus, cum quibus communicationem habere possumus in vita rationali, & præcipuè in beatitudine æternâ, quam communicationem cum creaturis irrationalibus habere non possumus: & insuper quibus bonum volumus, quia per amicitiam amico bonum volumus. Creaturæ autem irrationali non possumus propriè bonum velle: solius enim rationalis naturæ est proprie habere bonum, quia sola est domina per liberum arbitrium utendi bono: creaturæ autem irrationales non utuntur bono, sed potiùs eis nos utimur ad bonum nostrum, vel aliorum. Unde concludit S. Doct. eas solùm posse nos ex caritate diligere, *Sicut bona, quæ aliis volumus, inquantùm ex caritate volumus eas conservari, ad honorem Dei, & utilitatem hominum. Et sic etiam ex caritate Deus eas diligit.*

Tria ergo, nomine proximi ex caritate diligendi, venire possunt, Angeli, peccatores, & inimici.

XII. Dico primò. Angeli sunt à nobis ex caritate diligendi. Ita S. Thom. hâc *q.* 25. *a.* 10. Et probat primò. Quia Angeli Sancti sub nomine proximi continentur; nomine enim proximi venit ille, vel cui opem præstamus, vel à quo opem recipimus: sed ab Angelis in multis opem recipimus; ergo &c. Maj. prob. ex parabola, quæ refertur, *Lucæ* 10. de Viatore, qui à latronibus spoliatus, & plagis vulneratus, à solo Samaritano curatus fuit: ubi Christus Legis peritum interrogans, ait: *Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones?* Et respondente illo: *Qui fecit misericordiam in illum*; Christus approbans responsum subjunxit v. 37. *Vade, & tu fac similiter.*

Nec refert, quòd hîc solus ille videatur esse proximus noster, qui ope nostrâ indiget, vel indigere potest: Angeli verò non possunt nostri indigere. Nam estò ibi dicatur proximus ille, qui fecit misericordiam; cum tamen nomen proximi sit relativum, sicut proximus est, qui potest beneficium accipere, ita proximus est ille, qui potest beneficium dare. Unde S. Augustinus, l. 1. de Doctr. Christ. c. 30. *Jam vero* (inquit) *si vel cui præbendum est, vel à quo nobis præbendum est officium misericordiæ, rectè proximus dicitur; manifestum est, hoc præcepto, quo jubemur diligere proximum, etiam Sanctos Angelos contineri, à quibus tanta nobis misericordiæ impenduntur officia, quanta multis divinarum scripturarum locis animadvertere facile est.*

XIII. Secundò probat S. Thom. sic. Amicitia caritatis fundatur super communicatione beatitudinis æternæ: sed in ejus participatione communicant cum Angelis homines: dicitur enim, *Matth.* 22. *v.* 30. quòd in Resurrectione erunt homines *Sicut Angeli Dei in Cœlo*; ergo amicitia caritatis etiam ad Angelos se extendit.

XIV. Nec refert si dicatur primò. Angelos non communicare nobiscum in natura speciei: ex quo videtur dici non posse, eos dici proximos, aut amicos nobis. Secundò. Quia hac ratione ad bruta, quæ magis nobiscum in natura conveniunt, amicitiam habere nos non posse diximus. Tertiò. Quia proprium amicorum est convivere: Angeli autem non convivunt nobiscum, nec eos etiam videre possumus.

XV. Nam ad hæc tria respondit jam D. Thom. hoc *a.* 10. Ad primum enim dicit: *Quòd proximus non solùm dicitur communicatione speciei; sed etiam communicatione beneficiorum pertinentium ad vitam æternam, super qua*

com-

communicatione amicitia fundatur: in hac autem communicant nobiscum Angeli.

Ad secundam respondit: *Quòd bruta animalia conveniunt nobiscum in genere propinquo, ratione naturæ sensitivæ, secundùm quam non sumus participes æternæ beatitudinis; sed secundùm mentem rationalem, in qua communicamus cum Angelis.*

Ad tertiam respondit: *Quòd Angeli non convivunt nobis exteriori conversatione, quæ nobis est secundùm sensitivam naturam: convivimus tamen Angelis secundùm mentem, imperfectè quidem in hac vitâ, perfectè autem in Patria*, ut supra *qu.* 23. *a.* 1. *ad* 1. dixerat.

XVI. Quæres: an Dæmones sint ex caritate diligendi.

Respondet S. Tho. *q.* 25. *a.* 11. negativè. Eos enim ex caritate diligimus, quibus, ut amicis nostris, bonum volumus vitæ æternæ: sed spiritibus illis à Deo æternaliter damnatis, non possumus velle bonum vitæ æternæ: *Hoc enim repugnaret caritati Dei, per quam ejus justitiam approbamus*; ergo &c. Et eâdem ratione, ut docet ibidem, *ad* 2. ex caritate non possumus diligere Damnatos in Inferno.

Quòd si diligere dicatur omne id, quod volumus permanere, ut bonum alterius: per quem modum diligimus ex caritate irrationales creaturas, inquantùm volumus, eas permanere ad gloriam Dei, & utilitatem hominum, ut supra dictum est: *& per hunc modum naturam Dæmonum etiam ex caritate diligere possumus, inquantùm scilicet volumus, illos Spiritus in suis naturalibus conservari ad gloriam Dei.*

Nec dicas. Quòd cùm, ex dictis, debeamus diligere, tanquam proximum, eos, à quibus beneficia capimus; sed Dæmones nobis in multis sunt utiles: *Dum* enim *nos tentant, nobis coronas fabricant*, ut ex August. 11. *de Civit. Dei cap.* 17. ergo &c. — Nam respondet S. Tho. a. 11. citato ad 3. *Quòd utilitas, quæ nobis ex Dæmonibus provenit, non est ex eorum intentione, sed ex ordinatione divinæ providentiæ. Et ideo ex hoc non inducimur ad habendum amicitiam eorum; sed ad hoc, quòd simus Deo amici, qui eorum perversam intentionem convertit in nostram utilitatem.*

XVII. Dico secundò. Peccatores sunt ex caritate diligendi secundùm naturam, odiendi verò secundùm culpam. Ita S. Thom. hâc *qu.* 25. *art.* 6. Prior pars probatur. Nam peccatores naturam à Deo habent: secundùm eam adhuc *capaces sunt beatitudinis, super cujus communicatione caritas fundatur*, ad differentiam Dæmonum, & Damnatorum. Accedit: quòd Christus venit vocare peccatores, *Matth.* 9. *v.* 13. quodque in hoc maximè caritatem suam erga nos commendavit: quoniam cùm *Adhuc peccatores essemus secundùm tempus, Christus pro nobis mortuus est*, Rom. 5. v. 8.

Secunda quoque pars probatur. Tùm quia: culpa eorum Deo contrariatur, & est beatitudinis impedimentum. Tùm quia: eo ipso, quòd amamus peccatorem, ut proximum, eique bonum volumus, debemus odisse peccatum, quod ei malum est. Unde S. Thom. *a.* 6. citato *ad* 1. dicit: *Quòd Propheta inquos odio habuit* (*Psalm.* 118. *v.* 113.) *inquantùm iniqui sunt, habens odio iniquitatem ipsorum, quod est ipsorum malum. Et hoc est perfectum odium, de quo ipse dicit Psalm.* 138. Perfecto odio oderam illos. *Ejusdem autem rationis est odire malum alicujus, & diligere bonum ejus. Unde etiam illud odium perfectum ad caritatem pertinet.*

XVIII. Notat tamen S. Thom. ibi *ad* 2. quòd etiam peccatoribus amicitiæ signa non sunt subtrahenda, quamdiù habetur spes sanationis eorum; sed magis est eis auxilium dandum ad recuperationem virtutis: sed quando in maximam malitiam incidunt, & insanabiles fiunt, tunc non est eis amicitiæ familiaritas exhibenda. *Et ideo hujusmodi peccantes, de quibus magis præsumitur nocumentum*

 alio-

aliorum, quàm eorum emendatio, secundùm legem divinam, & humanam præcipiuntur occidi. Et tamen hoc facit Judex, non ex odio eorum, sed ex amore caritatis, quo bonum publicum præfertur vitæ singularis personæ. Et tamen mors per Judicem inflicta peccatori prodest, si convertatur, ad culpæ expiationem: si verò non convertatur, ad culpæ terminationem; quia per hoc tollitur ei potestas amplius peccandi.

Secundò. Nemini dùm in hoc seculo vivit, optanda est, aut imprecanda æterna damnatio, etsi magnus peccator sit; quin potiùs pro eo orandum, ut convertatur, & salvus fiat: hic enim est finis, ad quem debemus omnem viatorem ex caritate diligere. Quod si aliquando visi sint Sancti peccatoribus damnationem in Infernum imprecari, ut Psalmo 9. v. 18. *Convertantur peccatores in Infernum:* vel hoc (ut ait S. Tho. hic *ad* 3.) non est per modum optationis, sed prænuntiationis, ut sit sensus: *Convertantur &c.* idest *Convertentur*. Unde S. August. l. 16. contra Faustum, cap. 22. *Maledicta* (inquit) *cùm ex prophetia dicuntur, non sunt de malo voto imprecantis: sed de præscio spiritu denuntiantis*. Vel si aliquando sit per modum optationis, aut imprecationis; desiderium tamen optantis non refertur ad pœnam hominum, sed ad justitiam punientis, secundùm illud Psalm. 57. v. 11. *Lætabitur justus, cùm viderit vindictam:* vel ad remotionem culpæ, ut scilicet homines remaneant, & peccata destruantur.

DUBIUM V.

An Inimici sint ex Caritate diligendi?

§. I.

Prior Resolutio.

I. De dilectione inimicorum singulare dubium instituimus, in quo primò ostendemus talis dilectionis necessitatem. Secundò: An debeamus inimicis signa externæ dilectionis ostendere, & qualia?

Inimicus considerari potest ut homo, & quantùm ad naturam, & ut inimicus. Rursùs: dilectio inimici quantùm ad naturam, considerari potest in universali; ita ut in generalitate dilectionis proximi includatur etiam inimicus: vel in speciali, ut, nempe, speciali dilectionis motu homo feratur in inimicum. His prænotatis

II. Dico primò. Homo ex necessitate caritatis tenetur diligere inimicum, non ut inimicum, sed inquantùm homo est; ut scilicet ejus personæ nihil mali desideret, neque eum à generalitate dilectionis proximi excludat: sit tamen paratus ejus salutem, sive spiritualem, sive etiam corporalem procurare, quando fuerit opus. Ita S. Tho. hâc *q* 25. *a*. 8. Quòd enim inimicum, ut inimicum, diligere ex caritate non teneamur, constat; quia hoc esset perversum, & caritati repugnans: esset enim diligere peccatum ejus. Quòd sufficiat, dilectione generali ejus personam diligere, ipsum non excludendo à generalitate dilectionis proximi, constat. Nam hoc sufficit ad diligendos quoscumque alios homines: nec enim moveri motu dilectionis in speciali ad quoslibet homines singulariter est de necessitate caritatis, quia hoc esset impossibile: sed solùm, quòd habeat animum paratum ad hoc, quòd in singulari inimicum diligeret, si necessitas occurreret. Si verò etiam necessitate non urgente. *Hoc actu impleat, ut diligat inimicum propter Deum, hoc pertinet ad perfectionem caritatis. Cùm enim diligitur proximus propter Deum, quantò aliquis magis diligit Deum; tantò etiam magis ad proximum dilectionem ostendit, nullâ inimicitiâ impediente. Sicut si aliquis multum diligeret aliquem hominem, amore ipsius filios ejus amaret, etiam inimicos sibi.* Ita S. Thomas.

III. Probatur, esse de necessitate cari-

caritatis, diligere inimicos modo explicato. Primò ex verbis Domini Matth. 5. v. 44. & Lucæ 6. v. 27. *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos: & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.* Quæ verba præcepti vim habere ostendit, partim id, quod sequitur apud Matth. *Ut sitis filii Patris vestri, qui in Cœlis est.* Partim quod sequitur apud Lucam, v. 31. *Et prout vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis similiter.* Hoc enim principium naturale proculdubio habet vim præcepti. Unde, *Matth. 6. v. 14. & 15.* ait: *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum: dimittet & vobis Pater vester Cœlestis delicta vestra: si autem non dimiseritis hominibus: nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Quod repetit, *Matth. 18. v. 35.* & *Marci 11. v. 25.*

Hoc idem docet Paulus, *Rom. 12.* ubi hortatus Romanos, ad habendam pacem cum omnibus *v. 20.* subjicit (ex Prov. 25. v. 21.) *Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus. Noli vinci à malo: sed vince in bono malum.*

IV. Secundò ratione probatur. Nam, ex dictis, ex caritate tenemur diligere proximum: sed homo ex quo inimicus non desinit esse proximus, nempe, creatura facta ad imaginem Dei, & capax, ut sit particeps æternæ beatitudinis nobiscum; ergo &c. Tùm quia: non potest ex caritate amari Deus, quin omnia, quæ Dei sunt, diligantur amore sui, & propter ipsum: sed proximus, etsi nobis inimicus, est aliquid Dei; ergo non possumus caritate diligere Deum, quin amore ipsius diligamus inimicum.

V. Sed dices primò. Cùm Christus dicit: *Diligite inimicos vestros*, solùm vult indicare, dilectionem inimicorum requiri ad caritatis perfectionem. Unde concludit: *Estote ergo perfecti &c.* & ut caritas magnam mercedem reportet: *Si enim* (inquit) *diligitis eos, qui vos diligunt, quàm mercedem habebitis?*

VI. Confirmatur. S. Augustin. in *Enchirid. cap. 73.* citatus à S. Thom. hìc pro primo argumento, docet, inimici dilectionem esse Perfectorum, multosque à Deo exaudiri, quando dicunt: *Dimitte nobis debita nostra*, qui nec dum ad illam perfectionem devenerunt. Imò, lib. 1. de Serm. Domini in Monte, cap. 21. *Ascendit* (inquit) *aliquem gradum, qui proximum diligit, quamvis adhuc oderit inimicum.* Et S. Hieronymus *lib. 1. adversùs Pelagianos, cap. 9.* reprehendit eos, quòd inimicos, ut proximos, diligendos esse dicerent.

VII. Respondeo, neg. assumtum. Verba enim Christi, de inimicis diligendis generali dilectione, continere rigorosum præceptum, jam dictum est; requiritur enim, ut simus perfecti, & perfectione, quâ distinguamur ab Ethnicis, quâ simus filii Dei, & quâ mercedem æternam solis filiis Dei repromissam reportemus. Neque verum est, quòd is, qui diligit solùm amicos, reportaturus sit mercedem (scilicet spiritualem) etsi parvam: cùm potiùs contrarium asseruerit Christus ibi dicens: *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?* Quasi dicat: *nullam.* Subdit enim: *Nonne & Publicani* (idest peccatores) *hoc faciunt? Et si salutaveritis fratres vestros tantùm, quid amplius facitis? Nonne & Ethnici hoc faciunt?* Qui tamen nullam inde spiritualem mercedem recipiunt. Et ratio est. Quia amor, quo soli illi diliguntur, qui nos diligunt, non procedit ab amore, quo Deus diligitur, ac proinde neque à caritate: sed ex naturali affectu, qui non est propter Deum; sed potiùs propter privatum commodum.

VIII. Ad Confirm. dico, S. Augustinum priori loco non agere de dilectione generali, sed singulari, & speciali, quâ quis erga inimicum, adhuc inimicè agentem, actu benè afficiatur; velit-

velitque ei, etiam extra casum necessitatis, benefacere: quod patet ex his ejus verbis: *Ei, qui tibi malum vult, & si potest, facit, tu bonum semper velis, faciasque cùm possis.* Quæ singularis dilectio cùm non sit absolutè necessaria, ut ex D. Thom. dictum est; meritò dicit Augustinus, illam esse Perfectorum, non autem omnium, qui remissionem peccatorum accipiunt. Unde cum eodem loco subjungit: *Impleri sponsionem orationis dominicæ, si homo, qui nondum ita profecit, ut inimicum diligat; tamen quando rogatur ab homine, qui peccavit in eum, ut sibi dimittat, dimittit ex corde*: de eadem singulari dilectione loquitur, & significat, sufficere ad remissionem peccatorum consequendam, si inimico dimittatur secundùm præparationem animi, etiamsi non dimittatur actu priusquam petat veniam.

In posteriori autem loco dicens, eum ascendisse aliquem gradum, qui proximum diligit, quamvis adhuc oderit inimicum; non loquitur de gradu salutis, & justitiæ christianæ, sed de gradu justitiæ pharisaicæ: significans, quod cùm quidam etiam eos, à quibus diligunrur, oderint, illi, qui saltem amicos diligunt, gradum aliquem ascenderunt supra priores: *Sed ille gradus tam parvus est* (ait ipse August.) *ut eum Publicanis etiam possit esse communis.*

IX. Ne autem de mente S. Augustini, circa hanc veritatem, dubitare quis possit; adeat ipsum, *l. 1. de Doctr. Christ. c. 27. &c. l. 19. contra Faustum c. 24.* ubi ait: *Hæc regula est, quâ & oderimus inimicum, propter id, quod in eo malum est, idest iniquitatem; & diligamus inimicum, propter id, quod in eo bonum est, idest, socialem, rationalemque naturam.* Et alibi.

X. Ad S. Hieronymum verò dico, quòd ibi probat, inimicos esse diligendos, ex *Matth. 5. Exod. 23. & Roman. 12.* Reprehendit autem Pelagianos, non quòd dicerent, inimicos esse diligendos; sed quòd vellent, necessariò esse amandos, tanquam familiares, amicos, & consanguineos.

XI. Dices secundò. In veteri lege erat caritas, neque tamen tunc erat necessarium diligere inimicos. Unde Dominus, Matth. 5. ait, v. 43. *Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.*

Hæc instantia viam aperit duplici quæsito. Primum est: utrum dilectio inimici fuerit etiam Judæis in veteri lege præcepta.

Alterum: utrum dilectio inimici sit legis naturalis, an solum positivæ. Cujus elucidatione sit

§. II.

De Dilectione Inimicorum in Lege Veteri, & Naturali.

XII. Utrique quæsito responsio affirmativa danda est: nempe, tàm in lege veteri, quàm naturali præceptum fuisse diligere inimicos. Quæ pro prima parte probatur primò. Nam Judæis præcepta erat dilectio proximi. Cùm enim Christus, *Matth. 22.* interrogaretur, quodnam esset mandatum magnum in lege; & respondisset, præceptum dilectionis Dei, statim subjunxit: v. 39. *Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet, & Prophetæ:* Verba autem illa: *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum*, sumta sunt ex *Levit. 19. v. 18.* ubi postquam dictum fuit: *Non oderis fratrem tuum in corde tuo:* & postea: *Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum*, subjiciuntur præfata verba: *Diliges &c.* Estò autem Vulgata nostra dicat: *diliges amicum tuum*; tamen lxx. Interpretes, juxta quos loquutus est Christus, reddunt: *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum.* Cùm autem ut dictum est §. preced. sub proximo comprehendatur etiam inimicus, sequitur, in lege vetere &c.

XIII. Confirmat hoc S. Thomas *in*

3. dist.

3. *dist.* 30. *q.* 1. *a.* 1. ex illo, Levitici 19 *Non quæras ultionem, nec memineris injuriæ civium tuorum*, dicens: ad 2. *In veteri lege etiam homines tenebantur ad dilectionem inimicorum, sicut patet per auctoritatem Levitici inductam. Unde quod dicitur: Odio habebis inimicum tuum, non est ex lege sumtum, quia nusquam hoc in littera invenitur: sed est additum ex prava interpretatione Judæorum, qui ex eo, quòd præcipiebatur dilectio proximi, concludebant, quod inimici erant odiendi.*

XIV. Potest quoque veritas hæc aliis veteris paginæ testimoniis confirmari. Dicitur enim, Exodi 23. v. 4. *Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum: & si videris asinum odientis te jacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo.* Porro quis credat, tàm exiguas officiorum minutias in favorem inimici Deum præcepisse, & simul odium personæ voluisse? Pluris ne est apud Deum hos errans, aut asinus lassus homine ad sui imaginem condito? Sed clariùs adhuc, Proverb. 24. v. 17. *Cùm occiderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina ejus ne exultet cor tuum.* Et cap. 25. v. 21. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitit, da ei aquam bibere, prunas enim congregabis super caput ejus, & Dominus reddet tibi.* Ex quo loco Paulus sumpsit verba supra laudata, ex *Roman.* 12. *v.* 20.

Accedit quoque testimonium *Job. c.* 31. *v.* 28. dicentis: *Quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum, si gavisus sum ad ruinam ejus, qui me oderat, & exultavi, quòd invenisset eum malum: non enim dedi ad peccandum guttur meum, ut expeterem maledicens animam ejus.* Quibus evanescit effugium Maldonati ajentis, prohiberi solùm Judæis, inimicitias gerere eum confratribus legem Moysi profitentibus. Nam præfatis testimoniis indiscriminatim, absque ulla Gentis distinctione, inimicorum odium apertissimè prohibetur.

XV. Nec dicas *Deuteron.* 25. *v.* 19. præcipitur Israelitis, ut injuriam ab Amaleeitis illatam quàm primùm ulciscerentur, eosque ad internecionem delerent: *Delebis nomen ejus sub Cœlo: cave, ne obliviscaris.*

Nam ibi præcipitur Israelitis, ut injuriam Deo, populoque ejus irrogatam, non privatâ auctoritate, sed publico belli jure vindicarent. Exterminium autem hostium justo bello, & præsertim Deo, qui est Dominus vitæ, & mortis, imperante, non solùm non est illicitum, sed justum est, ac honestum.

XVI. Nunc respondendum est ad objectionem §. *præcedente* factam, quæ præsenti quæsito occasionem dedit. Hâc victus Maldonatus totum concedit, & dicit, Christum verbis illis: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros*, non pravas tantùm divinæ legis interpretationes, sed legem ipsam correxisse; carpens nostram interpretationem, tanquam ex hæreticorum officina depromtam. Cùm Dominus (ait ipse) alia multa correxerit de lege veteri, quæ constat non fuisse à Judæis adulterata, sed in lege expressa, quale est illud, *Deuteron.* 24. *v.* 3. Quicumque dimiserit uxorem suam: det illi libellum repudii; quod tamen Christus corrigit, sicut & alia multa, ut legere est *Matth.* 5. Tùm etiam: quia falsum est, illam de odio inimicorum sententiam innectam fuisse à Scribis, & Pharisæis, quorum secta (teste D. Hieronymo) utpote orta à Samai, & Hallo, qui paulò ante Christi Nativitatem nati sunt, non poterat dici antiqua. Accedit, quòd si opinio illa Scribas, & Pharisæos habuisset auctores, eos Christus propriis nominibus indicare, ut alibi fecit, non erubuisset.

XVII. Sed Maldonatus, aut quisquis alius volens, legem veterem odium inimicorum, & alia suâpte naturâ mala indulsisse, quæ proinde à Christo fuerint emendata; videtur favere Manichæis legem veterem reproban-

bantibus: contra quos egimus in Tract. de Lege Veteri. Quidquid autem sit de hoc, Maldonati opinio, tanquam falsa, rejicitur contrariis veteris legis testimoniis supra adductis. Testimonio D. Thomæ: tùm ex 3. *Sent. dist.* 30. supra relato: tùm ex 1. 2. *q.* 107. *a.* 2. *ad* 2. dicentis: *Circa odium verò inimicorum removit* (Christus) *falsum Pharisæorum intellectum, nos monens, ut persona odio non haberetur, sed culpa.* Testimonio S. Augustini, ex quo S. Tho. verba laudata sumsisse arbitror, *l.* 19. *contra Faustum c.* 24. ita scribentis: *Non est contrarium, quod in antiqua Scriptura dictum est:* Oderis inimicum tuum; *& in Evangelio:* Diligite inimicos vestros. *Quia unusquisque iniquus homo, inquantùm iniquus est, odio habendus est, inquantùm autem homo est, diligendus est.* Et postea: *Audito igitur, & non intellecto, quod antiquis dictum erat:* Oderis inimicum tuum; *ferebantur homines in hominis odium, cum deberent non odisse, nisi vitium. Hos corrigit Dominus dicendo:* Diligite inimicos vestros, *ut qui jam dixerat:* Non veni legem solvere, sed adimplere. *Ideoque de odio inimici, quod scriptum est in lege, non solveret, præcipiendo utique, ut diligamus inimicos: cogeret nos intelligere, quonam modo possemus unum, eumdemque hominem & odisse propter culpam, & diligere propter naturam.* Quibus ostendit Augustinus cum D. Thoma, Christum præcepto dilectionis inimicorum correxisse, non legem, sed pravum intellectum legis.

XVIII. Eâdem quoque ratione falsam de uxore dimittenda interpretationem correxit, non legem. Cùm enim Judæi existimarent, dimissionem uxoris cum libello repudii, ob quamcumque levissimam causam, pro hominum arbitratu fieri posse: unde *Matth.* 19. *v.* 3. accesserunt ad eum Pharisæi dicentes: *Si licet homini dimittere uxorem quâcumque ex causa?* Solam fornicationis causam excepit. Ita S. Tho. 1. 2. *q.* 107. *a.* 2. *ad* 2. ex S. August. *contra Faustum*, ait: *Præcepta illa Domini non sunt contraria præceptis veteris legis. Quod enim Dominus præcepit de uxore non dimittendâ, non est contrarium ei, quod præcepit lex: Neque enim ait lex: qui voluerit, dimittat uxorem; cui esset contrarium, non dimittere: sed utique nolebat dimitti uxorem à viro, qui hanc interposuit moram, ut in dissidium animus præceps libelli conscriptione refractus, absisteret. Unde Dominus ad hoc confirmandum, ut non facilè uxor dimittatur, solam causam fornicationis excepit.*

XIX. Ad id, quod additur, dico, me non facere vim, primos Auctores falsæ illius interpretationis fuisse Scribas, & Pharisæos. Sive enim eorum secta antiqua fuerit, sive recentior, de quo variè varii sentiunt; sive dictum illud à Christo correctum, seu veriùs explicatum, inveniatur in Scriptura, ut videtur admittere S. Augustinus, sive non inveniatur, ut dicit S. Thomas; certum est, Scribas, & Pharisæos Christi temporibus eo abusos fuisse, illud extendentes ad odium inimicorum, etiam quantùm ad personas. Cum enim in Scriptura, *Levitici* 19. legerent: *Diliges amicum tuum*, è contrario intelligebant, odio esse habendum inimicum, & hoc verbis, & factis docebant. In quo tamen decipiebantur. Tùm quia: ibi nomen amici generaliter sumitur pro omni proximo; in quo sensu illud sumserunt lxx. & Christus ipse, *Matth.* 5. & *Lucæ* 6. ut diximus: proximus autem noster non solùm est amicus, sed etiam inimicus. Unde cùm in ratione amabilis propter Deum conveniant amicus, & inimicus; ex quo amandus sit amicus, sequitur potiùs, quòd amandus sit etiam inimicus: sicut ex quo amicus sit homo, sequitur, quòd etiam inimicus sit homo. Tùm etiam: quia, ad bonam consequentiam, deberent propositiones illæ accipi per se: & sic verum esset, quòd sicut diligendus est amicus, ut amicus; ita odio habendus sit inimicus, ut inimicus.

XX.

XX. Altera autem quæsiti pars, quòd nimirum diligere inimicum sit lege naturali præceptum, probatur. Quia sequitur ex hoc principio naturali: *Quod tibi non vis, alteri ne feceris:* sed unusquisque vult amari, & non lædi, etiam ab eo, quem offendit; ergo &c. Rursus: contra rationem est odisse naturam propter culpam, & opus Dei propter opus hominis: hoc autem est odisse inimicum; ergo &c. Adde: quòd sumere vindictam de inimico propriâ auctoritate, est contra rectam rationem, utpote contra justitiam: cùm igitur odium personæ inimici sit quædam vindicta interna, & ad externam impellat, erit contra rationem.

XXI. Sed dices primò. Patres sæpè docent, amare inimicos esse opus perfectionis christianæ; ergo amor ille non à lege naturali, sed à lege gratiæ, seu Evangelii ortum habet.

XXII. Respondeo, Patres sic loqui, non de amore generali, quo tenemur naturaliter diligere hominem, etsi inimicum; quia frater noster est à Deo per Adamum descendens: sed de amore speciali, quo quis inimicum beneficiis emollire satagit, vincere in bono malum, & congerere carbones super caput ejus. *Cùm enim* (inquit S. August. Serm. 149. aliàs 26. de Diversis c. 18.) *quisque benefecerit inimico, & non victus malo ejus, vicerit in bono malum; plerumque illum inimicitiarum suarum pœnitebit, & irascetur sibi, quòd tàm bonum hominem læserit. Ipsa verò ustio, pœnitentia est, quæ tanquam carbones ignis inimicitias ejus, malitiasque consumit.* Specialem autem hunc amorem lex naturæ non præcipit, sed Evangelica perfectio suadet.

XXIII. Dices secundò. Unaquæque res naturaliter suum contrarium odit, & ipsum destruere nititur, quantum potest, ergo non est contra legem naturalem odisse inimicum, sicut ovis naturaliter odit lupum.

XXIV. Respondeo, dist. conf. Odisse inimicum, ut inimicus est, con. conf. Ut homo, & persona est, nego conf. Sic enim non est contrarius alteri homini, sed ejusdem naturæ; & hoc modo eum diligere, non contra, sed secundùm naturam est: quòd enim unus homo alterum persequatur, natura non est (sicut ovem persequi, natura lupi est) sed vitium. Cùm enim inimicum diligimus, non diligimus id, quod ipse fecit, sed quod fecit Deus. Unde S. August. Tract. 9. in Cap. 4. Epist. Joann. *Vides* (inquit) *ista omnia, quæ adversa sunt, ab homine facta, & vides in illo, quod à Deo factum est. Quod autem homo factus est, à Deo factus est. Quod autem te odit, ipse fecit. Et quid dicis in animo tuo? Domine propitius esto illi, dimitte illi peccata, incute illi terrorem, muta illum. Non amas in illo, quod est, sed quod vis, ut sit. Ergo cum inimicum amas, fratrem amas.* Quibus ostendit, S. Joannem, cum docuit nos, ut diligamus *Fratres*, non minus dixisse, quàm Christum, dum ait, diligite inimicos: quia nos non docuit diligere inimicos, ut maneant inimici, quia sic doceret nos, eos odisse, non diligere; sed docuit nos, eos diligere, ut desinant esse inimici.

§. III.

An sit de Necessitate Caritatis, quòd Aliquis signa, & effectus Dilectionis Inimico exhibeat?

XXV. Dico primò. Communia signa dilectionis, quæ scilicet communiter exhibentur omnibus, necesse est etiam exhibere inimicis. Ita S. Thom. hîc 2. 2. q. 25. a. 9. & infra q. 83. a. 8. Talium enim signorum subtractio est signum odii, & pertinet ad livorem vindictæ; contra id, quod dicitur, Levit. 19. v. 18. *Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum.* Quare peccaret mortaliter is, qui in oratione, quæ fit pro populo Christiano, vel pro certa quâpiam civitate, vel aliâ quâ-cun-

cunque Communitate, exciperet, etiam solâ mente, inimicos, qui sunt pars illius multitudinis. Similiter si quis deprecans Regem pro liberatione suorum captivorum, exciperet inimicum, qui esset concivis, & captivus: si omnibus pauperibus unius oppidi, vel Parœciæ vellet dare eleemosynam, sed non suo inimico, qui ejusdem loci esset æqualiter pauper. Imò etiam si postquam constituit alicui Communitati conferre beneficium, videns postea in ea esse aliquos suos inimicos, desisteret. Talis enim mutatio sententiæ esset quædam odii executio; nisi adesset alia justa causa, ob quam mutaret voluntatem. Et ageret contra verba Christi, Matth. 5. v. 44. *Benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos*. Quæ intellecta de beneficio, & oratione generali habent vim præcepti.

XXVI. In orationibus ergo, & beneficiis communibus prætereundos non esse inimicos, docuit exemplo suo Christus, docuit Stephanus, docuit Paulus, unde S. August. *Serm.* 149. aliàs 26. *de Diversis c.* 16. ubi docens, orandum esse pro persecutoribus, ut convertantur: *Fortassis* (inquit) *ad ejus* (Sauli) *conversionem vox illa Stephani Martyris exaudita est. In illo enim persecutorum ejus numero fuit, & lapidantium vestimenta servavit. Idem etiam ad Timotheum scribens*, ait: „ *Obsecro primùm omnium fieri deprecationes, adhortationes, interpellationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, uti quietam, & tranquillam vitam agamus. Jubebat ergo orari pro Regibus: & tunc Reges persequebantur Ecclesias. Sed quas tunc pro se orantes persequebantur, nunc pro se exauditas defendunt. Vis ergo, & illud antiquorum custodire praeceptum? Dilige proximum tuum, hoc est, omnem hominem. Ex duobus enim primis Parentibus omnes nati, omnes utique proximi sumus*: & post multa: *Dilige inimicos tuos, sed homines: ora pro eis, qui te persequuntur, sed pro hominibus: benè fac eis, qui te oderunt, sed hominibus*. Et Serm. 382. aliàs 4. de Sanctis c. 4. *Si Martyr Stephanus non sic orasset, Ecclesia Paulum hodie non haberet*.

XXVII. Ad ea, quæ dixi, quòd si quis rogans pro captivis omnibus, vel constituens eleemosynam pro omnibus pauperibus, excipiat inimicos, vel resciens inter eos aliquos inimicos mutet sententiam, peccat; objicere quis posset. Ego non teneor supplicare pro omnibus captivis, vel subvenire omnibus pauperibus; ergo si hoc non præsto quibusdam hoc beneficium, non pecco.

XXVIII. Sed respondeo, neg. cons. Nam sunt quædam, ad quæ absolutè homo non tenetur: tamen, si velit ea facere, ea tamen certo modo, & certis circumstantiis facere tenetur. Sic ego modò non teneor confiteri peccata mea; si tamen velim modò confiteri, teneor omnia, & singula mortalia exponere, & nullum scienter omittere. Eadem ratione, qui, etsi non teneatur pro omnibus deprecari, aut beneficium conferre, statuat tamen pro tota aliqua Communitate deprecari, vel benefacere obligatur, nullam ejus partem, etsi sibi inimicam, scienter prætermittere: quia nihil eorum, quæ communiter fiunt proximis, negandum est inimicis, eo solo nomine, quòd sunt inimici, alioquin odii, vel amaritudinis signum exhiberet. Si tamen beneficii collatio non fieret toti Communitati, familiæ, aut omnibus consanguineis, sed solùm multis, ita ut aliqui non inimici excludantur: non peccaret, qui etiam inimicos excluderet, nisi ex livore hoc faceret, & scandalum adesset. A quo periculo maximè cavere debent homines in ultimis voluntatibus, seu legatorum dispositionibus, vel hæredibus instituendis; ne scilicet ex odio, aut livore, aliquem prætereant, qui aliquâ justâ causâ esset includendus, vel saltem non omnino prætereundus.

XXIX.

XXIX. Dico secundò. Signa specialia dilectionis, quæ scilicet quis exhibet aliquibus personis particulariter, exhibere etiam inimicis, non est de necessitate salutis, nisi secundùm præparationem animi: hoc est, ut animo sit paratus, ea illis quoque exhibere in articulo necessitatis, secundum illud, Proverb. 25. v. 21. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitierit, da ei aquam bibere*. Ita S. Thom. hâc q. 25. a. 9. & q. 83. a. 8. ubi hæc habet: *In speciali autem non est in præcepto, nisi secundùm præparationem animi; ut scilicet homo esset paratus, etiam specialiter inimicum diligere, & eum juvare in necessitatis articulo, vel si veniam peteret: sed in speciali absolutè inimicos diligere, & eos juvare, perfectionis est*.

XXX. Prior pars probatur. Ejusmodi enim signa specialia dilectionis non est de necessitate exhibere aliis proximis: nulla autem est ratio, quæ magis nos obliget, ea præstare inimicis, quàm aliis, per se loquendo: cùm inimico non alia ratione debeatur dilectionis ostensio, nisi quia proximus: ac subinde, nisi generali, quæ cuique proximo exhibetur, servato gradu, & conditione. Dixi *per se*. Potest enim contingere, quòd ad vitandum scandalum, magis teneamur dare signum amicitiæ inimico, quam cuilibet proximo: sed hoc erit per accidens.

XXXI Posterior quoque pars constat. Quia inimico in casu necessitatis tenemur ex caritate præstare ea, quæ tenemur cuilibet proximo: alioquin certum indicium esset inimicitiæ latentis in animo. Nomine autem necessitatis non solùm venit extrema indigentia, sed gravis etiam: puta, si versaretur in gravi periculo vitæ, famæ, aut opum amittendarum. Item casu, quo verisimiliter speraretur ejus salus animæ, quæ alioquin periclitaretur: ac rursum quando metuitur scandalum, si nulla benevolentiæ signa ei ostendamus.

XXXII. Dicit insuper S. Thomas, teneri signa specialis dilectionis exhibere inimico, si veniam petat. Quod docet quoque in 3. *dist.* 30. q. 1. a. 2. *ad* 5. ubi ait: *Quòd negare homini signa familiaritatis, quando necessitas expeteret, esset vindicta: vel etiam quando veniam peteret, vel quando se illi, qui hostis habetur, ad familiaritatem ingereret. si habeatur præsumtio, quòd non simulatè, vel irrisoriè facit: quia tunc diligit, & inter amicos deputandus est*.

XXXIII. Si quæres: Quænam signa exhibere debeamus inimico veniam petenti?

Respondeo, ex Sylvestro verbo *caritas* qu. 6. supponendo, tria quædam oriri in offenso ex injuria, quam patitur ab inimico. Primum est in corde, nempe, odium, malevolentia, & appetitus vindictæ. Secundum est in opere, nempe, significatio animi per effectus, & signa dilectioni contraria. Tertium est in jure ad petendam satisfactionem pro damno, vel injuria.

Quod attinet ad primum: certum est, offensum teneri sub mortali semper illud inimico dimittere, etiam veniam non petenti: nunquam enim licet, eum odio habere. Quare etsi non teneamur actu exteriori, & expresso ei condonare, dum adhuc gerit inimicitiam: tenemur tamen ex animo interiùs illi dimittere, eo modo, quo in oratione Dominica petimus, ut Deus dimittat nobis. Alioquin si fratri non dimiserimus corde, comminatur nobis Christus, Matth. 18. v. 35. *Sic & Pater meus Cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris*.

Quoad secundum: quamvis inimico in inimicitia perduranti licitè negentur particularia colloquia, salutationes, familiaritatis signa, ut dicemus: si tamen pœnitentiâ ductus petat veniam, debemus sub mortali illi remittere offensam, & signum aliquod benevolentiæ, seu reconciliationis illi ostendere. Quia talis petitio ex natura suâ facit tempus necessitatis reconcilia-

ciliationis etiam externæ; quam qui non exhibet, indicat, se adhuc in odio perseverare, scandalo est aliis, & inimicum ad novum odium excitat. Huc respiciunt verba Christi, Lucæ 17. v. 3. *Si pœnitentiam egerit, dimitte illi*. Et v. 4. *Si septies in die conversus fuerit ad te dicens, pœnitet me; dimitte illi*. Qualia autem debeant esse reconciliationis signa, quæ inimico veniam petenti exhibenda sunt, majora scilicet, vel minora; ex conditione personarum arbitrandum est. Alia enim debet filius erga patrem, subditus erga Superiorem, servus erga dominum, quàm è contra, vel nobiles inter se, vel æquales. Nam David, quando pepercit Absalon hac lege, ut non videret faciem ejus, prudenter se gessit; erat enim Pater, & Judex.

Quoad tertium: non simpliciter tenemur actionem juridicam remittere, & satisfactionem pro injuria, vel damno condonare: quia potest unusquisque jus suum prosequi apud legitimum Judicem. Et quidem quando agitur de restitutione honoris, famæ, aut bonorum externorum omnino licet eam exigere. Si tamen inimicus extra judicium petat veniam, aut offert rationabilem satisfactionem; qui adhuc judicialiter ista vult petere, non videtur sincero animo, & absque appetitu vindictæ se gerere. Et eò magis si agatur de satisfactione per pœnam capitis, abscissionis membri, vel alterius similis, ex qua nihil emolumenti provenit læso: hanc enim nolle, quantum de se est, condonare, non videtur carere odio, aut appetitu vindictæ. Si tamen casus esset, quòd nisi haberetur satisfactio pœnalis secundùm leges, familia maneret infamis; tunc licitè exigi posset, ut sentit Bannez ad hunc *a. 9. Dub. 5.*

XXXIV. De inimico non petente veniam, aut reconciliationem, cui diximus nos, non teneri exhibere signa specialia dilectionis, sed tantùm generalia, quæri potest: quænam sint signa specialia, quæ illi exhibere non tenemur.

Dubitatur enim primò: An si inimicus occurrat obviam, tenear salutare eum. Censent multi, non teneri, quia salutatio est signum specialis dilectionis: si enim non omnem proximum, etsi non inimicum, teneor salutare; ergo nec inimicum. Hoc tamen puto ex circumstantiis, & consuetudine esse regulandum. Si enim inimicus meus sit notus mihi, & ipsi antea hæc signa honoris exhibebam; eadem illi denegare esset testimonium interioris odii, occasio scandali, & proinde peccarem mortaliter; eòque magis, si persona mihi inimica esset in dignitate constituta, puta, Episcopus, cui talis honor deberetur. Similiter si meâ salutatione possim inimicum reconciliare Deo, & mihi, sentit Bannez, ex caritate me obligari ad illum salutandum: cum hoc medio facili, sinè honoris mei detrimento, possim illum lucrari.

Dubitatur secundò: An si inimicus me salutat, tenear illum resalutare? Respondet Bannez, quòd non magis teneor ipsum resalutare, quàm si esset aliàs amicus, vel purè non inimicus. Si tamen essem in circumstantia, in qua, illum non resalutando, scandalo essem, vel in loco, ubi non resalutare habeatur pro notabili contemtu salutantis, esset mortale peccatum propter scandalum: quod verum est, si salutans sit superioris, vel æqualis conditionis. Sed si salutans inimicus est conditionis notabiliter inferioris, ut servus respectu nobilis viri, filius respectu patris, vel subditus respectu Prælati, fortè non esset peccatum non resalutando: si tamen non ex odio id faceret, sed ad correctionem, vel ad suæ dignitatis læsæ jus tuendum, nec per longum tempus, ne fortè quem vult emendare, potiùs obduret. In his tamen judicandis prudentiâ opus est, & diligenti examine intentionis: sæpè enim mentitur sibi humanus animus.

Sed quid si inveniens cum inimico alios homines, istos salutem, illum verò

verò non? Sylvester, & Bannez dicunt, regulariter peccare mortaliter: quia qui observant, & causam inimicitiæ norunt, scandalum concipiunt, & inimico sum causa perseverandi in inimicitia. Ponderandæ tamen sunt circumstantiæ. Nam si prudenter iudicaretur id fieri, non ex odio, sed correctione, & ut inimicus agnosceret gravamen, quod intulit; maximè si persona esset superioris conditionis, salutando alios, & non ipsum, non peccaret.

Dubitatur tandem, an tenear cum inimico meo colloqui, conversari, eum invisere, & familiariter cum eo agere? Respondetur, absolutè non teneri. Hæc enim specialis dilectionis signa sunt, non generalis, quâ sola tenemur diligere inimicum. Fieri tamen potest, ut tenear: si nimirum ex odio id faciam; si alii admirationem, & scandalum, aut pravum exemplum accipiant, videntes, me nolle cum illo conversari; & ille putans se à me odio haberi, in odio erga me perseveret, & magis peccet. Sed quid si ex conversatione cum illo prævideatur periculum peccandi? Respondetur, in hoc casu prudentiam posse constituere medium; ne ex non conversando oriatur scandalum, & ex nimia familiaritate periculum. Sed de hoc satis.

DUBIUM VI.

An sit magis Meritorium Diligere Inimicum, quàm Amicum?

§. I.

Resolutio Dubii.

I. De hoc agit S. Tho. hâc 2. 2. *qu.* 27 *art.* 7. Ubi advertit, quòd cùm ratio diligendi proximum ex caritate Deus sit, ut supra dictum est, cùm quæritur: *Quid sit melius, seu magis meritorium, utrum diligere amicum, vel inimicum, dupliciter ista dilectiones comparari possunt. Uno modo ex parte proximi, qui diligitur: alio modo ex parte rationis, propter quam diligitur. Primo quidem modo dilectio amici praeminet dilectioni inimici; quia amicus & melior est, & magis conjunctus: unde est materia magis conveniens dilectioni. Et propter hoc actus dilectionis super hanc materiam transiens melior est; unde & ejus oppositum est deterius: pejus est enim odire amicum, quàm inimicum.*

Secundo autem modo dilectio inimici praeminet propter duo. Primò quidem: quia dilectionis amici potest esse alia ratio, quàm Deus; sed dilectionis inimici solus Deus est ratio. Secundò: quia præsupposito, quòd uterque propter Deum diligatur, fortior ostenditur esse Dei dilectio, quæ animum hominis ad remotiora extendit, scilicet usque ad dilectionem inimicorum: sicut virtus ignis tantò ostenditur esse fortior, quantò ad remotiora diffundit suum calorem. Tantò ergo ostenditur divina dilectio esse fortior, quantò propter ipsam difficiliora implemus: sicut & virtus ignis tantò est fortior, quantò comburere potest materiam minùs combustibilem.

Sed sicut idem ignis in propinquiora fortiùs agit, quàm in remotiora: ita etiam caritas ferventiùs diligit conjunctos, quàm remotos. Et quantùm ad hoc dilectio amicorum, secundùm se considerata, est ferventior, & melior, quàm dilectio inimicorum. Ubi notandum, quòd S. Thomas hîc loquitur de actu caritatis, quo diligitur amicus, & actu, quo diligitur inimicus absolutè, & secundùm se sumtis: idest, de actu, quo diligitur amicus nil cogitando de inimico, & de actu quo diligitur inimicus, nil cogitando de amico.

II. Dico ergo. Probabilius est, quòd dilectio amicorum sit secundùm se, & absolutè melior, magisque meritoria cæteris paribus. Ita S. Thomas relatus, & in *Disput. Q. un. de Carit. a.* 8. *ad* 17. ubi: *Dicendum* (inquit) *quòd diligere inimicum melius est, quàm diligere amicum, quia perfectiorem caritatem demonstrat .... sed si consideremus* istos

istos duos actus absolutè, melius est diligere amicum, quam inimicum, & melius est diligere Deum, quàm amicum.

Ex his formo hanc rationem. Eò dilectio, secundùm se, est melior, quò ejus objectum est melius, & tùm Deo, tùm diligenti conjunctius; quâ ratione dilectio Dei melior est, quàm cujuslibet alterius rei dilectio: sed amicus melior est, & tùm Deo, tùm nobis conjunctior, & proinde magis diligibilis; ergo &c.

Confirmatur. Dilectio, quæ versatur circa id, quod est revera diligibile, est bona; ergo quæ versatur circa id, quod est magis diligibile, est melior: atqui amicus est magis diligibilis, quàm inimicus, quia amicus est propinquor Deo, & nobis; ergo dilectio amici est melior &c.

III. Secundò prob. Dilectio inimici non tendit in eum, ut inimicum, sed quatenus est in potentia, ut fiat amicus Dei, & noster: at dilectio amici tendit in eum, quatenus est amicus in actu; ergo tendit in objectum actu habens eam bonitatem, quæ desideratur in altero; ergo est actus perfectior

IV. Tertiò probatur. Inimicorum dilectio est dimittenda propter dilectionem amicorum: sed non est dimittendum majus bonum propter minus, sed minus propter majus; ergo melior est dilectio amicorum, quàm inimicorum. Maj. prob. ex effectu, qui dilectioni debet proportionari. Quia quando non possumus amicis, & inimicis in extrema necessitate constitutis subvenire, tenemur magis subvenire amicis, quàm inimicis.

V. Quartò prob. Dilectio amicorum excedit dilectionem inimicorum excessu substantiali, nempe, in objecto; ex quo simpliciter, & absolutè actus accipit bonitatem: dilectio autem inimicorum solùm excedit excessu accidentali, nempe, in difficultate, & puritate, ut §. sequente dicetur; quæ solùm per accidens conferunt actui bonitatem; ergo absolutè &c. Nam etiamsi dilectio parentum, & consanguineorum sit, ob plures rationes, facilior, quàm dilectio extraneorum; non desinit tamen esse melior, magisque meritoria absolutè; ergo similiter amicorum dilectio comparata ad dilectionem inimicorum.

VI. Quintò prob. Nam odio habere amicum majus peccatum est, quàm odio habere inimicum: nam in dilectione amici major est ratio debiti; ergo odium amici contrariatur actui meliori. Conf. prob. Quia peccatum importat privationem rectitudinis; ergo majus peccatum dicit privationem majoris rectitudinis; ergo major rectitudinis perfectio, bonitas, & meritum est in dilectione amici, quàm inimici.

§. II.

Solutio Contrariorum.

VII. PRo opinione contraria objicitur primò. Christus, *Matth.* 5. dilectionem inimicorum præfert dilectioni amicorum: ait enim, v. 44. &c. *Diligite inimicos vestros .... Ut sitis filii Patris vestri .... Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?*

Respondeo, Christum non præferre ibi dilectionem inimicorum dilectioni amicorum, quæ fit ex caritate. Sed corrigens falsam Pharisæorum doctrinam, qui amicos tantùm diligendos esse volebant, inimicos verò odio habendos: Christianis omnibus præcipit, ut si diligunt Deum tanquam filii, talem dilectionem habeant, quæ se extendat etiam ad inimicos, & universos homines reputent sibi proximos, & fratres propter ipsum. Unde subdit, quòd si diligunt tantùm eos, qui diligunt, nullam mercedem habebunt; quia certè dilectio, quæ diligit tantùm amicos, non est dilectio ex caritate Dei, quæ neminem excipit, sed omnes includit: quemadmodum

dum dilectio, quâ Deus nos diligit, cadit super bonos, & malos. Qui enim amicos tantùm diligit, non inimicos; ille non cœlesti caritate, sed solâ naturæ propensione, & impetu amicos diligit: ac proinde Deum non promeretur, cui nihil placere potest, quod ex fidei, & caritatis radice non surgit.

VIII. Objicitur secundò. S. Paulus, *Roman. 5. v. 8. & 10.* scribit, Deum suæ dilectionis erga nos magnitudinem ostendisse; quòd, cùm inimici essemus, ita nos dilexerit, ut pro nobis mori voluerit: *Commendat autem* (inquit) *caritatem suam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus secundùm tempus, Christus pro nobis mortuus est.* Ubi Chrysost. ait: *Si pro viro probo, ac virtute prædito non statim mori quis velit; considera Domini caritatem, ut quem non pro virtute præditis, sed pro peccatoribus, & inimicis, Cruci suffixum fuisse constat.* Et Homil. de Cruce, & Latrone: *Melius est pro inimicis, quàm pro amicis orare; nec enim tantum nobis præstat pro amicis oratio, quantum pro inimicis deprecatio.* Idem docet *Homil. de Caritate*, ubi de SS. Petro, & Paulo loquens: *Si dixerim* (inquit) *fuisse in amicum benevolos, nil magni, aut præclari videbor enuntiasse.* Et postea: *Si improbus fuerit is, quem ipse amandum censes, nempe, majorem ex eo laudem assequeris.* Actus autem ille, ex quo majorem laudem quis consequitur, melior, & magis meritorius censendus est.

S. August. *in Enchirid. c. 73.* ait: *Minùs enim magnum est erga eum esse benevolum, sive etiam beneficum, qui tibi mali nihil fecerit: illud multò grandius, & magnificentissima bonitatis est, ut tuum quoque inimicum diligas, & ei, qui tibi malum vult, & si potest, facit, tu bonum semper velis, faciasque, cum possis .... Sed quoniam perfectorum sunt ista filiorum Dei &c.* Unde, in *Psalm.* 108. reddere bona pro malis dicit esse bonorum; reddere autem bona pro bonis, esse mediocrium.

IX. Respondeo, S. Paulum laudatis verbis non velle nos docere, quòd Deus magis diligat inimicos, quàm amicos; cùm contrarium ex subjunctis colligatur: sequitur enim: *Si cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo, per mortem Filii ejus: multò magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius.* Quare S. Tho. in *c. 5. ad Rom. lect. 2.* dicit, argumentum Pauli esse à minori ad majus; quasi diceret: si Deus dilexit nos, ut tradiderit Filium suum pro nobis, cùm essemus inimici, quod homo pro justo, bono, & amico vix unquam fecit; quantò magis diliget nos amicos, & reconciliatos sibi. Hinc August. (vel alius ejus nomine) *Serm. 1. de Sanctis c. 3.* de S. Stephano ait: *Qualis ibat ad amicos, qui sic diligebat inimicos?*

X. Chrysostomus verò, Augustinus, aliique Patres, dum dilectionem inimicorum commendant, eamque dilectioni amicorum præferre videntur; non comparant dilectionem amicorum, & inimicorum secundùm se, & ex objecto sumtam, quatenùs neutra aliam actu includit; sed dilectionem, quæ solùm est amicorum (quia nec includit, nec excludit inimicos, conferunt cum ea, quæ cùm dilectione amicorum adjunctam habet dilectionem inimicorum. Sic autem diligere etiam inimicum, melius est, quàm diligere tantùm amicum; non quia dilectio inimici majorem bonitatem ex objecto habeat; sed quia plures difficultates habet, imò & repugnantiam voluntas in ea reperit, in qua superanda multum laborat: ideoque per accidens sæpè est intensior. Sicut eo intensior est calor, quo remotiora calefacit; quod tamen non tollit, quin in propinquiora fortiùs agat. Sic caritas quamvis sese ferventem prodat, dum se extendit etiam ad inimicos, fortiùs tamen, ac ferventiùs diligit amicos.

XI. Objicitur tertiò. Dilectio inimici est magis indebita; ergo est melior.

lior. Ant. prob. Quia est in consilio, non in præcepto, nisi in extrema necessitate: opera autem consilii videntur esse perfectiora iis, quæ sunt in præcepto.

XII. Respondeo primò, omisso ant. neg. cons. Ratio enim indebiti non facit actum esse per se meliorem: dilectio enim Dei est maximè debita, & tamen est optima: *Debitum* (ait S. Tho. in 3. dist. 30. q. 1. a. 3. ad 4.) *non diminuit rationem meriti, nisi quatenus diminuit rationem voluntarii, secundùm quod quandam necessitatem importat: sed si voluntariè debitum redditur, nihilominus ibi erit tantum meriti, quantum est ibi de ratione voluntarii.*

Respondeo secundò, neg. ant. Dilectio enim proximi, sive amici, sive inimici est in præcepto, ut ostendimus, quod quidem obligat tempore necessitatis. Deinde: quamvis servare præcepta, & consilia simul sit majoris perfectionis, quàm servare solùm præcepta: tamen si seorsim comparentur secundùm propria, majoris perfectionis est servare præcepta, quàm servare consilia. Quia ut docet S. Thomas 2. 2. *q.* 184. *a.* 3. perfectio Christianæ vitæ per se, & essentialiter consistit in observatione præceptorum dilectionis Dei, & proximi, in consiliis autem solùm secundariò, & instrumentaliter.

XIII. Objicitur quartò. Dilectio inimici est purior, cùm non habeat aliam rationem diligendi quàm Deum: dilectio autem amicorum habet alias rationes adjunctas; ergo &c.

Respondeo, neg. ant. Dilectio enim amicorum, quamvis fundetur in natura, vel in aliqua aliâ ratione; si tamen amicum amet ex caritate, & propter Deum, æquè pura est, ac dilectio inimicorum. Neque enim dilectioni ex caritate officit, quòd unum magis, & pluribus titulis diligamus, quàm alterum: ut enim docet S. Thomas hâc 2. 2. q. 26. a. 6. ad 2. *Non omnes proximi æqualiter se habent ad Deum: sed quidam sunt ei propinquiores per majorem bonitatem. qui sunt magis diligendi ex caritate, quàm alii, qui sunt ei minùs propinqui.*

XIV. Objicitur quintò. Dilectio inimicorum multò difficilior est, quàm dilectio amicorum; ergo magis est meritoria. Conseq. prob. Quia virtus versatur circa difficile; ergo ubi major est difficultas, ibi actus virtutis præstantior est ad vincendum illam — Rursus: dilectio inimici includit in se dilectionem amici, tanquam aliquid minus, sicut quadrangulum continet triangulum: præstantior insuper est, ac mirabilior. Præstantior: quia ut docet S. August. *in Enchirid. c.* 73. & 74. diligere amicum est caritatis imperfectæ, diligere autem inimicum est perfectorum. Et propterea D. Gregorius *lib.* 9. *Moral. cap.* 13. modò 15. dicit orationem Moysis, & Samuelis coram Deo prælatam fuisse; quia uterque hanc perfectionem habuit, ut inimicos diligeret. Et S. Bernardus *Serm. feriæ* 4. *hebdomadæ Sanctæ* explicans illud: *Majorem caritatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis* (inquit) *tu majorem habuisti, Domine, ponens eam etiam pro inimicis.*

Mirabilior item: omnes enim communi consensu maximè admirantur, si quis inimico benefaciat; quod signum est, dilectionem inimicorum esse actum virtutis heroicæ.

XV. Huic argumento, quod adversæ opinionis præcipuum est fundamentum, neg. cons. Cùm enim virtus versetur circa bonum, ad rationem virtutis, & meriti plus facit bonum, quàm difficile. Ita S. Tho. hâc *q.* 27. *a.* 8. *ad* 3. dicens: *Plus facit ad rationem meriti, & virtutis bonum, quàm difficile. Unde non oportet, quòd omne difficilius sit magis meritorium: sed quod sic est difficilius, ut etiam sit melius.* Quibus ostendit, magis meritorium esse diligere Deum, quàm proximum; quamvis in dilectione proximi majorem experiamur difficultatem, quàm in dilectione Dei. Videatur etiam infra

stra *q.* 123. *a.* 12. *ad* 2. & *q.* 141. *a.* 8. *ad* 2. Quibus in locis docet, fortitudinem, & temperantiam non esse maximas inter virtutes, quia estò versentur circa magis difficile, non tamen circa magis bonum. Cùm autem difficultas, quæ est in dilectione inimicorum, oriatur potiùs ex eo, quòd objectum deficit à ratione boni; quia inimicus minùs est bonus, & diligibilis, quàm amicus: non arguit, quòd ea sit perfectior, & magis meritoria. Sicut in cognoscibilibus, quorum quædam, cùm difficulter à nobis cognoscantur, non propter naturæ ipsorum excellentiam, sed propter imperfectionem; eorum cognitio non est præstantior cognitione aliarum rerum, quæ faciliùs cognoscuntur.

XVI. Circa quod advertendum censeo ex D. Tho. *in* 1. *ad Cor. c.* 3. *Lect.* 2. Quòd *sicut in rebus humanis ille magis præmiatur, qui in digniori opere laborat; sicut architector, quàm artifex manualis, licèt minus laboret corporaliter: ita etiam in rebus divinis, ille, qui in nobiliori opere occupatur, majus præmium accipiet .... licèt fortè minus corporaliter laboret*. Præmiserat autem S. Doct. quòd labori, qui est potior secundùm formam caritatis, respondet plus de præmio essentiali, licèt homo minorem laborem patiatur. Cùm ergo dilectio amici sit opus excellentius ex objecto, majus præmium meretur: accidentale quidem, si dilectio amici, & inimici est æqualiter intensa respectu Dei, qui est principale objectum caritatis. Si autem, ut regulariter contingit, dilectio amici sit intensior; tunc dilectio amici erit magis meritoria præmii essentialis. Cæterùm si dilectio amici comparetur cum dilectione inimici magis intensa coram Deo; tunc procul dubio dilectio inimici est simpliciter melior, & meritoria: sed hoc per accidens est. Nos enim hìc agimus de dilectione, quæ non differt à dilectione inimici in alio, quàm in conditione proximi dilecti, quòd alter est amicus, alter inimicus: & dicimus, dilectionem amici esse perfectiorem, magisque meritoriam.

XVII. Quod additur, dilectionem inimici includere dilectionem amici, tanquam aliquid minus, falsum est. Tùm quia: hìc est sermo de utraque dilectione secundùm se, quarum neutra alteram excludat, vel includat. Tùm quia: dilectio amicorum est boni melioris, & conjunctioris diligenti: omne autem agens perfectiùs agit in propinquum, quàm in remotum: ideoque dilectio amicorum non est minus bonum, quàm dilectio inimicorum.

Nego similiter, dilectionem inimicorum esse secundùm se præstantiorem. Ad S. Augustinum supra responsum est. Quibus addi potest, dilectionem inimicorum dici præstantiorem; quia ratio diligendi inimicos alia esse non potest, nisi bonitas divina: at ut diligantur amici, plures rationes præter Deum esse possunt. Et propterea S. Tho. hâc *q.* 27. *a.* 7. *ad* 1. dicit, quòd *Tunc dilectio amicorum mercedem non habet, quando propter hoc solùm amantur, quia amici: & hoc videtur accidere, quando sic amantur amici, quòd inimici non diliguntur. Est tamen meritoria amicorum dilectio, si propter Deum diligantur; & non solùm quia amici sunt*. Sanctus verò Gregorius intendit solùm, quòd quia inimicos diligere est res difficilis, voluit Deus Sanctos illos honorare. — Ad S. Bernardum dico, eum non comparare simpliciter caritatem amicorum, & inimicorum: sed caritatem Christi, quæ se extendit usque ad inimicos, cum caritate aliorum, quæ vix extenditur ad amicos, ut pro illis mortem subire velint. — Admirantur autem homines dilectionem inimicorum: quia cùm sit difficillima, maximè ostendit, quòd sic operans, operetur propter Deum, finem supernaturalem. Quando verò quis facit opus facile, sicut est diligere amicum; etiamsi hoc faciat majori dilectione, non sic admirantur: quia hoc opus facile fieri potest ob alias ratio-

nes humanas, non unicè propter Deum. Et hac ratione etiam martyrium reputatur opus excellentissimæ caritatis; cùm tamen in multis Sanctis viris, quibus, etsi defuerit martyrium, non tamen defuit animus, caritas fuerit excellentior: quia excellentia caritatis magis ostenditur in martyrio, quàm in alio opere.

QUÆSTIO II.

De Qualitate, Acquisitione, & Augmento Caritatis.

AD abundantiorem notitiam essentiæ caritatis, quæremus de ejus qualitate: nimirum excellentiâ super alias virtutes, etiam theologicas, de modo, quo acquiratur in nobis, & an augeri possit, & quomodo.

DUBIUM I.

An Caritas sit Excellentissima Virtutum?

§. I.

Opinionum Varietas.

I. LUtherus, ejusque Gregales negant, existimantes, excellentissimam in esse moris, & physico esse fidem, cùm per fidem (inquiunt) non per caritatem justificemur: quod quàm falsum sit, *Tomo 3. in 1. 2.* abundè ostendimus, *Tract. de Justificatione*. Calvinus autem, in 3. *Inst. cap.* 18. §. 8. præfert quidem caritatem fidei: *Non tanquam (inquit) sit magis meritoria; sed quia magis fructuosa est, quia latiùs patet, quia pluribus servit, quia semper viget: quum fidei usus ad tempus consistit.* Deinde addit: *Si excellentiam spectemus, meritò Dei dilectio primas teneat.* Quibus soli dilectioni Dei, non verò proximi excellentiam concedit; quasi non eodem habitu caritatis diligeremus Deum, & proximum propter Deum.

Ex Catholicis autem quidam existimant, etiam ex Nostris, caritatem esse quidem in genere moris, & virtutis excellentiorem: in genere tamen entis, & naturæ fidem, utpote ad genus intellectivum spectantem, esse perfectiorem.

§. II.

Resolutio Dubii.

II. DIco. Caritas tàm in genere moris, & virtutis, quàm in genere entis, & physico est simpliciter perfectior fide, & aliis virtutibus. Prior pars est de fide contra Lutherum, & Calvinum. Eam enim manifestè docet S. Paulus, 1. *Cor.* 13. ubi post enumeratas omnes virtutes, dicit, eas sinè caritate nihil prodesse; caritatem verò omnes virtutes secum trahere. Et *v.* 13. comparans eam cum fide, & spe dicit: *Nunc autem manent fides, spes, caritas, tria hæc: major autem horum est caritas.* Rom. 13. v. 10. *Plenitudo ergo* (inquit) *legis est dilectio.* Ad Colos. 3. v. 14. *Super omnia autem hæc, caritatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Et 1. ad Timoth. 1. v. 5. *Finis autem præcepti est caritas.* Finis autem perfectior est his, quæ sunt ad finem. Quare Christus, *Matth.* 22. rogatus, quodnam esset mandatum magnum in lege, dilectionem Dei esse respondit, dicens, v. 38. *Hoc est maximum, & primum mandatum.*

III. Hoc semper docuerunt Patres. S. Hieronymus in cap. 5. ad Galat. *Quæ alia* (inquit) *inter fructus spiritus debuit tenere primatum, nisi caritas; sinè quâ virtutes cæteræ non reputantur esse virtutes, & ex qua nascuntur universa, quæ bona sunt?* S. August. *Conc.* 1. *in Psalm.* 103. Viam caritatis vocat supereminentem viam: *Quia nihil invenis eminentius caritate in divinis libris.* Lib. 15. de Trinit. cap. 18. de caritate loquens: *Nullum est* (inquit) *isto dono excellentius. Solum*

lùm est, quod dividit inter filios regni æterni, & filios perditionis æternæ. Dantur & alia per Spiritum Sanctum munera: sed sinè caritate, nihil prosunt. Et *Serm.* modò 145. ait: *Quanta est ista caritas, quæ si defuerit, nihil prosunt omnia? .... Quid tibi plus potest dare Deus? Quidquid dederit, minus est.* Ita Scriptura, ita Patres de caritate loquuntur: an hæc cum eorum doctrina concordent, videant Protestantes.

IV. Neque dicant, caritatem esse quidem perfectiorem fide mortuâ, seu informi, non tamen fide vivâ — Nam certè Paulus, 1. *Cor.* 13. dicens: *Major autem* horum (idest fidei, & spei) *est caritas*, non loquitur de fide, & spe informi; sed loquitur de illis tribus, quæ conjunctæ manent in hac via. Deinde fides vivit per caritatem, sicut corpus per animam, juxta illud Jacobi 2. v. 26. *Sicut enim corpus sinè spiritu mortuum est: ita & fides sinè operibus* (caritatis) *mortua est;* ergo quemadmodum corpus, quod est altera compositi pars, etiam vivens, non est perfectius animâ, quia ex anima provenit illi vita: ita etiam fides, etiamsi sit vivens, nunquam erit perfectior caritate, quæ eo est per se vita, eique vitam communicat, uniens hominem immediatè cum Deo vivente, tanquam cum ultimo fine.

V. Ex his probo dictam primam partem ratione D. Thomæ, hâc 2. 2. *q.* 23. *a.* 6. Inter virtutes theologicas illa est excellentior, quæ attingit Deum in se, ut in ipso sistat, non ut ex eo nobis aliquid proveniat; sola autem caritas hoc modo attingit Deum: nam fides, & spes attingunt quidem Deum, non tamen ut in se, sed secundùm quòd ex ipso provenit nobis, vel cognitio veri, vel adeptio boni; ergo caritas &c. Maj. patet. Quia illa virtus est perfectior, quæ facit adhærere Deo, ut est bonus in se: magis enim Deo conjungit, quàm illa, quæ facit adhærere Deo, ut est principium bonitatis in nobis: semper enim id, quod est per se, majus est eo, quod est per aliud.

VI. Confirmatur. Virtutes theologicæ ideo perfectiores sunt virtutibus moralibus, quia immediatè attingunt primam regulam, quæ est Deus; ergo inter virtutes theologicas illa erit perfectior, quæ magis Deum attingit, & intimiùs hominem Deo conjungit: sed talis est caritas, quæ conjungit hominem Deo, ut in se bonus est, faciens adhærere Deo propter Deum; ergo &c. Quare 1. *Joann.* 4. *v.* 16. dicitur: *Deus caritas est; & qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo.*

VII. Probo secundò. Caritas est forma omnium virtutum, ordinans earum actus ad finem ultimum, ac propterea reddens opera fructuosa, & meritoria vitæ æternæ: fides enim, & spes sinè caritate sunt informes, & quæcumque alia opera virtutum sinè caritate ad vitam æternam nihil prosunt; ergo est cæteris virtutibus perfectior, cùm ex ejus conjunctione hanc eximiam acquirant dignitatem. Addo: quòd cæteræ virtutes, saltem quo ad substantiam, cohabitare possunt cum peccato mortali: sola autem caritas cum peccato nullo modo potest consistere.

VIII. Posterior pars, quòd caritas sit etiam in esse physico perfectior fide, & spe, videtur certa. Si enim est perfectior caritas etiam in esse naturæ virtutibus moralibus; quia ex natura sua, ac specie conjungit immediatè hominem Deo: cùm etiam ex natura, & specie suâ eum magis Deo conjungat, quàm fides, & spes: quia conjungit Deo, ut in se bonus est, non ut principium cognitionis veri, vel adoptionis boni nobis, quomodo nos conjungunt fides, & spes, ut dictum est; si propterea istis est excellentior in esse morali; cur non erit quoque in esse naturæ?

§. III.

Respondetur Contrariis.

IX. Primò objicitur contra primam partem. Justificatio tribuitur fidei, Rom. 5. v. 1. *Justificati ergo ex fide*. Justus vivit ex fide Roman. 1. v. 17. *Justus autem ex fide vivit*.

Rursus: 1. *ad Timoth.* 1. *v.* 5. caritas est *de fide non fictâ*; ergo fides non ficta nobilior est caritate, sicut causa effectu.

Præterea: victoria tribuitur fidei 1. Joann. 5. v. 4. *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra*; ergo fides præcedit caritatem, sicut victoria pugnam.

Demum: Paulus, *Hebr.* 11. *v.* 33. fidem statuit tanquam basim, fundamentum, quo Sancti *vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones*; ergo, ut fundamentum aliarum virtutum, eis est præstantior.

X. Respondeo ad hæc, quæ sunt Sectariorum momenta. Ad primum, in *Tract. de Just.* jam dictum est, hominem justificari ex fide, Justum ex fide vivere, non quia fides se solâ justificet, aut sit seipsâ vita formaliter: *Nam fides, nisi ad eam spes accedat, & caritas, neque unit perfectè cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit* (ait Trident. Sess. 6. c. 7.) *Sed quia est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis, sine quâ impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire* (inquit idem Concil. eâdem *Sess. cap.* 8.)

Ad secundum, nego conf. Dicit enim Paulus ibi, quòd *finis præcepti est caritas*. Finis autem non est effectus, sed causa eorum, quæ sunt ad finem. Dicitur autem caritas procedere ex fide non fictâ, quia fidem præsupponit, & quia actus caritatis ex fidei cognitione proficiscitur: non enim possunt incognita amari.

Ad tertium dico cum S. Tho. in *c.* 11. *ad Hebr. lect.* 7. neg. conf. Intantùm enim fides dicitur vincere mundum; quia ostendit nobis invisibilia, ex quorum amore contemnitur mundus: *Nullus enim potest præsentia contemnere, nisi propter spem futurorum bonorum. Per contemtum enim principaliter vincitur mundus. Et ideo quia fides ostendit nobis invisibilia, propter quæ contemnitur mundus, ideo vincit mundum fides nostra*.

Ad tertium nego conf. Aliter enim fides dicitur fundamentum, & radix, aliter caritas. Etenim fides dicitur fundamentum; quia ejus actus est primus, juxta illud Apostoli, Hebr. 11. v. 6. *Credere enim oportet accedentem ad Deum*, & quia dirigit, & ostendit finem: ita ut ex ea incicipiat fundamentum Christianæ Religionis. Caritas verò dicitur fundamentum, & radix, quatenus motu suo movet, vivificat, & facit fructuosa opera aliarum virtutum, etiam ipsius fidei. Unde ædificium, quod inchoat fides, caritas perficit, ideoque est præstantior. Et D. Tho. 2. 2. *q.* 23. *a.* 8. *ad* 2. dicit: *Caritas comparatur fundamento, & radici, inquantùm ex ea sustentantur, & nutriuntur omnes aliæ virtutes*.

XI. Objicitur secundò. Illud, per quod aliud operatur, videtur eo esse inferius; sicut minister, per quem Dominus operatur, est Domino inferior: sed, ut habetur Galat. 5. v. 6. *Fides* per dilectionem operatur; ergo &c.

Respondeo ex D. Tho. hoc a. 6. ad 2. *Quòd fides non operatur per dilectionem, sicut per instrumentum, ut Dominus per servum: sed sicut per formam propriam*: eo modo, quo corpus operatur per animam. Addo: probabilissimum esse, verbum illud *operatur* sumendum esse non activè, sed passivè; ut significetur, fidem per dilectionem agi, & in actu operantis constitui: quatenus caritas non finit, fidem esse otiosam, & torpentem, sed facit eam operari. Quia tamen fides

per

per caritatem sic excitata agit, & bona opera exercet, verum est, quòd fides per caritatem, ut formam, activè operetur.

XII. Objicitur tertiò. Actus martyrii est actus fortitudinis: & tamen est excellentissimus, ut docet S. Doct. 2. 2. q. 124. a. 3. sed ea virtus perfectior est, quæ perfectiorem actum habet; ergo &c.

Respondeo, dist. maj. Perfectissimus, ut est actus fortitudinis, nego maj. Ut imperatus à caritate, co. maj. Ut enim ait D. Tho. citato loco. tolerare mortem, qui est actus elicitus à fortitudine, non est laudabile secundùm se, sed solùm secundùm quòd ordinatur ad aliquod bonum. Et si mors toleretur propter Christum, & fidem ejus, qualis est actus martyrii, est opus præstantissimum: non quatenus elicitur à fortitudine, sed quatenùs imperatur à caritate: *Martyrium enim inter omnes actus virtuosos, maximè demonstrat perfectionem caritatis: quia tantò magis ostenditur aliquis, aliquam rem amare, quantò pro ea rem magis amatam contemnit, & rem magis odiosam eligit pati*. Ita S. Tho. in argumento citatus. Unde excellentia martyrii ab excellentia caritatis est.

XIII. Objicitur quartò contra secundam partem. Altioris potentiæ altior est virtus, sicut est altior operatio: sed intellectus est altior voluntate, quia dirigit ipsam; ergo fides, quæ est in intellectu, est excellentior caritate, quæ est in voluntate.

Respondeo cum D. Tho. hâc *q. 23. a. 6. ad* 1: quòd intellectus, ejusque operatio est quidem secundùm se altior voluntate, ejusque operatione; per accidens tamen, & ratione præsentis status, in quo ea, quæ sunt supra nos, non cognoscuntur per species proprias, altior est operatio voluntatis, quæ fertur ad ea, ut sunt in se: *Et ideo* (inquit D. Tho.) *eorum, quæ sunt infra nos, nobilior est cognitio, quàm dilectio. Propter quod Philosophus in 6. Ethic. c. 7. & 12. Prætulit virtutes intellectuales moralibus: sed eorum, quæ sunt supra nos, & præcipuè Dei dilectio cognitioni præfertur. Et ideo caritas est excellentior fide*.

XIV. Responderi etiam potest distingu. maj. Altior est virtus, quæ fit suprema illius potentiæ, conc. maj. Quæ non sit suprema, nego mai. saltem generaliter. Eò enim, quo intellectus est altior voluntate, sequitur quidem, quòd suprema virtus perficiens intellectum, nempe, lumen gloriæ, sit præstantior caritate, quæ est suprema virtus voluntatis: hoc tamen non tollit, quin suprema virtus voluntatis, nempe caritas, sit præstantior virtutibus intellectus, quæ non sunt supremæ, quales sunt fides, & prudentia.

DUBIUM II.

An Caritas Acquiratur per Infusionem?

§. I.

Resolutio Dubii.

I. DIco. Caritas per se causatur in nobis per infusionem Spiritus Sancti. Dixi *per se*: quia donum infusum potest esse per se, & per accidens. Per se, quando ex natura sua tale est, ut excedat facultatem naturæ: ideoque nunquam possit homini inesse, nisi à Deo infundatur. Per accidens verò, quando potest quidem ex causa naturali produci, à Deo tamen ad ostensionem suæ potentiæ infunditur: quomodo scientias naturâ suâ acquisibiles infusas credimus fuisse Adamo. Caritas ergo ita ex natura suâ petit in nobis esse per infusionem, ut prorsus nequeat per vires naturales acquiri.

Probatur primò ex Scriptura. Roman. 5. v. 5. *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*. Et 1. Joann. 4. v. 7.

v. 7. *Caritas ex Deo est.* Quibus Scripturis utuntur Concilium Milevitanum, *Can.* 4. *ann.* 416. & Arausicanum II. anno 529. *Can.* 25. his verbis: *Prorsus donum Dei est diligere Deum. Ipse ut diligeretur dedit, qui non dilectus diligit. Displicentes amati sumus, ut fieret in nobis, unde placeremus. Diffundit enim caritatem in cordibus nostris Spiritus Patris, & Filii, quem cum Patre amamus, & Filio.* Quæ verba ex S. August. *Tract.* 102. *in Joan.* sumta sunt; ut contra Pelagianos definiant, caritatem esse donum Dei, quod sinè peculiari eius gratiâ non possit haberi. His consentit Tridentinum, *Sess.* 6. *c.* 7.

II. Idipsum confirmat S. Augustinus, *lib. de Gratia*, & *lib. arb. c.* 18. & 19. ubi Pelagianos increpans, quòd dicerent, donum Dei esse quidem scientiam, non autem dilectionem, ait: *Joannes dicit:* Deus dilectio est. *Et Pelagiani etiam ipsum Deum non ex Deo, sed ex semetipsis habere se dicunt: & cùm scientiam legis ex Deo nobis esse fateantur, caritatem ex nobis ipsis volunt. Nec audiunt Apostolum dicentem:* Scientia inflat, caritas autem ædificat. *Quid est ineptius, imò verò quid est amentius, & ab ipsa sanctitate caritatis alienius, quàm confiteri, ex Deo esse scientiam, quæ sinè caritate inflat, & ex nobis esse caritatem, quæ facit, ut scientia inflare non possit? Item cùm dicat Apostolus:* Supereminentem scientiæ caritatem Christi: *Quid est insanius, quàm putare, ex Deo esse scientiam, quæ subdenda est caritati, & ex hominibus caritatem, quæ supereminet scientiæ?*

III. Catholicam hanc veritatem probat S. Tho. hâc 2. 2. *q.* 24. *a.* 2. Caritas excedit totius naturæ facultatem: sed quod excedit naturæ facultatem, non potest esse naturale, nec per potentias naturales acquisitum, quia effectus non transcendit suam causam; ergo caritas non potest &c. Maj. probat. *Caritas est amicitia quædam hominis ad Deum, fundata super communicatione beatitudinis æternæ:* sed *hæc communicatio non est secundùm dona naturalia, sed secundùm dona gratuita, quia ut dicitur, Rom.* 6. Gratia Dei vita æterna; ergo & *ipsa caritas facultatem naturæ excedit.*

IV. Confirm. primò. Si caritas acquireretur nostris actibus, utique acquiretur per actus caritatem præcedentes, cùm ex frequentatis actibus generetur habitus: sed per actus caritatem præcedentes non potest caritas acquiri: nam hi actus sunt naturales entitativè, caritas autem entitativè supernaturalis. — Rursus: actus caritatem præcedentes sunt actus hominis existentis in peccato, & inimici Dei: sed per tales actus nequit acquiri caritas, quæ est amicitia Dei; ergo &c. — Præterea: tales actus deberent esse actus dilectionis Dei, & consequenter priùs nos diligeremus Deum, quàm Deus diligeret nos: sed hoc est falsum, & contra illud, 1. Joan. 4. v. 10. *In hoc est caritas: non quasi nos dilexerimus Deum: sed quoniam ipse prior dilexit nos;* ergo &c.

V. Nec dicas primò. Paulum, 1. *ad Timoth.* 1. *v.* 5. dicere: *Finis autem præcepti est caritas de corde puro, & conscientia bona, & fide non fictâ;* ergo caritas causatur ex actibus præcedentibus.

Respondet D. Thom. hâc qu. 24. a. 2. ad 3. *Quòd cùm caritas dicitur in nobis procedere* ex corde puro, & conscientia bonâ, & fide non fictâ, *hoc referendum est ad actum caritatis, qui ex præmissis excitatur.*

Vel etiam hoc dicitur, quia hujusmodi actus disponunt hominem ad recipiendum caritatis infusionem. Et similiter etiam dicendum est de eo, quod Augustinus dicit (Tract. 9. in Epist. Joann.) quòd timor introducit caritatem. *Et de hoc, quod dicitur in Glossa Matth.* 1. *quòd* fides generat spem, & spes caritatem.

VI. Nec dicas secundò. Ille, qui habet habitum caritatis, & actus caritatis frequentat, ex talium actuum fre-

frequentatione poterit similem habitum producere; ergo habitus caritatis non semper habetur per infusionem.

Respondetur enim, neg. ant. Ut enim docet S. Thom. 1. 2. q. 51. a. 4. ad 3. *Actus, qui producuntur ex habitu infuso non causant aliquem habitum, sed confirmant habitum praexistentem: sicut medicinalia remedia adhibita homini sano per naturam, non causant aliquam sanitatem, sed sanitatem prius habitam corroborant.*

VII. Nec dicas tertiò. Deus est maximè diligibilis: sed ad alia diligenda non egemus habitu infuso; ergo neque ad diligendum Deum.

Respondet enim D. Thom. citatâ q. 24. a. 2 ad 2. *Quòd sicut Deus secundùm se est maximè cognoscibilis, non tamen à nobis propter defectum nostræ cognitionis, quæ dependet à rebus sensibilibus: ita etiam Deus in se est maximè diligibilis, inquantùm est objectum beatitudinis. Sed hoc modo non est maximè diligibilis à nobis, propter inclinationem affectus nostri ad visibilia bona. Unde patet, quòd ad Deum maximè diligendum hoc modo, necesse est, quòd nostris cordibus caritas infundatur.*

§. II.

An Caritas Infundatur secundùm Capacitatem Naturalium?

VIII. Tribus modis contingere potest, caritatem dari secundùm capacitatem, vel proportionem naturalium. Primò, ut naturalis perfectio sit dispositio ad certam quantitatem caritatis. Secundò, ut opera viribus naturæ facta ejusmodi dispositionis rationem habeant. Tertiò sic, ut neque perfectio naturalis, neque opera per vires naturæ facta sint dispositio ad certam quantitatem caritatis; Deus tamen pro suo beneplacito constituerit dare caritatem majorem, aut minorem, prout est major, vel minor perfectio naturalis.

IX. Dico. Nullo ex his tribus modis Deus caritatem infundit secundùm capacitatem, aut proportionem naturalium. Non infundi caritatem secundùm proportionem naturalium, de fide est, contra hæresim Pelagii: hoc enim esset, gratiam, & caritatem secundùm merita nostra dari, quod in Conciliis adversùs Pelagianos coactis damnatum fuit.

X. Quòd verò nec tertio, nec aliquo alio modo caritas infundatur secundùm proportionem naturalium. prob. primò. Quia hominibus idiotis, simplicibus, & abjectis Deus aliquando confert magnam gratiam, & caritatem; sapientibus autem, ingeniosis, & nobilibus aliquando parvam, aut nullam: *Quæ enim stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat Sapientes: & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia* (ait Paulus 1. Cor. 1. v. 27.) Quò etiam pertinet illud Christi, Matth. 11. v. 25. *Confiteor tibi, Pater, Domine Cœli, & Terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis.*

XI. Confirmatur. Nam minimus Angelorum est naturæ excellentioris, quàm homines etiam præclarissimi: certum est autem, quòd non acceperit majorem caritatem, quàm illi. Cùm & Beatissima Virgo exaltata sit super omnes Choros Angelorum, & Apostoli, virique Apostolici quorumdam Angelorum caritatem excessisse visi sint.

XII. Dicendum ergo cum S. Thom. hâc q. 24. a. 3. Quòd *quantitas caritatis non dependet ex conditione naturæ, vel ex capacitate naturalis virtutis; sed solùm ex voluntate Spiritus Sancti distribuentis sua dona, prout vult. Unde & Apostolus dicit, ad Ephes. 4. v. 7.* Unicuique autem nostrûm data est gratia secundùm mensuram donationis Christi. *Et 1. Cor. 12. v. 11.* enumeratis Spiritus Sancti donis, dicitur: *Hæc autem omnia operatur unus, atque idem Spiritus, dividens singulis, prout vult.* Cui consonat illud Rom. 12. v. 6.

Haben-

Habentes autem donationes, secundùm gratiam, quæ data est nobis, differentes. Ratio autem D. Thom. est. Uniuscujusque rei quantitas dependet à propria causâ rei: sed caritas cùm superexcedat proportionem naturæ humanæ, non dependet ex aliqua naturali virtute, sed ex sola gratiâ Spiritus Sancti eam infundente; ergo &c.

XIII. Neque obstat, quòd, *Matth. 25. v. 15.* dicatur, talenta unicuique distribui *Secundùm propriam virtutem:* & quòd Deus donet justitiam secundùm propriam cujusque dispositionem, ut ex Tridentino, *Seff. 6. c. 7.*

Nam illa virtus, & dispositio, quâ homo se præparat, est ex Dei dono, & ex voluntatis ipsius distributione: dicitur tamen propria hominis, quia homo est, qui se præparat; & simul divini muneris, quia, ut se præparet, ut ad justificationem conetur, gratiæ Dei est moventis ipsum plus, vel minus pro beneplacito suæ voluntatis: *Illa virtus* (inquit S. Thom. hoc a. 3. ad 1.) *secundùm quam sua dona Deus dat unicuique, est dispositio, vel præparatio præcedens, sive conatus gratiam accipientis. Sed hanc etiam dispositionem; vel conatum prævenit Spiritus Sanctus movens mentem hominis plus, vel minus secundùm suam voluntatem. Unde & Apost. dicit, ad Colos.* 1. Qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine.

XIV. Sed dices. Eadem videtur esse ratio de homine, ac de Angelo: sed Angelo data fuit caritas, & alia dona secundùm capacitatem naturalium; ergo &c.

Respondeo, omissâ maj. dist. min. Tanquam dispositionem, nego min. Ex mera Dei voluntate, con. min. Quòd enim Angelo collata fuerit caritas ad proportionem suæ naturæ, ita ut Angelo in natura perfectiori collata fuerit perfectior caritas, & gratia; non fuit, quasi natura perfectior fuerit dispositio ad perfectiorem caritatem, sed merè occasionaliter; quatenus Deus, qui Angelo dedit naturam, quæ majori conatu ferretur ad ea, quæ sibi sunt connaturalia, voluit etiam ex mera suâ gratiâ, ut majori conatu ad gratiam se se disponeret; & sic fieret quædam proportionalitas inter naturam, & caritatem, ut natura perfectior perfectiori conatu ferretur in Deum, & sic ad perfectiorem caritatem se se disponeret: qui tamen conatus perfectior, non ex natura, sed ex gratia movente fuit. Hæc autem ratio non militat in homine.

Tùm quia: omnes homines habent naturam ejusdem speciei. Tùm quia: natura hominis non est, ut statim, & toto conatu fiat in actu, sicut Angelus: sed ei competit esse quandoque in potentia, quandoque in actu. Et ideo non oportet, quòd feratur totaliter in id, in quod fertur: sed ejus, qui habet meliora naturalia, potest esse minor conatus, & è converso. Ita S. Thom. hâc *q. 24. a. 3. ad 3.* Unde negari potest major. Non enim est simile de homine, ac de Angelo. Videatur S. Doct. *1. p. q. 62. a. 6.* Hæc autem instantia locum habet in sententia S. Thomæ volentis, Angelos propria dispositione gratiam fuisse consecutos: de quo egimus, *Tom. 5. in 1. p. Tract. de Angelis, Qu. 7. Dub. 2. §. 3.* quò Studiosum remitto.

XV. Si quæras: An tota quantitas caritatis correspondeat quantitati motionis Spiritus Sancti: an etiam, saltem partialiter, dispositioni, & conatui liberi arbitrii?

Respondeo; totam quantitatem caritatis proximè correspondere soli motioni Spiritus Sancti, non verò adhuc partialiter conatui naturali liberi arbitrii. Hæc responsio conferri debet cum iis, quæ dicta sunt, *Tom. 2. in 1. p. Tract. de Visione Dei Qu. 4. Dub. 3.* ubi statuimus, intellectum creatum propriâ, & nativâ virtute, nec partialiter proximè influere in visionem Dei, quæ huc revocanda sunt: & præcipuè advertendum, quòd cum ex D. Tho. dicimus, quantitatem caritatis *solùm* pendere ex voluntate Spiritus

tus Sancti, illa particula *solùm* excludit naturalia, prout non sunt disposita, & mota à Spiritu Sancto. Ut enim ab ipso sunt mota, verè agunt, & conantur: ita tamen, ut sola Spiritus Sancti motio, non autem nativa illorum virtus, sit illis ratio proxima agendi, & conandi.

XVI. Et hæc fuit mens Concilii Tridentini, quando, *Seff. 6. cap. 7.* dixit, mensuram gratiæ, quâ justificamur, esse simul ex motione Spiritus Sancti, & ex uniuscujusque dispositione: & quando, *cap. 5.* ejusdem Sessionis, docuit, quòd *Liberè assentiendo, & cooperando disponuntur homines; ita ut tangente Deo cor hominis, ipse homo aliquid agat inspirationem illam recipiens, quippe qui abjicere eam potest.*

Etenim Concilium voluit quidem, quòd ad justificationem concurrat dispositio, & conatus liberi arbitrii: sed voluit, quòd omnis illa dispositio, conatus, consensus, & operatio liberi arbitrii esset à gratia præveniente, efficaciter præparante liberum arbitrium ad gratiam recipiendam. Et ita intelligenda est Concilii definitio, nisi velimus ad reliquias Pelagianorum declinare, & asserere, quòd homo magis se disponat ad gratiam, & magis mereatur apud Deum, cui non magis est donatum à Deo; imò aliquando cui minus est donatum, possit magis se disponere, & magis mereri. Nam ex superabundantia conatus liberi arbitrii, qui minus adjuvatur, posset provenire maior dispositio, & major gratia, quàm ex conatu remisso hominis, qui magis adjuvatur ex parte Dei.

Eam verò motionem abjicere potest, non quidem in sensu composito, quòd illam recipiat; ita ut conjungere possit simul, à Deo moveri, & magis moveri, & vel non agere, aut minus agere, aut minus moveri, & minus conari. Hoc enim foret, divinam voluntatem impedire, quâ vult, tantum, & taliter liberum arbitrium se disponere: & si magis se disponeret, quàm à Deo moveretur, illa major dispositio non esset ex virtute gratiæ. Sed in sensu diviso; itaut liberum arbitrium, quod nunc de facto consentit Deo excitanti, & moventi, possit dissentire, & minus, aut non tantum consentire, quod quidem verum est: cùm divina motio suâ efficaciâ non lædat, sed faciat, & juvet humanam libertatem, ut sæpiùs dixi, & probavi: è contra autem divinæ motioni in sensu composito nemo resistere possit, dicente Augustino, lib. de Prædest. Sanctor. cap. 8. *Hae itaque gratia, quæ occultè humanis cordibus divinâ largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur. Ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur.* Et in Enchirid. c. 95. ubi explicans illud Psalm. 113. v. 11. *Deus autem noster in Cœlo, & in terra, omnia quæcumque voluit fecit;* ait: *Quod utique non est verum, si aliqua voluit, & non fecit, & quod est indignius, ideo non fecit, quoniam ne fieret, quod nolebat omnipotens, voluntas hominis impedivit.* Et *cap. 96.* subdit: *Hoc nisi credamus, periclitatur ipsum nostræ confessionis initium, quâ nos in Deum Patrem omnipotentem credere confitemur. Neque enim ob aliud veraciter vocatur omnipotens, nisi quoniam quidquid vult potest, nec voluntate cujuspiam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus.* Sed de hoc alibi fusiùs egimus.

DUBIUM III.

An Caritas possit Augeri, & quomodo hoc fiat?

§. I.

Resolvitur Prior Pars.

I. Dico. Caritas viæ potest augeri. Ita S. Tho. hâc *q. 24. a. 4.* cujus hæc est ratio: *Ex hoc enim dicimur viatores, quòd in Deum tendimus, qui est ultimus finis nostræ beatitudinis. In hac autem viâ* tan-

tantò magis procedimus; quantò Deo magis appropinquamus, cui non appropinquatur passibus corporis, sed affectibus mentis: sed *hanc* majorem *propinquitatem facit caritas, quia per ipsam mens Deo unitur; ergo de ratione caritatis via est, ut possit augeri: si enim non posset augeri, jam cessaret via processus. Et ideo Apostolus caritatem*, viam *nominat, dicens, 1. ad Cor. 12.* v. 31. Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.

II. Veritas hæc est de fide definita in Clementina *Ad nostrum. Tit. de Hæreticis*, ubi Clemens V. cum Concil. Viennensi damnavit errorem Beguardorum, & Beguinarum docentium, ut refertur in dicta Clementina: *Quòd homo in vita præsenti tantum, & talem perfectionis gradum potest acquirere, quòd reddetur pœnitus impeccabilis, & ampliùs in gratia proficere non valebit.* Et meritò quidem præfatus error damnatus fuit. Contrariatur enim primò Scripturis, quæ hominem etiam justum hortantur semper progredi, & crescere in perfectione. Ad Ephes. 4. v. 15. *Veritatem autem facientes in caritate, crescamus in illo per omnia.* Ad Philip. 1. v. 9. *Et hoc oro, ut caritas vestra magis, ac magis abundet.* Ad Galat. 6. v. 9. *Bonum autem facientes, non deficiamus, tempore enim suo metemus non deficientes; ergo dum tempus habemus, operemur bonum.* Quibus significatur, totum tempus vitæ præsentis aptum esse ad benè operandum, & serendum, quod metamus in altera. Hinc, Proverb. 4. v. 18. *Justorum autem semita, quasi lux splendens procedit, & crescit, usque ad perfectum diem:* idest, usque ad diem Patriæ, ubi non erit nox. Et Psalm. 83. v. 8. *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion:* idest, crescent in virtute, & caritate, donec ad illam visionem perveniant. Et tandem, Apocalypsis 22. v. 11. *Qui justus est, justificetur adhuc, & Sanctus sanctificetur adhuc.* Et, Ecclesiastici 18. v. 22. *Ne verearis usque ad mortem justificari.* Ex quibus duobus testimoniis Trident. *Sess. 6. c. 10.* definit, & explicat caritatis augmentum, dicens: *Hoc verò justitiæ incrementum petit Sancta Ecclesia, cùm Orat: Da nobis, Domine, fidei, spei, & caritatis augmentum.* Et *Can. 24.* Anathema dicit ei, qui dixerit: *Justitiam acceptam non conservari, atque etiam non augeri coram Deo per bona opera; sed opera ipsa esse fructus solummodo, & signa justificationis adeptæ, non autem ipsius augendæ causam.* Quibus anathematizat etiam Lutheranos, & Calvinistas negantes meritum bonorum operum, & per consequens per hæc gratiam augeri.

III. Eamdem veritatem docuerunt Patres. S. August. *Tract. 5. in Epist. Joann.* de caritate ait: *Ut perficiatur, nascitur, cùm fuerit nata, nutritur; cùm fuerit nutrita, roboratur: cùm fuerit roborata, perficitur, cùm ad perfectionem venerit, quid dicit? Mihi vivere Christus est, & mori lucrum &c.* S. Prosper, lib. Sentent. ex August. sent. 95. *Crescit semper caritatis facultas, dum usu major, & largitate fit ditior.* Et Sent. 102. *In hac vitâ, quæ tota tentatio est, etiam in sublimissimis Sanctis, non apprehenditur illa perfectio, cui non supersit ascensio.* S. Leo, *Serm. 30.* qui est secundus de Quadragef. *Et hæc est* (inquit) *Perfectorum vera justitia, ut nunquam præsumant, se esse perfectos: ne ab itineris nondum finiti intentione cessantes, ibi incidant in deficiendi periculum, ubi proficiendi depofuerint appetitum.* Et S. Bernardus, *Epist. 91.* ait: *Vidit Jacob in scala Angelos ascendentes, & descendentes: nunquid stantem quempiam, sive sedentem? Non est stare omnino in pendulo fragilis scalæ; neque in incerto hujus mortalis vitæ quicquam in eodem statu permanet. Non habemus hic manentem Civitatem, nec futuram adhuc possidemus, sed inquirimus. Aut ascendas, necesse est, aut descendas: si attentas stare, ruas necesse est. Minimè pro certo est bonus, qui melior esse non vult: &* ubi

ubi incipit nolle fieri melior, ibi etiam desinit esse bonus. Hæc Bernardus.

IV. Sed ajebant Beguardi. Si caritas in hac vitâ debet semper crescere, & non habet terminum augmenti; ergo quilibet Justus poterit æquare, & etiam superare in intensione caritatem B. Virginis, imò etiam ipsius Christi; & ideo caritas viæ poterit pervenire ad perfectionem intensivam caritatis Patriæ.

V. Respondeo ad primum, neg. conf. Licèt enim quilibet Justus semper possit in gratia, & caritate crescere, de facto tamen non excedet terminum ex divina præordinatione, seu prædestinatione præfixum: cùm autem nemo ad tantam gratiam, & caritatem prædestinatus sit, quantam Christus, & B. Virgo possident, nemo eos in gratia, & caritate æquare, nedum excedere potest.

VI. Ad secundum respondeo cum distinctione. Vel enim sermo est de caritate, quam idem homo habet in via, & postea habebit in Patria, & nego ant. Cùm enim Deus præmiet ultra condignum, caritas, quam in Patria habet Beatus, non manet in eo statu, & gradu, quo fuit in ultimo instanti viæ; sed aliquod incrementum accipit, cùm homo beatus fit. Vel comparatio fit inter caritatem cujuslibet viatoris, & caritatem cujuslibet Beati; & sic dici potest, plures viatores habere caritatem magis intensam, quàm plures Beatos: plures enim Sancti viri, qui in hâc vita ex caritate Deo serviunt, & pro Deo multa patiuntur, credere par est, quòd habeant caritatem magis intensam, quàm infantes, qui cum sola gratiâ Baptismali decesserunt, & adulti, qui dum viverent, valde remissè operati sunt.

Nihilominus caritas Patriæ semper excedit caritatem viæ in statu, & modo operandi, quia visioni beatificæ conjuncta, eique proportionata. Et in hoc sensu intelligi debet dictum Christi, *Matth. 11. versu 11.* ubi postquam dixit, quòd inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista, subjungit: *Qui autem minor est in Regno Cœlorum, major est illo*. Quare D. Thomas hâc *q. 24. a. 7. ad 3.* cùm sibi objecisset, quòd si caritas viæ possit semper augeri, poterit pervenire ad caritatem Patriæ; quia unum finitum potest per continuum augmentum pervenire ad quantitatem alterius finiti, respondet: *Ad tertium dicendum, quòd ratio illa procedit in his, quæ habent quantitatem ejusdem rationis; non autem in his, quæ habent diversam rationem quantitatis: sicut linea, quantumcumque crescat, non attingit quantitatem superficiei. Non est autem eadem ratio quantitatis caritatis viæ, quæ sequitur cognitionem fidei, & caritatis Patriæ, quæ sequitur visionem apertam*. Hac enim præsuppositâ, toto conatu fertur in Deum, sinè ullâ interruptione, sinè amissionis periculo, sinè ullius contrarii admixtione, cum summo gaudio, & longè majori communicatione cum Deo: nimirum, facie ad faciem, non per speculum in ænigmate, sicut in via.

§. II.

Aliæ Resolutiones de Modo Augmenti.

VII. Quæres primò: An caritas augeatur solùm intensivè, seu per hoc, quòd magis possideatur à subjecto: an verò etiam extensivè, hoc est, per hoc, quòd extendatur ad plura objecta?

Dico. Caritas augetur solùm intensivè, non extensivè: & loquor de caritate secundum habitum. Prior pars certa est. Quia dum subjectum perficitur, & paulatim magis, ac magis caritate actuatur sibi inhærente, ipsa etiam secundùm essentiam individualem perficitur, & augetur; & quæ priùs minus possidebat subjectum, illud magis possidet, ac sibi subjicit: quod, ut dicemus, est, caritatem magis intendi. — Neque obest, quòd

caritas nullam in subjecto patiatur qualitatem contrariam. Nam intensio formæ, seu qualitatis non requirit per se, ut includat remissionem formæ contrariæ in subjecto; sed solùm quòd sit major ejusdem formæ participatio. Sic lumen, etsi nullam qualitatem contrariam inveniat, intenditur tamen in aere, quando, Sole magis appropinquante, perfectiùs ab aere participatur.

Secunda verò pars traditur à S. Tho. hâc *q.* 24. *a.* 5. ubi loquens de augmento habitus, dum extenditur ad quædam objecta, ad quæ priùs se non extendebat, ait: hoc autem non potest dici de caritate; quia etiam minima caritas se extendit ad omnia illa, quæ sunt ex caritate diligenda. Quod confirmat ibidem *ad* 1. Et 1. 2. *q.* 109. *a.* 9. docet, hominem in gratia, & caritate constitutum non indigere alio auxilio gratiæ, quasi aliquo alio habitu infuso ad operandum bona, & vitandum mala — Neque ex quo caritas, quæ priùs solùm se extendebat ad observantiam mandatorum, postea se extendat etiam ad observationem consiliorum Evangelicorum, inferri potest, habitum caritatis in se augeri extensivè, & ex parte objecti. Nam illud augmentum non est, quia habitus caritatis extendatur ad objectum, ad quod priùs non poterat extendi; sed quia habitus in usu, & exercitio ad illud se extendit: unde estò non augeatur secundùm habitum, quoad actum tamen, & exercitium augetur. Quare, Qu. un. de Virt. a. 11. ad 10. *Hoc interest* (inquit) *inter scientiam, & virtutem: quia de ratione scientiæ non est, quòd se extendat in actum respectu omnium objectorum: non enim est necesse, quòd sciens omnia scibilia cognoscat. Sed de ratione virtutis est, quòd in omnibus virtuosè se agat. Unde scientia potest augeri, vel secundùm numerum objectorum, vel secundùm intensionem ejus in subjecto: virtus autem uno modo tantùm.*

VIII. Quæres secundò: An augmentum intensivum habitus caritatis fiat per additionem novi habitus præexistenti?

Hoc quæsitum tangit controversiam de modo, quo fiat augmentum intensivum qualitatis, de qua fusè Philosophi disputant. Eâ tamen suppositâ, quæ cohærenter de intensione caritatis dicenda sunt, breviter exponemus.

IX. Dico ergo. Augmentum intensivum habitus caritatis non fit per additionem novi habitus: *Sed solùm per hoc, quòd subjectum magis, ac magis participat caritatem, idest, secundùm quod magis reducitur in actum illius, ac magis subditur illi*. Ita S. Thom. hâc *q.* 24. *a.* 5. Quod docet etiam in 1. *dist.* 17. *q.* 2. *a.* 2. 1. 2. *q.* 52. *a.* 2. & *Q. un. de Virtut. a.* 11. *in c.* & *ad* 11. & 12. Ejus autem ratio est. Caritas eo modo debet intensivè augeri, qui proprius est cujuslibet formæ, quæ intenditur: sed modus proprius cujuslibet formæ, quæ intenditur, est, quòd intensio fiat per majorem participationem ejus in subjecto; ergo hoc modo, & caritas debet intensivè augeri. Min. prob. Totum esse formæ capacis intensionis est inesse, & inhærere proprio susceptibili; ergo augmentum talis formæ debet fieri per hoc, quòd magis insit suo susceptibili, unde *Cùm magnitudo rei consequatur esse ipsius, formam esse majorem, est, eam magis inesse susceptibili, non autem aliam formam advenire*. Sic S. Tho. hoc *a.* 5.

Confirmatur ex eodem ibi. Forma, quæ non habet quantitatem ex seipsa, sed solùm per comparationem ad subjectum, non potest per additionem augeri; sed per hoc solùm, quòd magis insit, magis uniatur subjecto, illudque magis sibi subjiciat, illud magis perficiendo: sed caritas, & quævis alia forma intensionis capax non habet quantitatem ex seipsa, sed solùm per comparationem ad subjectum; ergo &c.

X. Prob. secundò ex eodem S. Doct. citato. Si augmentum caritatis fieret per additionem novi habitus; vel iste novus

novus habitus esset diversus specie, vel solo numero à præexistente: sed neutro modo; ergo &c. Min. prob. Non potest esse distinctus specie; quia distinctio secundùm speciem in habitibus est secundùm objectorum diversitatem: caritas autem, ut vidimus, non augetur per hoc, quòd se extendat ad nova objecta: Nec etiam potest esse distinctus solo numero; nam distinctio numerica formarum non est, nisi præsuppositâ diversitate subjectorum: Unde in una voluntate non potest esse nisi caritas una numero.

XI. Dices primò. Augere caritatem ad Deum pertinet, sicut & ipsam infundere, secundum illud, 2. Cor. 9. v. 10. *Augebit incrementa frugum justitiæ vestræ:* sed Deus primò infundendo caritatem aliquid facit in anima, quod ibi priùs non erat; ergo etiam augendo caritatem &c.

XII. Respondeo cum D. Tho. hoc a. 5. ad 3. discrimen esse: *Quòd infusio caritatis importat quamdam mutationem secundùm habere caritatem, & non habere: & ideo oportet, quòd aliquid adveniat, quod priùs non infuit. Sed augmentatio caritatis importat mutationem secundùm magis, & minus habere; & ideo non oportet, quòd aliquid insit, quod priùs non infuerit, sed quòd magis insit, quod priùs minus inerat. Et hoc est, quod facit Deus caritatem augendo; scilicet, quòd magis insit, & quòd perfectiùs similitudo Spiritus Sancti participetur in anima.*

XIII. Sed dices. Dum caritas intenditur, acquirit novum gradum, quem antea non habebat; ergo etsi per intensionem non producatur nova qualitas, producitur tamen novus gradus, vel modus caritatis. Eo vel maximè, quia motus intensionis in caritate à Deo fit per specialem aliquem influxum, cui aliquis specialis, & novus terminus debet assignari.

XIV. Respondent aliqui, ex Thomistis etiam, intensionem caritatis fieri per acquisitionem novi gradus, qui non sit nova caritas, sed novus modus caritatis. Stando tamen in doctrina S. Thomæ, distinguendum censeo ant. Novum gradum, qui sit denominativè, & sincategorematicè novus, conc. ant. Qui sit entitativè, & categorematicè novus, nego ant. Dum ergo caritas intenditur, acquirit novum gradum non categorematicè talem, quasi sit nova entitas modalis ei superveniens: sed solùm sincategorematicè, quia novo modo, & magis inest subjecto, illudque sibi magis subjicit, quàm ante. Nec refert, quòd motus intensionis fiat per specialem influxum Dei. Respondet enim S. Thomas Q. un. de Virtut. art. 11. ad 12. *Quòd Deus auget caritatem, non novam caritatem infundendo, sed eam, quæ præexistebat, perficiendo.* Sed de hoc satis. Qui plura optaverit, adeat Philosophos.

XV. Quæres tertiò: Quomodo actus hominis existentis in caritate concurrant ad augmentum caritatis habitualis?

Dico. Homo in caritate existens mediis suis actibus non concurrit efficienter physicè ad augmentum habitus caritatis, sed dispositivè tantum; non solùm per modum dispositionis moralis, sed etiam physicæ. Ita docet S. Thomas in 1. *dist.* 17. *qu.* 2. *a.* 3. ubi loquens de actibus præcedentibus caritatem ad eam habendam, & de actibus caritate informatis, ait: *Non eodem modo se habet actus informatus caritate ad augmentum caritatis, & actus præcedens caritatem ad habendam caritatem. Actus enim, qui est ex caritate, ordinatur ad augmentum caritatis, & per modum dispositionis, & per modum meriti: sed actus præcedens caritatem ordinatur ad consequendum caritatem solùm per modum dispositionis.... & non per modum meriti; quia ante caritatem nullum potest esse meritum. Neuter autem actus ordinatur ad habendam, vel augmentandam caritatem, per modum alicujus efficientiæ, sicut actus nostri ad habendum habitus acquisitos.*

XVI.

XVI. Ex quibus probatur prima pars. Ab eo solo potest efficienter causari augmentum habitus, à quo potest efficienter produci, cum augmentum sit quædam continuata productio: sed habitus caritatis non potest per actus nostros efficienter produci, sed à solo Deo in nobis infundi; ergo nec potest per actus nostros efficienter augeri, sed à solo Deo. Maj. probatur, & præoccupatur disparitas, quæ tradi posset. Estò augmentum caritatis præsupponat gratiam, & caritatis habitum, quæ non præsupponit caritatis productio; adhuc tamen actus à caritate procedens non potest efficienter causare ipsius caritatis habitualis augmentum; quia actus ille procedit ab habitu caritatis remisso: actus autem procedens ab habitu remisso non potest efficienter causare augmentum ejus, quia procedit à principio illud augmentum nec formaliter, nec virtualiter præcontinente: sicut actus procedens à calore, ut quatuor, nequit efficienter augere calorem, ut quinque; ergo &c. Dicendum est ergo cum D. Tho. *Q. un. de Virt. a. 11.* Quòd *Sicut virtutes acquisitæ augentur ex actibus, per quos causantur: ita virtutes infusæ augentur per actionem Dei, à quo causantur.*

XVII. Secunda pars, quòd actus ex caritate procedentes concurrant ad augmentum caritatis per modum dispositionis, & meriti, constat ex doctrina S. Tho. supra relatâ, quam repetit *Qu. un. de Virt. a. 11.* Ubi post mox laudata verba, subdit: *Actus autem nostri comparantur ad augmentum caritatis, & virtutum infusarum ut disponentes, sicut ad caritatem à principio obtinendam: homo enim faciens quod in se est, præparat se, ut à Deo recipiat caritatem. Ulteriùs autem actus nostri possunt esse meritorii respectu augmenti caritatis; quia præsupponunt caritatem, quæ est principium merendi. Sed nullus potest mereri, quòd à principio obtineat caritatem; quia meritum sine caritate esse non potest.*

XVIII. Tertia autem pars, quòd actus à caritate procedentes concurrant ad augmentum caritatis, tanquam dispositiones non solùm morales, sed etiam suo modo physicæ, probatur. Nam si idem judicium ferendum est de rei conservatione, & augmento, ac de ejus prima productione: cùm actus caritatem præcedentes disponant non solùm moraliter, sed etiam suo modo physicè ad caritatem à Deo obtinendam (ut in Tract. de Justific. dictum est) eodem modo disponent ad ejus augmentum à Deo obtinendum. Hinc S. Thom. hâc *q. 24. a. 6.* eodem modo, servatâ proportione, discurrit de dispositione ad augmentum caritatis, ac de dispositione ad augmentum corporale.

Verùm quia duplex difficultas hinc oriri videtur: una: An actus caritatis, etiam remissus, sit dispositio, & meritum ad augmentum caritatis: altera, quandonam tale augmentum pro actu remisso conferatur. Ideo ponimus

DUBIUM IV.

An quolibet Actu Caritatis etiam Remisso Caritas Augeatur, & an Statim?

§. I.

Resolutio Dubii.

I. DIco. Non quolibet actu caritatis caritas actu augetur: quilibet tamen actus caritatis disponit ad caritatis augmentum. Ita iisdem terminis S. Thomas hâc *q. 24. a. 6.* Cujus ratio ipsismet S. Doctoris terminis sic proponitur: *Augmentum spirituale caritatis quodammodo simile est corporali augmento: sed augmentum corporale in animalibus, & plantis non est motus continuus: ita scilicet, quòd si aliquid tantum augetur in tanto tempore, necesse sit, quòd proportionaliter in qualibet parte illius temporis augeatur, sicut contingit in motu locali: sed*

per

per aliquod tempus natura operatur disponens ad augmentum, & nihil augens actu; & postmodum producit in effectum id, ad quod disposuerat, augendo ipsum animal, vel plantam in actu; ergo etiam non quolibet actu caritatis caritas actu augetur; sed quilibet actus caritatis disponit ad caritatis augmentum, inquantùm ex uno actu caritatis homo redditur promtior iterum ad agendum secundùm caritatem: & habilitate crescente, homo prorumpit in actum ferventiorem dilectionis, quo conetur ad caritatis profectum. Et tunc caritas augetur in actu.

II. Itaque actus caritatis remissus disponit quidem ad augmentum habitus caritatis; sed quia non est dispositio proxima, sed solùm remota, illi non correspondet actuale augmentum, nisi accedente actu ferventiori, in quo includitur: quemadmodum dispositiones antecedentes includuntur in ultima, quatenus inveniens materiam per illas dispositam virtute earum complet actum, & formam inducit. Ita se explicat S. Thom. in 1. *dist.* 17. *q.* 2. *a.* 3. his verbis: *Sciendum est igitur, quòd actus, qui praecedit caritatem, quandoque unus solus disponit ultimâ dispositione, ut infundatur caritas.... quandoque autem unus actus non disponit, nisi dispositione remotâ, & sequens actus magis disponit, & sic deinceps, secundùm quòd ex multis bonis actibus pervenitur ad ultimam dispositionem, inquantùm actus sequens agit in virtute omnium praecedentium: ut patet in guttis cavantibus lapidem, quòd non qualibet aufert aliquid de lapide, sed omnes praecedentes disponunt, & una ultima agens in virtute omnium praecedentium, inquantum scilicet invenit materiam dispositam per praecedentes, complet cavationem. Hoc autem ideo contingit, quia homo est dominus sui actus. Unde potest agere secundùm totam virtutem naturae suae, vel secundùm partem; quod non contingit in illis, quae agunt ex necessitate naturae: semper enim agunt totâ virtute suâ. Quando ergo ita est, quòd homo non habens caritatem, ex tota virtute bonitatis naturalis sibi inditae movetur ad caritatem; tunc unus actus disponit eum ultimâ dispositione, ut caritas sibi detur. Quando verò non secundùm totam virtutem, sed secundùm aliquid ejus praeparatur ad caritatem; tunc actus non est sicut dispositio ultima, sed remota, & per plures actus poterit pervenire ad dispositionem ultimam.*

Similiter dico ex parte aliâ: quòd quando actus caritatis procedit ex tota virtute habentis, & quantùm ad virtutem naturae, & quantùm ad virtutem habitus infusi; tunc unus actus disponit, & meretur augmentum caritatis, ut fiat statim. Quando autem non secundùm totam virtutem procedit actus ille; tunc est, ut dispositio remota, & poterit tunc per plures actus pervenire ad augmentum caritatis, non tamen de necessitate: quia homo quantumcumque sit dispositus, potest non agere secundùm rationem dispositionis illius: quod non contingit in dispositionibus non voluntariis, ratione jam dictâ. Ita S. Thomas. Quibus apertè constat, quaenam in hac materia sit ejus mens. Solùm adverto, quòd cum dicit, hominem virtute naturae se disponere, ad caritatem non loquitur de virtute naturae operante viribus propriis, sed viribus, & auxilio gratiae.

§. II.

Ex Praelaudata S. Thom. Doctrinâ aliqua Resolvuntur.

III. Resolvitur primò. Quemlibet actum caritatis, etiam remissum, secundùm se mereri augmentum caritatis; sive actus sit à caritate elicitus, sive imperatus. Probatur. Nam quilibet actus caritatis, etiam remissus secundùm se meretur vitam aeternam; ergo meretur etiam augmentum caritatis, & gratiae, quia gloria correspondet gratiae, & caritati; ergo quotiescumque est meritum gloriae, est

est etiam meritum caritatis, & gratiæ. Ant. prob. Tùm ex illo, *Matth.* 10. *v.* 42. & *Marci* 9. *v.* 40. ubi dicitur, quòd qui dederit calicem aquæ frigidæ in nomine Christi, non perdet mercedem suam: hoc autem inter caritatis opera est valdè remissum; imò & minimum. Tùm etiam, actus caritatis quamvis remissus est bonus, procedens ab homine justificato, ut moto à Spiritu Sancto, factus per Dei gratiam, & merita Christi; ergo per illum meretur vitam æternam, & saltem novo titulo facit sibi debitam, juxta doctrinam S. Thom. in 3. dist. 18. q. 1. a. 2. ad 4. *Quòd omnis, qui meretur, proficit quantùm ad mercedem, quam meretur; ut scilicet eam sibi debitam faciat, vel simpliciter, vel quantùm ad aliquem modum, quo sibi priùs debita non erat.*

Neque his repugnat D. Thom. in 2. *dist.* 27. *a.* 5. *ad* 2. dicens: quòd non *Oportet, ut quilibet actus meritorius augmentum gratiæ mereatur.* — Nam S. Thomas ibi solùm vult, quòd non omnis actus mereatur augmentum gratiæ statim conferendum: ut enim ex actu statim sequatur augmentum habitus, non sufficit, ut talis actus sit meritorius augmenti; sed ulteriùs requiritur, ut sit causa, & sufficiens dispositio, qualis non est actus remissus. Unde subdit: *Quia non in quolibet actu meritorio invenitur illa conditio, per quam ex actu consequitur augmentum habitus.*

IV. Nec pariter obstat, quòd qui habet habitum intensum, & solùm remissè agit, operetur indebito modo, ac proinde non mereatur. Et pariter, quòd inter meritum, & præmium debet dari æqualitas, quæ inter actum remissum, & augmentum habitus non datur.

Non enim obstat primum. Nam sicut ad merendum non est necesse facere id, quod est melius, puta servare etiam consilia: ita non est necesse semper operari secundùm totam intensionem habitus caritatis, sed agere actum undequaque bonum, & ex ejus imperio.

Neque obstat secundum. Tùm quia: inter meritum, & præmium sufficit æqualitas proportionis, quæ inter actum caritatis remissum, & ejus augmentum datur, etiamsi illum mathematicè excedat. Tum quia: estò non detur æqualitas in genere physico, datur tamen in valore morali sumto ex gratia, aliisque capitibus, ex quibus dignitas moralis actus consurgit.

V. Resolvitur secundò. Mentem S. Thomæ esse, quòd non quolibet actu caritatis statim habitus caritatis augeatur; sed tunc demum, quando justificatus in actum ferventiorem erumpit. Ita S. Doct. hoc *a.* 6. *ad* 1. his verbis: *Quilibet actus caritatis meretur vitam æternam, non quidem statim exhibendam, sed suo tempore. Similiter etiam quilibet actus caritatis meretur caritatis augmentum; non tamen statim augetur, sed quando aliquis conatur ad hujusmodi augmentum.* Et 1. 2. q. 114. a. 8. ad 3. *Quolibet* (inquit) *actu meritorio meretur homo augmentum gratiæ, sicut & gratiæ consummationem, quæ est vita æterna. Sed sicut vita æterna non statim redditur, sed suo tempore; ita nec gratia statim augetur, sed suo tempore: cum scilicet aliquis sufficienter fuerit dispositus ad gratiæ augmentum.* Et ratio est. Quia, ut supra cum eodem S Thom. in 2. *dist.* 27. *q.* 1. *a.* 5. *ad* 2. dicebamus, ad actuale augmentum gratiæ, & caritatis, non sufficit, ut actus sit meritorius, sed requiritur, ut sit causa dispositiva sufficiens; quod non habet quilibet actus meritorius, si sit remissus.

VI. Probatur hoc discursu. De spiritualibus, & supernaturalibus habitibus, quoad ea, quæ in Scripturis, Patribus, Conciliis, aut Traditionibus non explicantur, judicare debemus secundùm proportionem ad naturalia. Tùm ne detur libera occasio fingendi quidlibet. Tùm quia: ad suavem divinæ providentiæ ordinem videtur pertinere, ut juxta modum dispositionis

rerum

rerum naturalium, quæ sunt nobis notæ, & proportionatæ, disponat etiam supernaturalia in nobis: sed habitus per vires naturales acquisiti non augentur per actus remissos; ergo nec habitus infusi augentur &c.

Neque dicas. Habitus acquisitos propterea non augeri per actus remissos, quia actus effectivè concurrunt ad eorum augmentum; habitus verò infusi non augentur nostris actibus efficienter, sed meritoriè, & dispositivè — Nam contra est. Si actus, etsi non efficienter, dispositivè tamen, concurrit ad augmentum habitus infusi; ergo si non ponatur actus, qui sit dispositio sufficiens, Deus effectivè non causabit augmentum. Sicut enim non infundit gratiam, & caritatem in adultis, nisi positis dispositionibus, & proportionatè ad illas; ita nec auget gratiam, nisi positis dispositionibus, & proportionatè ad illas: sed actus remissus non est dispositio se ipsâ sufficiens ad hoc, ut eâ positâ sequatur augmentum gratiæ; ergo &c.

VII. Sed obstabis. Si non per quemlibet actum, etiam remissum, augetur caritas, sed solùm per ferventiorem, sequuntur duo absurda. Primum, Deum non retribuere mercedem secundùm meritum: cum enim, ex dictis, actus remissus sit meritorius augmenti gratiæ, & gloriæ; si is, qui actus remissos operatus est, non prorumpat in ferventiorem, non accipiet mercedem illis actibus debitam.

Secundum, Justum, qui perfectus est, esse pejoris conditionis, quàm Justum imperfectum. Potest enim esse, quòd Justus perfectus operetur actum intensiorem, quàm imperfectus; & tamen non augeatur habitus, qui in ipso est, augeatur verò habitus ejus, qui est imperfectus: si nimirum actus Justi perfecti sit remissus comparatione sui habitus, actus vero Justi imperfecti sit intensus respectu sui.

VIII. Respondeo, neg. sequelam. Ad primum respondent plures, etiam ex Nostris, eum, qui in hâc vita non prorumpit in actum ferventiorem, atque ideo non se ultimò disponit ad augmentum, quod meruerat, recipere illud in altera vitâ. In ingressu enim gloriæ eliciet actum ferventissimum, cui estò non per modum meriti, saltem per modum dispositionis, respondebit augmentum gratiæ, & gloriæ.

Sed hæc responsio placere non potest. Nullo enim fundamento asseritur iste actus ferventior in ingressu gloriæ eliciendus, qui sit dispositio ad augmentum gratiæ, & gloriæ. Qualis quisque decesserit, talis erit in altera vitâ, sive quoad pœnæ, sive quoad præmii intensionem, juxta illud Ecclesiastæ 11. v. 3. *Si ceciderit lignum... quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Et Joann. 9. v. 4. *Venit nox, quando nemo potest operari.* Super quæ S. August. Tract. 44. in Joann. *Aliud* (inquit) *est tempus operationis, aliud receptionis: reddet enim Dominus unicuique secundùm opera sua. Cum vivis, fac, si facturus es; erit enim tunc nox valida.* Ergo si habitus caritatis in hac vitâ non est auctus per convenientem dispositionem diligentis, nec augebitur; sed recipiet lumen gloriæ proportionatum ei dispositioni, in qua decedit.

IX. Veriùs ergo censeo, vel Deum ex sua misericordiâ, & suavi providentiâ daturum illi actum ferventiorem in fine vitæ, quo ultimò disponatur ad augmentum gratiæ actibus remissis præcedentibus proportionatum — Vel etiamsi non prorumpat in actum ferventiorem, sive in vita, sive in fine vitæ, adhuc recepturum retributionem secundùm meritum; nempe, vitam æternam etiam titulo, & intuitu actuum remissorum: quòd si non retribuatur ei augmentum, defectus ab homine fuit, qui ad illud, ut poterat, non se disposuit.

X. Sed contra hoc dices. Injustus esset, qui operario per decem dies laboranti, ac merenti ex pacto singulis diebus unum denarium, non redderet decem denarios, sed solùm unum,

num, eumque decem titulis debitum; ergo similiter injustus erit Deus, si propter plura merita non reddat plures gradus gloriæ, sed unum pluribus titulis debitum. Cui obstare videtur etiam Tridentinum, *Sess. 6. Can.* 32. ubi statuit, bona opera hominis justificati mereri ipsius vitæ æternæ consecutionem, *atque etiam gloriæ augmentum.*

XI. Respondeo tamen, neg. conf. Nam cùm merces operario debita sit illi extrinseca, nulla ex parte ipsius requiritur dispositio, ut mercedem consequatur, sed sat est, quòd opus externum faciat, quomodocumque sit internè dispositus: at cùm merces, quæ Justis redditur, sit forma quædam intrinsecè illos afficiens, prærequirit dispositionem subjecti & ad mercedem, & ad quantitatem mercedis. Neque obstat Tridentinum: sensus enim illius est, quòd Justus augmentum gloriæ recipiet, suppositâ semper sufficienti dispositione.

XII. Neque sequitur secundum absurdum. Nego enim assumtum. Quia Justus perfectus est simpliciter melioris conditionis; cùm propter majorem gratiam sit sanctior, & Deo gratior, ejusque actus sit magis, vel æquè perfectus, & meritorius: utpotè æque, vel magis intensùs, quàm actus justi imperfecti. Ex hoc autem, quòd ille non recipiat de facto caritatis augmentum, iste verò recipiat, dici potest, quòd sit inferioris conditionis secundùm quid; quia non se disponit sufficienter ad augmentum, sicut iste.

XIII. Resolvitur tertiò. Habitum caritatis, quando augetur, non augeri secundùm totam latitudinem actus, sed tantùm secundùm excessum ipsius supra habitum. Unde si quis habens habitum caritatis ut sex, operetur actum intensum ut octo, non recipiet octo gradus augmenti, qui cum præcedentibus facerent quatuordecim; sed solùm duos, ut ejus habitus fiat intensus ut octo. Et ratio est. Quia causa naturalis non auget formam naturalem, nisi secundùm eos gradus, quibus illam superat: ut si calidum ut quinque approximetur calidum ut sex, istud non intendit calorem prioris calidi, nisi ad unum gradum; ergo similiter dicendum de intensione formarum supernaturalium. Quamvis enim actus meritorius efficienter non causet augmentum habitus supernaturalis, sed solùm dispositivè, adhuc tamen servari debet proportio dispositionis ad formam.

Hinc *Matth.* 5. is, qui habebat quinque talenta, & lucratus est alia quinque, solùm pervenit ad numerum decem talentorum: similiter ergo qui habet caritatem ut quinque, si benè operando lucretur alios quinque gradus, exercendo actum intensum ut decem, non accipiet caritatem majorem, quàm decem graduum.

XIV. Resolvitur quartò. Augmentum caritatis, quod datur homini, dum exit in actum ferventiorem, non solùm respondere actui ferventiori, sed etiam actibus remissis, qui præcesserant: ferventiori quidem, ut dispositioni proximæ, & adæquatæ; remissis verò, ut dispositionibus remotis, & inadæquatis: omnibus autem, ut habentibus vim, & rationem meriti. Ita expressè S. Tho. §. præcedente relatus, ex 2. *dist.* 17. *q.* 2. *a.* 3. & hâc *q.* 24. *a.* 6. *ubi in* C. hæc habet: *Quilibet actus caritatis disponit ad caritatis augmentum, inquantùm ex uno actu caritatis homo redditur promtior ad agendum secundùm caritatem: & habilitate crescente homo prorumpit in actum ferventiorem dilectionis, quo conetur ad caritatis profectum. Et tunc augetur caritas in actu.* Quibus apparet, actus remissos non frustrari suo præmio; quod datur quidem, ob meritum actus intensioris, sed ut virtute includentis actus remissos: unde actus ille ferventior, quasi multiplici jure, & titulo augmentum promeretur, & recipit. Hæc, in ista satis involuta controversiâ, magis aperta, & menti S. Thomæ magis conformia judicavimus.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

De Necessitate, & Ordine Caritatis.

CAritas, de qua hactenus locuti sumus, est dilectio, quâ Deum ut auctorem supernaturalem diligimus, & fontem gratiæ, & gloriæ, & creaturas propter ipsum. De hujus ergo dilectionis necessitate, seu obligatione agemus in præsens: cum S Tho. 2. 2. q. 44. Et insuper quinam ordo in ea servandus sit, expendetur cum eodem 2. 2. q. 26.

DUBIUM I.

Utrum detur Speciale Præceptum Caritatis.

§. I.

Quid in hac Re senserint Aliqui.

I. PRoximè elapso seculo reperti sunt Doctores aliqui ex Catholicis, qui ausi sunt asserere, præceptum caritatis in Deum non esse præceptum speciale, & ab aliis distinctum. Hinc concludebant primò: Hominem non teneri aliquando ad actum amoris in Deum, vi præcepti caritatis; sed satis esse, ut illum non oderit. Secundò: Hominem, qui alia præcepta servaverit, etiamsi Deum nusquam actu dilexerit, satisfecisse primo Decalogi mandato. Tertiò: Hominem posse salutem æternam consequi, quamvis nunquam actum amoris in Deum elicuerit. Quæ quia pietati, ac Religioni capitaliter opponuntur; ideo à Summis Pontificibus similes doctrinæ proscriptæ fuere.

II. Ut tamen Candidatus meus ab iis cavere possit, operæ pretium duxi, singulas propositiones damnatas ei exhibere. Prima ergo talis erat: *Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & caritatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Est prima inter damnatas ab Alexandro VII. 24. Septembris 1665.

Secunda: *Probabile est, ne singulis quidem rigorosè quinquenniis per se obligare præceptum caritatis erga Deum.* Est sexta ex damnatis ab Innoc. XI. 2. Mart. 1679.

Tertia: *Sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretativè. Hunc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decursu vitæ suæ moralis.* Est prima ex damnatis ab Alexando VIII. 24. Augusti 1690.

Quarta: *Anpeccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantùm in vita elicerct, condemnare non audemus.* Est quinta inter Innocentianas, ut supra.

Quinta (quæ inter Innocentianas est septima) talis est: *Tunc solùm obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, quâ justificari possimus.*

Quia verò etiam circa dilectionem proximi erratum fuit; oportuit sequentes propositiones proscribi ab eodem Innoc. XI. 2. Martii 1679.

Prima erat (inter damnatas 10.) *Non tenemur, proximum diligere actu interno, & formali.*

Secunda (ordine 11.) *Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.*

Tertia (ordine 13.) *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere; illam inefficaci affectu petere, & desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.*

Quarta (ordine 14.) *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris; non quidem, ut malum patris, sed ut bonum cupientis: quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.*

Quinta (ordine 15.) similis est: *Licitum est filio gaudere de parricidio parentis, à se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.* His ad cautelam prænotatis, sit

§. II.

Resolutio Dubii.

III. Dico. Præceptum de caritate in Deum est speciale præceptum à cæteris ita distinctum; ut, si quis ipsum omiserit, etsi alia omnia servaverit, salutem æternam consequi non possit.

Prob. primò ex illo, *Matth.* 22. ubi Christus à Legis Doctore rogatus: *Quid est mandatum magnum in lege?* Respondit, v. 37. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. Hoc est maximum, & primum mandatum.* Deinde affert, velut secundum, præceptum dilectionis proximi, & concludit, v. 40. *In his duobus mandatis universa lex pendet, & Prophetæ.* Ex quibus sic arguo. Illud est speciale mandatum, & à cæteris distinctum, quod respectu aliorum est maximum, & primum, & à quo cætera omnia mandata pendent: sed tale est, dicto Christi, mandatum dilectionis, seu caritatis in Deum; ergo &c.

IV. Nec dicas. Propterea dici maximum, & primum mandatum; non quia sit speciale, & ab aliis distinctum, sed quia in omnibus includitur. Qui enim omnia præcepta Dei observat, implicitè, & interpretativè Deum diligit, juxta illud Christi, Joann. 14. v. 15. *Si diligitis me, mandata mea servate.* & cap. 15. v. 10. *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea.*

Sed contra. Præceptum caritatis in Deum includitur in aliis præceptis, sicut principium in conclusionibus, & sicut finis, ad quem alia præcepta ordinantur, juxta illud Pauli, 1. ad Timoth. 1. v. 5. *Finis præcepti est caritas:* sed aliud est id, quo dirigitur actus ad cognoscendas conclusiones, aliud, quo dirigitur ad cognoscenda principia: aliud, quod movet actum ad media, aliud, quod movet ad finem; ergo &c. Igitur observatio mandatorum Dei, & proximi est causa observantiæ aliorum mandatorum, juxta illud Joann. 14. v. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit.* v. 24. *Qui non diligit me, sermones meos non servat, & è contra.* v. 21. *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me.* Observantia ergo præcepti dilectionis Dei est causa observantiæ aliorum præceptorum; & non observantia istorum est signum non observantiæ illius: & hoc est esse maximum, & primum mandatum. Si enim quis aliorum mandatorum corticem servaverit, nec ea ex Dei amore servet; ea, ut oportet, minimè servat, quamvis servare videatur. Unde S. August. q. 54. in Deuteron. *Si forinsecus ea, quæ Deus jubet, manibus fiant, & in corde non fiant, nemo est tam insulsus, qui præcepta arbitretur impleri. Porro si caritas, quæ plenitudo est legis, habitet in corde, etiamsi manibus corporis quisquam non possit operari, pax illi est utique cum hominibus bonæ voluntatis.*

V. Probo secundò ex D. Thom. hìc 2. 2. *q.* 44. *a.* 1. Ubi est specialis ratio debiti, ibi est speciale præceptum, quia præceptum importat rationem debiti: sed actus caritatis in Deum dicit specialem rationem debiti; ergo &c. Min. prob. Specialis ratio debiti est, ut homo benè se habeat circa finem, eique per affectum uniatur: sed huic debito satisfieri non potest, nisi per caritatem, quæ sola immediatè conjungit nos Deo: cæteræ autem virtutes hanc conjunctionem non faciunt, sed ad eam ordinantur, sicut ad finem; ergo actus caritatis &c.

Confirm. ex eodem in arg. *Sed contra*, ibi. Quod Deus requirit à nobis, cadit sub præcepto: sed Deus requirit ab homine, ut diligat eum, Deuteron. 10. v. 12. *Quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus, & diligas eum?* ergo &c.

VI. Probo tertiò. Illud est speciale præ-

præceptum, & ab aliis distinctum, quod specialiter traditur; quo in specie præcipitur nobis aliquid, quod aliis mandatis non præcipitur; quod non cadit sub præceptis, quæ dantur de aliis virtutibus, & vi cujus, non autem vi aliorum, tenemur omnia ad Dei gloriam referre: sed præceptum dilectionis Dei specialiter traditur Deuteron. 6. v. 5. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota animâ tuâ, & ex tota fortitudine tuâ. Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo.* His verbis præcipitur dilectio Dei, quæ aliis præceptis non præcipitur; ut nempe toto corde feramur in Deum (ut ex D. Thom. hâc *q.* 44. *a.* 1.) quod aliis non præcipitur. Nam *modus dilectionis non cadit sub illis præceptis, quæ dantur de aliis actibus virtutum. Puta, sub hoc præcepto:* Honora patrem tuum, & matrem tuam, *non cadit, quòd hoc ex caritate fiat; cadit tamen actus dilectionis sub præceptis specialibus.* Tandem vi ejus, & non vi aliorum omnia in gloriam Dei referimus. Unde idem S. Thom. 1. 2. *q.* 100. *a.* 10. *ad* 2. ait: *Sic ergo qui honorat parentes, tenetur ex caritate honorare, non ex vi hujus præcepti, quod est:* Honora parentes: *sed ex vi hujus præcepti:* Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. *Et cum ista sint duo præcepta affirmativa, non obligantia ad semper, possunt pro diversis temporibus obligare: & ita potest contingere, quòd aliquis implens præceptum de honoratione parentum, non tunc transgrediatur præceptum de omissione modi caritatis.*

Ex quibus hæc etiam formatur ratio. Si præceptum caritatis non esset speciale, & distinctum ab aliis præceptis, quotiescumque obligaret aliquod aliud præceptum, obligaret etiam præceptum caritatis; nec posset stare adimpletio alicujus præcepti cum omissione modi caritatis: sed hoc est falsum, ut ex S. Thoma dictum est; ergo &c.

VII. Probo tandem. Si Deus speciale præceptum de caritate homini non imposuisset, sequeretur, Deum præcipuæ hominis potentiæ, nempe, voluntati legem in ordine ad finem supernaturalem nullam imposuisse; sed solùm de intellectu, & potentiis exterioribus curam habuisse: aliâ enim lege constringi nequit, quàm amoris, mali enim, aut boni sumus ex malo, aut bono amore. Ait enim S. August. Ep. 52. modò 155. ad Macedonium c. 4. *Mores autem nostri, non ex eo, quod quisque novit, sed ex eo, quod diligit, dijudicari solent. Nec faciunt bonos, vel malos mores, nisi boni, vel mali amores.* Sed hoc dici non debet; ergo &c.

VIII. Nec respondeas, quòd postquam aliquis per fidem credit, Deum esse summum bonum beatificans beatitudine supernaturali, non est specialis difficultas in voluntate ad diligendum illum: ideoque non requiritur nec specialis habitus, nec speciale præceptum — Nam hoc in primis esset cum Pelagio convenire: qui licèt tandem admiserit gratiam illustrationis in intellectu, negavit tamen gratiam inclinationis in voluntate. Deinde falsum asseritur. Quia etiam proposito Deo, ut summo bono beatifico, supersunt in voluntate inclinandâ graves difficultates; quæ superari non possunt, nisi caritas Dei diffundatur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum: & aliæ virtutes dentur, eam à turbinibus passionum purificantes, ut docet S. Thom. hâc *q.* 44. *a.* 1.

§. III.

Solutio Objectionum.

IX. Primò objicitur. Caritas est finis: *Finis enim præcepti est caritas*, 1. Timoth. 1. v. 5. *Et finis spiritualis vitæ est, ut homo uniatur Deo, quod fit per caritatem*, ut docet D. Th. hâc *q.* 44. *a.* 1. Atqui de fine non dantur præcepta, sed solùm de mediis ad finem: unde medicus non præcipit sani-

sanitatem, sed media ad illam: & visio Dei, quæ est finis, non cadit sub præcepto; ergo neque caritas.

Confirm. Præceptum est de iis, quæ habent mensuram a prudentia: sed caritas mensuram, & modum non habet sibi à prudentia infusâ præscriptum, ut docet S. Thom. 2. 2. *q.* 27. *a.* 6. ergo &c.

X. Respondeo, præcepta non dari de fine ultimo, benè tamen de actu, qui circa illum finem versatur; si iste actus non sit ipsa consequutio finis, sed medium ad finem consequendum necessarium. Quamvis ergo de visione beatificâ nullum detur præceptum, quia non potest habere rationem medii ad finem, cùm sit ipsa finis assecutio; sicut nec medicus possit de sanitate præcipere, quia non est medium, sed finis, ad quem medicus ordinat media: caritas tamen viæ, quia est perfectissimum medium ad ultimum finem assequendum, præcipi potest præcepto speciali: non quidem, ut habet rationem finis omnium præceptorum, sed ut habet rationem perfectissimi medii ad finem ultimum assequendum.

XI. Ad Confirm. dico ad minorem, quòd actus caritatis, quatenus liber est, habet modum impositum à prudentia, quæ dictat, quando, & quandiu oporteat diligere Deum: quantum autem oporteat Deum diligere, hoc est, quàm intensè, hoc non limitatur à prudentia nostrâ, sed à divina, quæ dividit singulis, prout vult.

XII. Objicitur secundò. Caritas, quæ in cordibus nostris diffunditur, facit nos liberos, quia *Ubi spiritus Domini, ibi libertas*, 2. Cor. 3. v. 17. sed obligatio, quæ ex præceptis nascitur, libertati opponitur, quia necessitatem imponit; ergo de caritate non sunt danda præcepta.

Respondet S. Thom. hâc q. 44. a. 1. ad 2. *Quòd obligatio præcepti non opponitur libertati, nisi in eo, cujus mens aversa est ab eo, quod præcipitur; sicut patet in his, qui ex solo timore præcepta custodiunt: sed præceptum dilectionis non potest impleri, nisi propriâ voluntate. Et ideo libertati non repugnat.*

XIII. Objicitur tertiò. Cùm præceptum de dilectione Dei sit maximum inter præcepta, si esset speciale præceptum, debuisset poni inter præcepta Decalogi, quæ sunt præcipua: sed inter hæc non ponitur; ergo non est &c.

Respondet idem S. Thom. citatus ad 3. *Quòd omnia præcepta Decalogi ordinantur ad dilectionem Dei, & proximi: & ideo præcepta caritatis non fuerunt connumeranda inter præcepta Decalogi, sed in omnibus includuntur:* videlicet, sicut principia in conclusionibus, non quia non sint specialia præcepta. Quare cùm Dominus dicit, Joann. 14. v. 15. *Si diligitis me, mandata mea servate:* & c. 15. v. 10. *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea;* non indicat, præceptum dilectionis Dei non esse speciale præceptum, & distinctum ab aliis mandatis: sed exprimit necessariam connexionem, quam habet dilectio Dei cum observatione mandatorum.

XIV. Objicitur quartò. De dilectione Dei auctoris naturæ non est speciale præceptum; ergo nec de dilectione Dei auctoris gratiæ. Conf. videtur sequi à pari. Ant. autem prob. Tùm quia: valdè probabile est, quòd dilectio Dei naturalis non sit specialis virtus; virtus enim ponitur ad tollendam difficultatem: sed cognito Deo, ut summè bono, non est specialis difficultas in voluntate, ut ei per affectum conjungatur, sed tota est in exercitio mediorum; ergo ponendæ quidem sunt virtutes in aliis potentiis, sed non in voluntate. Hinc Apostolus ad *Rom.* 1. vehementer reprehendit Philosophos Gentiles, qui cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, idest, non ut Deum coluerunt. Ergo præceptum dilectionis naturalis Dei non est speciale, nec distinctum à præcepto eum colendi, & à virtute Religionis. Et hâc ratione inter præcepta Decalogi, quæ sunt naturalia, non est positum præ-

præceptum de dilectione, sed de cultu divino.

XV. Huic objectioni Mag. Bannez in hâc *q.* 44. *a.* 1. *Dub.* 1. *Concl.* 2. dat manus victas; & propter adductas rationes concedit antecedens, tanquam probabiliter verum. Et quidem in præsenti statu naturæ aversæ à Deo per peccatum, in quo, ut diximus (*Tom.* 3. *in* 1. 2. *Qu.* 1. *de Necessit. Grat. Dub.* 6. §. 3.) non potest diligi Deus auctor naturæ, quin diligatur etiam auctor gratiæ; cùm non possit homo esse conversus ad Deum auctorem naturæ, & aversus à Deo auctore gratiæ: admitti posse videretur, non dari specialem virtutem, & speciale præceptum diligendi Deum auctorem naturæ, à virtute, & præcepto diligendi Deum auctorem gratiæ. Sed hoc esset per accidens, & ratione status.

XVI. Verùm, per se loquendo, & etiam in statu puræ naturæ, existimo probabilius esse, admittere speciale præceptum diligendi Deum auctorem naturæ, & specialem virtutem distinctam à virtute Religionis. Nam sicut cognito Deo, ut summo bono, requiritur speciale præceptum, & specialis virtus ad illum colendum, quia potest esse specialis difficultas: eâdem ratione admitti debebit ad ipsum amandum, propter conversionem ad bonum sensibile, quæ esset etiam, saltem aliquando, in statu naturæ puræ: ad quam superandam, sicut admittenda est in voluntate virtus Religionis ad Deum colendum, ita & virtus ad eum diligendum. Apostolus autem, dum reprehendit Philosophos, qui, cùm Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt; non excludit, imò supponit præceptum de Deo amando, cùm Dei cultus supponat Dei amorem: non enim colitur, qui non amatur. Ideoque inter præcepta Decalogi non ponitur amor Dei, non quia non sit speciale præceptum de illo: sed quia ex illo omnium præceptorum observantia derivatur, & ad eum ordinatur.

XVII. Objicitur quintò S. Bernardus, qui, *Serm.* 50. *in Cantica*, dicit: *Est caritas in actu, est & in affectu. Et de illa quidem, quæ operis est, puto, datam esse legem hominibus, mandatumque formatum. Nam in affectu, quis ita habeat, ut mandatur?* Ergo S. Bernardus amorem internum, quem vocat in affectu, non esse præceptum dicit præcepto speciali distincto à præcepto operis, quem vocat caritatem in actu.

Respondeo, neg. conf. Non enim D. Bernardus ita vult, esse præceptam caritatem operis, ut in solo opere caritatis ponat præceptum: ita ut interior caritas nullo modo homini in hac vitâ præcipiatur; cùm potiùs exterior actus ex interna, & affectivâ caritate debeat promoveri; sed solùm vult, præceptum de caritate viæ non esse de caritate purè affectivâ, & internâ, qualis erit in Patriâ, sed de caritate, quæ exeat in opus: quæ mereatur caritatem purè internam in Patria. Unde subdit: *Ergo illa* (caritas operis) *mandatur ad meritum, ista* (caritas purè affectiva) *in præmium datur.*

§. IV.

Quando Urgeat Obligatio Præcepti Dilectionis Dei.

XVIII. Ex dictis infertur, per se peccare hominem, qui nullo unquam vitæ suæ tempore internum caritatis actum eliciat: ideoque actum internum dilectionis Dei esse necessarium ad salutem. Quia verò actus aliquis potest esse necessarius, aut necessitate *medii*, aut necessitate *præcepti*; aut *per se*, idest, independenter ab aliorum præceptorum observatione, aut *per accidens*; ita ut sinè illo non possint alia præcepta observari, & ejus observantia ab observantia præceptorum sit indistincta:

XIX. Propterea dico primò. Actus internus expressus, & positivus dilectionis

ctionis Dei per se est necessarius necessitate medii ad salutem; ita ut non sufficiat, Deum solùm habitualiter diligere, vel eum odio non habere.

Constat. Nam, ex dictis, datur præceptum speciale, & expressum de dilectione Dei: sed præcepta dantur de actibus non de habitibus: dum enim præcipitur restitutio rei alienæ, largitio eleemosynæ pauperi, honor parentibus, non præcipitur, ut homo sit dispositus ad tales actus: sed ut actu restituat, ut actu largiatur eleemosynam, ut actu honoret parentes in debitis circumstantiis; ergo pariter dum præcipitur dilectio Dei, præcipitur actus expressus, non habitus.

XX. Confirmatur. Nam hoc exprimunt verba præcepti: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde &c.* Ly enim *diliges* significat actum: sicut dum dicitur, Exodi 20. v. 12. *Honora patrem tuum &c.* ly *honora* exprimit actum honoris, & obsequii.

Rursus: in eodem sensu, quo prohibetur cupiditas sui, præcipitur caritas Dei: sed cupiditas, quæ prohibetur, est actus; ergo caritas, quæ præcipitur, est actus. Unde Augustinus, *l. 3. de Doctr. Christ. c. 10.* Eodem modo de caritate loquitur, ac de cupiditate, dicens: *Caritatem voco motum animi ad fruendum Deo, propter ipsum, & se, atque proximo propter Deum. Cupiditatem autem motum animi ad fruendum se, & proximo, & quolibet corpore, non propter Deum.*

XXI. Neque dicas, S. Thom. hìc *q. 44. a. 6. ad 2.* videri indicare, quòd ad implendum caritatis præceptum satis sit, ut nihil contra ipsum admittatur, sive per odium Dei, sive per infractionem aliorum præceptorum: ait enim: *Sicut miles, qui legitimè pugnat, licèt non vincat, non culpatur, nec pœnam meretur: ita etiam qui in via hoc præceptum non implet, nihil contra divinam dilectionem agens, non peccat mortaliter.* — Nam S. Doct. non loquitur de eo, qui nullum actum dilectionis nec imperfectum facit; sed de eo, qui nullum actum perfectum facit, & proinde non implet præceptum perfectè, uniendo se perfectè cùm Deo; quod in hac vita vix fieri potest: is enim, si faciat, quantum potest, non peccat mortaliter, ut *Dub. sequente* dicetur.

XXII. Ex dictis eruitur: quòd qui nullum caritatis actum eliceret, salutem consequi non posset. Is enim omitteret observantiam maximi, & primi mandati. Unde cùm, *Lucæ 10.* quidam Legis peritus à Christo peteret, quid sibi faciendum esset, ut vitam æternam possideret; respondit ei Jesus, necessarium esse, ut maximum, & primum mandatum legis de dilectione Dei observaret, interrogans eum: *In lege quid scriptum est?* Et respondente illo: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c.* Jesus hoc approbans, v. 28. *Dixit illi: Rectè respondisti. Hoc fac, & vives.* Meritò igitur ab Alexandro VIII. 24. Aug. 1690. proscripta fuit opinio dicentium, quòd homo *non tenetur amare* Deum, *neque in principio, neque in decursu vitæ suæ moralis.*

XXIII. Statuto igitur, hominem ad actum dilectionis ex præcepto obligari; cùm hoc præceptum, utpote affirmativum, non obliget ad semper, quæritur: quando, & quibus in circumstantiis urgeat ejus obligatio. Et quidem hanc obligationem obligare sæpiùs in vita, certum est, contra Auctores supra §. 1. recensitos, & damnatos: & hoc aliquando per se, aliquando per accidens. Videtur enim expressum, *Deuteron. 6.* ubi intimato, *v. 5.* dilectionis præcepto: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota animâ tuâ &c.* statim subjungitur: *Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo. Et narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens, & ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque, & movebuntur inter oculos tuos &c.* Si autem caritatis præceptum semel,

ſemel, vel perrarò in vita obligaret; cur juſſiſſet, ut ſemper præ manibus, præ oculis, in mente, in omni opere retineretur?

XXIV. Probatur deinde. Impoſſibile eſt, quòd homo diu vivat, quin aliquem totius vitæ ſuæ ultimum finem ſibi conſtituat, & ad eum tendat; ergo ſi homines, etiam juſti, ab actibus caritatis in Deum diu temperent, alium à Deo ultimum finem ſuæ vitæ conſtituent; ac ſeſe terrenarum rerum amoribus mortaliter implicabunt: qui tandem ita augebunt concupiſcentiæ æſtuantis impetum, ut validior factus caritatem habitualem opprimat, impediatque, ne anima piis affectibus ad Deum conſcendat. Cum ergo iſta mala homo impedire teneatur, tenetur frequenter per amorem in Deum ſeſe erigere, & contrarios terrenorum amores præfocare. Ita S. Auguſt. in Pſal. 121. *Habet omnie amor vim ſuam, nec poteſt vacare amor in anima amantis: neceſſe eſt ducat. Sed vis noſſe, qualis amor ſit? Vide quò ducat. Non ergo monemus, ut nihil ametis: ſed monemur, ne mundum ametis; ut eum, qui fecit mundum, liberè ametis. Obligata enim anima amore terreno, quaſi viſcum habet in pennis, volare non poteſt. Mundata verò ab affectibus ſordidiſſimis ſeculi tanquam extenſis pennis, & duabus alis reſolutis ab omni impedimento, ideſt, duobus præceptis dilectionis Dei, & dilectionis proximi, volat. Quò, niſi ad Deum aſcendens volando, quia aſcendit amando?*

XXV. Quænam autem ſint tempora, quibus præceptum actus caritatis in Deum nos obliget, non eſt facile determinare. Aliquando obligat per ſe, aliquando per accidens.

Per ſe primò obligat quemlibet adultum, cùm ad uſum rationis pervenerit. Ita S. Thom. 1. 2. *q.* 89. *a.* 6. *ad* 3. De quo nos fusè egimus, *Tom.* 2. *in* 1. 2. *Tract. de Peccatis*, *Qu.* 3. *de Peccato veniali, & mortali*, *Dub.* 5. §. 2.

Secundò. Per ſe obligat præceptum actus caritatis in morali periculo vitæ. Tunc enim homo tenetur ſaluti ſuæ citò, & tutò conſulere: tutiùs autem id facere non poteſt, nec citiùs, quàm ſe ad Deum per amorem ſuper omnia erigendo.

Tertiò. Per ſe obligat præceptum actus caritatis in Deum ſuper omnia, non ſemel in anno, ſed frequenter infra annum. Ita tutiùs, & probabiliùs. Præceptum enim maximum, & primum, latum cum tanta ex parte Dei cautione, quod, ut ex *Deuteron. cap.* 6. ſuperius allato, hominum oculis, & cordibus, ſemper obverſari, ac inſertum eſſe debet; non poteſt ſinè piaculo per longum tempus negligi. Imò ingratum ſe exhiberet homo, qui cùm continuis à Deo beneficiis cumuletur, diu ſtaret, quin ad ſuum benefactorem per amorem ſeſe converteret.

XXVI. Per accidens autem obligat præceptum actus caritatis, ratione aliorum præceptorum, quæ ſervanda occurrunt.

Et quidem primò. Per accidens obligat, cum quis extra Sacramentum vult pœnitere, ut oportet, ad juſtificationem. An verò obliget cum vult juſtificari in Sacramento Baptiſmi, vel pœnitentiæ, ſuo loco, negativæ parti adhærebimus.

Secundò. Per accidens obligare cenſent aliqui actum caritatis, ſaltem inchoatæ, & quæ non ſit ſuper omnia, quotiès eſt neceſſarius ad exercitium alicujus virtutis, cujus actus præcipitur. Puta, cum quis accingit ſe ad horas Canonicas recitandas, ad audiendum Sacrum, ad quæ tenetur: cùm ad Eucariſtiam, quæ eſt Sacramentum caritatis accedit (imò ad hanc actum perfectæ caritatis requiri cenſerem). Rationem adducunt. Quia actus Religionis ſunt quædam cultus ſpecies: cultus autem ſincerus non eſt, niſi ex caritate in Deum, ſaltem inchoatâ, procedat, juxta illud Auguſtini, lib. 12. de Trinit. cap. 14. *Quis cultus ejus, niſi amor ejus?* Et Epiſt.

110. modò 140. ad Honoratum c. 18. *Pietas cultus Dei est, nec colitur illè nisi amando*.

Tertiò. Præceptum caritatis obligat per accidens, cùm quis de Dei odio tentatur. Communis enim Doctorum sententia est, urgenti de aliquo vitio tentationi opponendum esse actum virtutis contrariæ.

Tandem. Per accidens obligat præceptum actus caritatis, cum Deum blasphemiis, aut aliquo gravi scelere offendi deprehendimus. Tunc enim quantùm in nobis est, resarcire debemus injuriam, quæ Deo infertur: non est autem via melior, quâ Dei honorem reparemus, quàm illi cultum, amoremque exhibendo.

XXVII. Porrò: ut omnis scrupulus, & anxietas à piorum animis amoveatur: multi enim sunt viri, cæteroquin pii, qui diu vivunt, absque eo quòd actum aliquem caritatis eliciant: imò ex hac vitâ exeunt, absque eo quòd dicant: *Domine, diligo te super omnia*: qui tamen censendi non sunt per hoc lethaliter peccare.

XXVIII. Propterea adverto primò: Actum amoris non esse positum in externo horum verborum sono: *Diligo te super omnia*. Multæ enim sunt matres, quæ ardentissimè filios suos amant, quibus fortè nunquam venit in mentem ejusmodi verbis testari amorem suum.

Adverto secundò: Amorem non esse positum in cognitione. Nam cognitio actus intellectus est; amor verò actus voluntatis: unde potest elici actus amoris absque eo, quòd amans expressè advertat se amare. Quod in matre videre est, quæ ex amore erga filium solicitè eum curat ægrotum, quamvis ei non veniat in mentem, quòd filium actu amet. Amor enim est quoddam pondus, seu quidam voluntatis motus in rem amatam: *Caritatem voco animi motum ad fruendum Deo, propter ipsum &c.* (inquit August. supra laudatus, *lib. 3. de Doctr. Christ. cap. 10.*) Quemadmodum autem peccator cupiditate mundi sæpè movetur, etiamsi actu non advertat: ita homo pius, etiamsi non advertat, sæpè movetur in Deum. puta, cum diebus festis Sacris interesse studet in Dei reverentiam: cùm Eucharistiâ se reficit, ut arctius ei se conjungat, in vitæ exitu ad Deum suspirat: hi omnes latentes caritatis motus sunt. Optimum tamen consilium est, in cujuslibet diei initio statuere, omnia opera sua propter Dei gloriam, & amorem facere se velle.

DUBIUM II.

An hoc Præceptum Dilectionis Dei in hac Via possit impleri?

§. I.

Resolutio Dubii.

I. Dico. Homo in hac vitâ gratiâ, & auxilio Dei potest adimplere præceptum dilectionis Dei; ita ut præstet totum, quod à nobis Deus per illud exigit. Est contra Lutherum, qui in *lib. de Libert. Christianâ*, & alibi asseruit, præceptum dilectionis Dei non posse adimpleri in hac vitâ. Putabat enim concupiscentiæ motum, quæ in omnibus baptizatis, & Justis manet, formaliter esse peccatum prohibitum præcepto illo: *Non concupisces*: ac proinde propter hujusmodi rebellionem carnis ad spiritum non posse hominem toto mentis conatu in Deum ferri: quin potiùs in omni opere, quantumvis bono, hominem peccare ex omissione præcepti dilectionis Dei. Concupiscentiam non esse formaliter peccatum, ostendimus, *Tom. 6. in 1. p. q. 8. de Pecc. Orig. Dub. 2.*

II. Assertio hæc de fide traditur à S. Tho. hâc *q. 44. a. 6.* ubi hæc habet: *Præceptum aliquod dupliciter potest impleri. Uno modo perfectè: alio modo imperfectè. Perfectè quidem impletur præceptum, quando pervenitur ad finem, quem*

quem intendit præcipiens. Impletur autem, sed imperfectè, quando, etsi non pertingat ad finem præcipientis, non tamen receditur ab ordine ad finem. Sicut si Dux exercitus præcipiat militibus, ut pugnent; ille perfectè implet præceptum, qui pugnando hostem vincit, quod dux intendit: ille autem implet, sed imperfectè, cujus pugna ad victoriam non pertingit, non tamen contra militarem disciplinam agit. Intendit autem Deus per hoc præceptum, ut homo sibi totaliter uniatur, quod fiet in Patria, quando Deus erit omnia in omnibus, *ut dicitur*, 1. *ad Cor.* 15. *Et ideo plenè, & perfectè in Patria implebitur hoc præceptum; in via autem impletur, sed imperfectè. Et tamen in via tantò unus alio perfectiùs implet, quantò magis accedit per quandam similitudinem ad Patriæ perfectionem.* Hæc S. Thomas. Mirâ, sed solitâ sibi claritate explicans, posse hoc præceptum in hac vitâ impleri, & modum, quo impleri potest, describens.

III. Posse impleri præceptum dilectionis in hac vitâ supponit Scriptura, *Deuter.* 6. Ubi postquam tradidit Deus præceptum dilectionis sui, præcipit (ut superiùs vidimus) quod illud semper habeat in corde, semper meditetur, habeat in manibus, & sub oculis, ut illud doceat filios suos &c. Cur autem hæc, si est observatu impossibile? Ibidem c. 13. v. 3. *Tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non, in toto corde, & in tota animâ vestrâ.* Quid autem tentaret, si sciret hoc esse impossibile? Et c. 30. post hortatum populum, ut diligat Deum, & revertatur ad eum in toto corde, & in tota animâ suâ; additur v. 11. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum: nec in Cœlo situm, ut possis dicere: Quis nostrum valet ad Cœlum ascendere, ut deferat illud ad nos, & audiamus, atque opere compleamus? &c.* Præceptum igitur diligendi Deum, nobis gratiâ Dei, quæ præstò est, adjutis observatu facile est. Unde ibi v. 19. subjungitur: *Elige ergo vitam, ut & tu vivas, & semen tuum, ut diligas Dominum Deum tuum.*

IV. In novo etiam Testamento, Christus *Luca* 10. Legisperito interroganti: *Quid faciendo vitam æternam possidebo?* Respondit: *In lege quid scriptum est?* & iterum dicente illo: *Diliges Dominum Deum tuum &c.* dixit Christus: *Hoc fac, & vives.* Non dixisset autem, si esset impossibile hoc facere: vel saltem Legisperitus, qui venerat tentans eum dixisset, quomodo vis, ut faciam, si hoc est impossibile? Rursus: 1. Joann. 5. v. 3. *Hæc est enim caritas Dei, ut mandata ejus custodiamus, & mandata ejus gravia non sunt.* Unde, *Matth.* 11. *v.* 30. Christus ipse hortans omnes, ut tollant jugum suum, dixit: *Jugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Non esset autem leve, quod nemo portare posset.

V. Probo specialiter contra Lutherum, quòd Justi impleant præceptum dilectionis Dei. Nullus est verè, & propriè Justus, qui non implet præceptum de dilectione Dei, & proximi: 1. Joann. 3. v. 14. *Qui non diligit manet in morte.* 1. Cor. 16. v. 22. *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema.* Ut enim dicitur Rom. 13. v. 10. *Plenitudo legis est dilectio.* Et 1. ad Tim. 1. v. 5. *Finis autem præcepti est caritas.* Sed Scriptura testatur, aliquos homines fuisse justos, & perfectos in hac vita: nam Genes. 6. v. 9. *Noe vir justus, atque perfectus fuit:* Parentes S. Joannis Baptistæ, Lucæ 1. v. 6. *Erant Justi ambo apud Deum:* 1. Jo. 3. v. 7. *Filioli nemo vos seducat. Qui facit justitiam Justus est: sicut & ille* (Christus) *justus est.* Paulus aliquos perfectos agnoscit *ad Philipp.* 3. *v.* 15. Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus. Imò in aliquibus caritatem esse perfectam, testatur S. Joan. Ep. 1. c. 2. v. 5. *Qui servat verbum ejus, verè in hoc caritas Dei perfecta est.*

Pp 2

est. Et c. 4. v. 12. *Si diligimus invicem, Deus in nobis manet, & Caritas ejus in nobis perfecta est.*

VI. Probo insuper. In Scriptura multi dicuntur implevisse hoc mandatum; ergo revera in hac vitâ potest impleri. Ant. prob. 3. *Reg. c.* 14. *v.* 8. de Davide dicit Dominus Jeroboam: *Non fuisti sicut servus meus David, qui custodivit mandata mea, & secutus est me in toto corde suo, faciens quod placitum esset in conspectu meo.* David etiam de se ipso, Psal. 118. v. 10. *In toto corde meo exquisivi te:* item v. 168. *Servavi mandata tua, & testimonia tua.* Idem dicit Ezechias de se ipso 3. *Reg.* 20. *v.* 3. & *c.* 23. *v.* 25. de Josia dicitur: *Similis illi non fuit ante eum Rex, qui reverteretur ad Dominum in omni corde suo, & in tota animâ suâ, & in universa virtute suâ juxta omnem legem Moysi.*

VII. Hanc veritatem prædicarunt patres, inter quos S. Augustinus, *l. de Natura, & Gratiâ c.* 43. ubi ait: *Non igitur Deus impossibilia jubet; sed jubendo admonet, & facere quod possis, & petere quod non possis.* E c. 69. de præcepto dilectionis loquens, ait: *Quomodo est enim grave, cùm sit dilectionis mandatum? Aut enim quisque non diligit; & ideo grave est: aut diligit; & grave esse non potest. Diligit autem, si quod illic admonetur Israel* (Deuter. 30. v. 14.) *conversus fuerit ad dominum Deum suum ex toto corde suo, & ex tota animâ suâ.* Item Psal. 56. *Neque imperaret, hoc Deus, ut faceremus, si impossibile judicaret, ut hoc ab homine fieret.* Quam doctrinam confirmavit Trident. *Sess.* 6. *cap.* 11. & sub anathemate sanxit, *Canon.* 18. his verbis: *Si quis dixerit, Dei præcepta homini, etiam justificato, & sub gratia constituto, esse ad observandum impossibilia; anathema sit.*

§. II.

Sectariorum Fundamenta.

VIII. Primò objiciunt. Nullus est in hac vitâ mortali, qui diligat Deum ex toto corde suo, ex tota animâ suâ; idest, qui adeo intendat omnes vires suas in diligendo Deum, quin possit eum amplius diligere: & tamen hoc Deus à nobis exigit hoc præcepto; ergo &c.

IX. Respondeo, neg. min. Dupliciter ergo potest intelligi ly *Diliges Deum ex toto corde tuo.* Uno modo, ut semper viribus adeo intensis eum diligamus, quantùm est à nobis diligibilis, sic, ut non possimus eum intensiùs diligere: & hoc modo non præcipimur, diligere Deum in hac vitâ, sed pertinet ad perfectionem caritatis Patriæ. Alio modo, ut *toto corde* Deum diligere idem reddat; ut præcipuum studium in Deo diligendo ponamus, Deum omnibus præferendo. Quo sensu, 2. *Reg.* 15. *v.* 13 dicitur: *Toto corde universus Israel sequitur Absalom.* Et Gen. 31. v. 6. *Nostis, quod totis viribus meis servierim patri vestro.* Et dici solet, iste est totus in studiis. Et hoc modo præcipimur, Deum in hac vitâ diligere: ut Deum diligamus præcipuo amore nihil ei præferendo, aut ei æquando, & parati simus contemnere quidquid ejus amicitiæ repugnat, & præstare quidquid ejus amicitia postulat. Qui enim Deo aliquid anteponit, non Deum, sed illud potius ex toto corde diligit: qui autem Deo aliquid exæquat, Deum ex dimidio, non ex toto corde diligit. Ita S. Thom. 2. 2. *q.* 24. *a.* 8. & *Q. un. de Carit. a.* 10. *ad* 4. ubi ait: *Est autem de ratione caritatis, ut Deus super omnia diligatur, & ut nullum creatum ei præferatur in amore.*

X. Secundò objiciunt. Quantumcumque homo sit justus, non vivit absque peccatis saltem venialibus: sed dum

dum hæc committit, non diligit Deum ex toto corde; ergo &c.

Respondeo ex D. Tho. hâc 2. 2. qu. 44. a. 4. ad 2. *Quòd dupliciter contingit ex toto corde Deum diligere. Uno quidem modo in actu, idest, ut totum cor hominis semper actualiter in Deum feratur: & ista est perfectio Patriæ. Alio modo, ut habitualiter totum cor hominis in Deum feratur; ita scilicet, quòd nihil contra Dei dilectionem homo recipiat: & hæc est perfectio viæ, cui non contrariatur peccatum veniale: quia non tollit habitum caritatis, cùm non tendat in oppositum objectum, sed solùm impedit caritatis usum.* Hæc S. Thom. Unde solùm sequitur, quòd qui peccat venialiter, actu Deum non diligat, nimirum, illo actu, quo peccat; non tamen, quòd habitualiter Deum pro ultimo fine toto corde non retineat.

XI. Tertiò objiciunt. In hac vitâ concupiscentia semper repugnat spiritui, *Galat.* 5. *v.* 17. ergo nunquam omnes animæ vires Deo serviunt.

Respondeo. neg. conf. Estò enim concupiscentia semper repugnet spiritui, non tamen semper vincit spiritum; sed gratiâ Dei adjuvante sæpè vincitur à spiritu: vires autem animæ subjectæ spiritui possunt toto studio Deum diligere. Unde Paulus ibidem enumerans fructus, seu effectus Spiritus. *v.* 22. dicit: *Fructus autem Spiritus est: caritas, gaudium &c.* Quamvis autem vires animæ non semper actu ferantur toto studio in Deum, sufficit quòd aliquando: præceptum enim hoc, quia affirmativum, non obligat ad semper, neque ut totâ possibili intensione ad ipsum feramur, sed ut ipsum pluŝquàm cætera omnia diligamus.

XII. Quartò. Objiciunt Augustinum. *l. de Perfect. Justitiæ c.* 8. dicentem de perfectione caritatis: *Cur ergo non præciperetur ista perfectio, quamvis eam in hac vitâ nemo habeat?* — Et Bernardum, *Serm.* 50. *in Cantic.* ubi de præcepto caritatis, postquam dixit: *Quod minimè in vita istâ ab aliquo hominum possit, vel potuerit adimpleri,* concludit: *Ergo mandando impossibilia, non prævaricatores homines facit, sed humiles*; ergo dilectio Dei super omnia, quamvis impossibilis in hac vitâ, potuit à Deo præcipi.

XIII. Respondeo, dist. conf. Præcipi, ut medium nos ducens ad finem, con. conseq. Ut est finis, ad quem tendimus, quo pacto in hac vitâ est impossibilis, nego conf. Præceptum dilectionis potest dupliciter intelligi. Vel ita, ut jubeat id, quod faciendum est, tanquam medium ad finem; quod est diligendo Deum super omnia, tendere ad finem, nempe, ad consummatam unionem cum Deo: vel ita, ut jubeat finem, qui est actu, & semper uniri Deo. Sicut dum Dux præcipit militi; *Pugna adversus hostem*, solum ei præcipit id, quod faciendum est, ut medium ad victoriam: cùm verò dicit: *Vince hostem*, simul jubet finem, propter quem pugnare debet. Priori modo transgressor præcepti est, qui non facit totum, quod præcipitur, non autem si non facit posteriori modo: quia præceptum propriè non obligat quatenus indicat finem, sed quatenus præcipit medium. Sic miles in casu dicto peccat, si non pugnet; non autem si non vincat, modò viriliter pugnando ad hoc conatus sit.

In hoc sensu loquuntur SS. Augustinus, & Bernardus. Dicit enim Augustinus (citato loco) proponi, & præcipi nobis caritatis perfectionem, non ut eam hìc impleamus; sed ut ad eam tandem aquirendum conemur: *Non enim rectè curritur, si quò currendum est nesciatur. Quomodo autem sciretur, si nullis præceptis ostenderetur? Sic ergo curramus, ut comprehendamus.* Et l. de Spirit. & litt. c. 36. *Neque enim* (inquit) *si esse nondum potest tanta dilectio Dei, quanta illi cognitione plena, perfectaque debetur, jam culpa deputandum est. Aliud est enim, totam nondum assequi caritatem, alind nullam sequi cupiditatem. Quamobrem debet homo quamvis longè minus amet Deum, quàm*

eum

eum potest amare conspectum, nihil tamen appetere illicitum: sicut etiam in iis, quæ adjacent sensibus corporis, potest oculus nullis tenebris delectari, quamvis non possit in fulgentissima luce defigi.

S. autem Bernardus idem sentire demonstrant verba præcedentia; ait enim: *Nec latuit præceptorem, præcepti pondus hominum excedere vires; sed judicavit utile, ex hoc ipso sua illos insufficientia admoneri; & ut scirent sanè, ad quem justitia finem niti pro viribus oporteret; ergo mandando impossibilia, non prævaricatores homines fecit, sed humiles.* Quapropter neuter istorum Patrum negat, præceptum dilectionis posse in hac vitâ impleri, sed solùm negat posse hic impleri ea perfectione, quâ implebitur in Patria.

Hoc mirè expressit S. Thom. in 3. *dist.* 27. *q.* 3. *a.* 4. his verbis: *Duplex totalitas in dilectione Dei attenditur. Una, quâ nihil deerit de his, quæ homo potest expendere in amorem Dei, quin in dilectione ponat. Et hæc quidem perfectio, seu totalitas non præcipitur, ut facienda, sed magis ostenditur; ut sciatur, quò perveniendum est, ut dicit Augustinus. Et propter hanc perfectionem, seu totalitatem excluditur omne, quod etiam ad tempus actum dilectionis interrumpere posset. Alia secundùm quam nihil homo subtrahit de his, quæ debet ponere secundùm tempus illud in amore Dei. Et hæc perfectio, seu totalitas ponitur in præcepto etiam, ut nunc implenda; ut scilicet nihil omittat eorum, quæ ponere debet in amore Dei. Et hæc totalitas excludit omne illud, quod est contrarium, & repugnans dilectioni divinæ; non autem illud, quod ad tempus actum dilectionis intercipit: quia semper agere secundùm actum virtutis, non est nisi eorum, qui sunt in statu beatitudinis. Quia perfectio felicis est in operatione, perfectio virtutis est in habitu.*

XIV. Objiciebat Lutherus locum ex 2. ad Cor. 3. v. 5. *Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Et illud ad Philipp. 2. v. 13. *Deus est enim, qui operatur in vobis, & velle, & perficere.* Et D. August. *L. de Grat. & lib. Arb. c. 6.* ubi ait: *Si ergo Dei dona sunt merita tua, non Deus coronat merita tua tanquam merita tua, sed tanquam dona sua.* Ex quibus inferebat, quòd etsi Deus præceptum dilectionis nobis imponat, nos tamen illud servare non possumus; sed Deus solus est, qui illud implet in nobis.

XV. Ita insaniebat miser ille homo, non advertens, quòd si præceptum de actibus nostris est; ergo nos per actus nostros debemus illud implere, quamvis actus nostri sint etiam ex ipso, & dona sua, quia nonnisi ipso adjuvante per gratiam suam facimus. Hinc Paulus, 1. ad Cor. 15. v. 10. *Gratiâ Dei* (inquit) *sum id, quod sum: & gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantiùs illis omnibus laboravi; non ego, sed gratia Dei mecum.* Quasi diceret: laboravi abundantiùs illis, sed non à me ipso, & propriis viribus, sed Dei gratuito auxilio. Nos ergo sumus, qui nostris actibus, nostrâ solicitudine implere præcepta possumus, & debemus currere ad bravium: sed hoc ipsum, quod facimus, donum Dei est. Sed de his alibi diximus.

DUBIUM III.

An Ordo Caritatis cadat sub Præcepto, & qualis sit iste Ordo?

§. I.

Resolutio Prioris Partis.

I. DIco. Ordo caritatis est in præcepto: idest, non solùm nobis præceptum est, ut diligamus Deum, creaturas &c. sed ut in diligendo, ordinem servemus. Ita S.Th. 2. 2. *q.* 44 *a.* 8. & *q.* 26. *a.* 1. In 3. *dist.* 29. *a.* 1. & alibi. Et prob. Tùm ex illo *Cant.* 2. *v.* 14. ubi Ecclesia

clesia sub figura sponsæ Deum laudat, quòd in ea caritatem ordinaverit: *Ordinavit* (inquit) *in me caritatem*. Tùm ex S. Aug. *l. 1. de Doctr. Christ. c. 27.* ubi ait: Ille *autem justè, & sanctè vivit, qui rerum integer æstimator est; ipse est autem, qui ordinatam dilectionem habet: ne aut diligat, quod non est diligendum, aut non diligat, quod est diligendum, aut ampliùs diligat, quod minùs est diligendum, aut æquè diligat, quod vel minùs, vel ampliùs diligendum est, aut minùs, vel ampliùs, quod æquè diligendum est*.

II. Probatur autem ratione S. Th. hìc *q. 44. a. 8.* Modus, qui pertinet ad rationem actus virtuosi, cadit sub præcepto, quod datur de actu virtutis; quâ ratione modus diligendi Deum ex toto corde, quia ad rationem propriam actus caritatis pertinet, cadit sub præcepto caritatis, ut diximus: sed etiam modus ordinatè diligendi pertinet ad rationem virtutis caritatis; ergo &c. Min prob. Ad rationem propriam virtutis caritatis pertinet, quòd dilectio proportionetur diligibili; nimirum, ut non omnia eodem modo, vel æqualiter diligat, sed eo modo, & ordine, quo sunt diligibilia. Qui enim plùs diligeret, quod minùs diligibile est, aut minùs, quod est magis diligibile, aut æquè, quod est plus, vel minùs, vel plus, vel minùs quod est æquè diligibile, non diligeret secundùm virtutis caritatis modum; ergo cùm inter diligibilia per caritatem sit ordo prioris, & posterioris; nam Deus est diligibilis, ut principium, & causa beatitudinis, alia autem sunt diligibilia, ut ea, quæ nobiscum communicant in beatitudine; & inter ista rursus aliquis est ordo: non debemus Deum, & alia à Deo, neque ista inter se æquali dilectione, sed ordinatâ, secundùm cujusque diligibilitatem, diligere.

Unde (inquit S. Thom. in 3. dist. 29. a. 1. in c.) *cùm in hoc contingat esse magnam diversitatem, & gradus diversos, secundùm quòd unum est altero melius, vel magis propinquum; oportet, quòd etiam actus dilectionis ordinem habeat ad hoc, quòd sit virtuosus*. Et ibidem ad 5. *Ex hoc ergo ipso, quòd alterum, quod est minùs diligendum, æquiparo in dilectione ei, quod diligendum est magis; non totum dilectionis, quod debeo, impendo ei, quod magis diligendum est: & similiter etiam patet in aliis. Unde caritatis ordo est in præcepto, & peccat, qui præposterè agit*.

III. Ordo autem iste, qui est in caritate servandus, debet esse non solùm affectus, sed etiam operis; ut non solùm, id quod secundùm caritatis ordinem magis est à nobis diligibile, vel secundùm se, vel attentis circumstantiis, plùs secundùm affectum diligamus: sed etiam plùs propter illud, vel pro illo faciamus. Unde ex quo maximum diligibile est Deus, plùs pro ipso, & propter ipsum diligendo præstare debemus; sicut & pro proximo propter Deum, quò magis est à nobis diligibilis: imitantes ordinem, quem Pastor Evangelicus, *Matth.* 18. & *Luca* 15. circa oves sibi creditas servavit. Qui quamvis absolutè ordine dilectionis præferret nonaginta novem oves, quàm unam; in ea tamen circumstantia, quâ unâ earum erravit, plus unam opere dilexit, quàm cæteras: dum dimissis nonaginta novem in deserto, unicè de centesima, quæ erraverat, solicitus, ad eam reducendam, ac si nullam aliam haberet, totum se dedit.

IV. Quapropter S. August. Epist. 139. aliàs 158. *Caritas* (inquit) *quæ tanquam nutrix fovet filios suos, non ordine amandi, sed ordine subveniendi, infirmiores fortioribus anteponit; quos tales vult esse, quales jam illi sunt, quos non contemnendo, sed de his confidendo, interim præterit*. Quibus apparet, aliquando caritatis regulam esse, quòd perfectioribus, imperfectiores opere, & curâ anteponamus; quamvis ordine dilectionis perfectiores imperfectioribus sint præferendi. Quod S. Ber-

S. Bernardus quoque testatur, *Serm. 50. in Cantic.* his verbis: *In benè affecta mente non dubium (verbi causa) quin dilectioni hominis Dei dilectio præponatur, & in hominibus ipsis perfectiores infirmioribus, Cœlum terræ, & æternitas tempori, anima carni. Attamen in benè ordinata actione sæpè, aut etiam semper ordo oppositus invenitur. Nam & circa proximi curam, & plus urgemur, pluries occupamur, & infirmioribus fratribus diligentiori sedulitate assistimus, & paci terræ magis, quàm Cœli gloriæ jure humanitatis, & ipsa necessitate intendimus..... nam & vera in hoc est caritas, ut qui indigent amplius, accipiant priùs &c.*

§. II.

Qualis in Dilectione Dei, & Sui tenendus sit Ordo.

V. Dico primò. Deus super omnia diligendus est appretiativè. Constat ex dictis, *Dub.* 1. ubi ostensum est, Deum ex præcepto diligendum esse toto corde, totâ animâ &c. Rursus: ut docet S. Thomas 2. 2. *q.* 26. *a.* 2. ex amicitia magis diligendum est illud bonum, super cujus communicatione ipsa amicitia fundatur, quam quidquam aliud: sed amicitia caritatis fundatur super communicatione beatitudinis, quæ consistit in Deo essentialiter, à quo derivatur in omnes, qui sunt beatitudinis capaces; ergo &c. Tùm quia: Deus est summum bonum, ultimus finis, & ut talis est diligendus; ergo est diligendus super omnia: ideoque mandatum dilectionis Dei vocatur à Christo, Matth. 22. *Maximum, & primum mandatum.*

Quòd etiam Deus diligendus sit super omnia *appretiativè:* prob. Nam sic Deum amare debemus, ut pluris eum æstimemus, quàm quidvis aliud; & ut pro nullo alio velimus ab eo divelli. Hoc indicant illa Christi verba, Lucæ 14. v. 26. *Si quis venit ad me, & non odit* (comparativè, idest, non minùs amat) *patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem, & animam suam* (idest, se ipsum, ac vitam suam) *non potest meus esse discipulus.* Quæ explicavit, Matth. 10. v. 37. *Qui amat patrem, aut matrem plusquàm me, non est me dignus. Et qui amat filium, aut filiam super me, non est me dignus:* idest, qui patrem, aut matrem, filium, aut filiam mihi in amore præposuerit; aut, ut illis placeat, vel eorum utilitatibus serviat, me postposuerit, non est me, & Regno meo dignus.

VI. An verò ad caritatem requiratur etiam, quòd Deus ametur magis intensivè, quàm quodvis aliud, disputatur inter Theologos. Affirmativè opinantur aliqui. Sed quia hæc opinio in mille scrupulos adigit conscientias: quis enim scit, an gradus amoris, quo Deum prosequitur, sit summus, quem potest elicere, ut correspondeat æstimationi, quam habere debet de Deo?

VII. Censeo igitur sufficere, ut quis amet Deum super omnia appretiativè, eum, ejusque amorem omnibus præferendo; quamvis actus, quo eum diligit, non sit intensior actu, quo diligit proximum. Et Probo primò. Nam non est necesse, ut habitus caritatis sit intensior circa Deum, quàm circa proximum, vel nos ipsos: est enim unus, ac simplex habitus; ergo secundùm illam intensionem laudabiliter fieri possunt actus tàm circa Deum, quàm circa proximum, & nos ipsos.

Secundò. Ut actus caritatis sit bonus, laudabilis, & meritorius, non est necesse, ut habeat certum aliquem intensionis gradum; ergo non oportet, ut sit intensivè summus. Ant. prob. Tùm à pari. Nam actus fidei, & spei certum intensionis gradum non petit, sed dummodo firmiter adhæreat Deo primæ veritati, & ab ipso, ut primâ causâ expectet beatitudinem, bonus est, & laudabilis; ergo similiter actus cari-

caritatis, modò sic Deus diligatur, ut omnibus rebus anteponatur. Tùm etiam: quia minima caritas sufficit ad merendam vitam æternam, & se extendit ad omnia, quæ sunt ex caritate diligenda, ut docet S. Thom. *2. 2. q. 24. a. 5.* & *a. 6. ad 1.* & alibi: non potest autem vitam æternam mereri, nisi sit actus bonus, & laudabilis, ut oportet.

Tertiò. Nullum est in Scriptura præceptum de Deo summè quoad intensionem diligendo: cum enim jubemur Deum diligere super omnia, sive ex toto corde, ex tota animâ, ut habetur *Deuter. 6. Matt. 22.* & *Lucæ* 10. non præcipitur dilectio summa intensivè, sed solùm appretiativè: ut nempe, pluris appretiemur, & æstimemus amicitiam Dei, quàm cætera omnia, & nihil ei anteponamus, vel æquemus, ut dictum est supra. Et sanè si non tenemur habere de peccato mortali dolorem intensivè majorem, quàm de quibusvis aliis malis; modò de illo magis doleamus appretiativè: nec tenebimur habere amorem de Deo summum intensivè, sed sufficiet, quòd sit summus appretiativè.

Accedit postremò: quòd si ad præceptum caritatis implendum requiratur actus summè intensus, quem quis facere potest; sequeretur, quòd per actum ejusdem intensionis unus impleret præceptum caritatis, alter non; imò unus mereretur vitam æternam, alius verò peccaret: si videlicet unus habens caritatem remissam, eliciat actum sui habitus intensioni correspondentem; alter autem habens caritatem longè intensiorem, eliciat actum minùs intensum, quàm sit suus habitus, parem tamen in intensione actui alterius.

VIII. Nec dicas primò. Deus est ratio diligendi omnia; ergo magis est diligendus — Distinguo enim conseq. Magis appretiativè, conc. conseq. Magis intensivè, nego conf. Cùm ex parte subjecti fieri possit, ut proximus, qui videtur, intensiùs diligatur, quàm Deus, qui non videtur.

IX. Nec dicas secundò. Inordinatum videtur, quòd creatura intensiùs diligatur, quàm Creator — Distinguo namque antec. Inordinatum negativè, idest, non ita perfectè ordinatum, secundùm Dei dignitatem, qui etiam intensiùs meretur diligi; & ex parte caritatis, quæ magis inclinat ad amandum Deum, quàm proximum, conc. ant. Inordinatum privativè, ita ut sit contra ordinem à Deo in caritate præceptum, nego ant. Deus enim in hoc infirmitatis statu, ubi ad sensibilia nobis notiora, & propinquiora magis propendimus, sicut majorem intensionem in actu fidei, & spei à nobis, vel non exigit, vel saltem non exigit sub mortali; ita nec in actu caritatis: sic, ut quemadmodum vera fides, & spes, ita etiam vera caritas retineatur, etiamsi actus illius intensiores non sint circa Deum, quàm circa proximum: dummodo magis appretiativè Deum, quàm proximum diligamus. Monet tamen nos Ecclesia, ut ejusmodi intensionem à Deo petamus, dicentes: *Da nobis fidei, spei, & caritatis augmentum*, ut ex Tridentino, *Sess. 6. cap.* 10.

X. Dico secundò. Homo magis appretiativè tenetur diligere Deum, quàm seipsum. Patet ex dictis. Nam quisque tenetur Deum diligere super omnia; ergo supra seipsum. Et etiam, quia qualibet pars tenetur magis inclinari in bonum commune totius, quàm in bonum particulare proprium: Deus autem est commune bonum, & principium omnis boni. Vide. S.Tho. 2. 2. *qu. 26. a.* 3. Et hoc confirmat sententia Christi, Matth. 16. v. 24. *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum*. Et, ut supra, *Lucæ* 14. non solùm patrem, & matrem odio habendos, idest, dilectionis affectu sibi non postponendos, sed etiam animam nostram.

XI. Quæri solet: An homo naturaliter inclinetur ad diligendum Deum magis, quàm seipsum?

Responsio communis est affirmativa,

Id enim ratio naturalis dictat, nimirum, magis esse diligendum eum, qui est commune principium omnium bonorum, & etiam proprii boni: & è contra inclinatio ad diligendum plus seipsum, quàm Deum est perversa; ergo non potest esse naturalis: quia inclinatio naturalis est à Deo, à quo nihil potest esse perversum.

XII. Difficultas est de homine in statu præsentis naturæ, per peccatum corruptæ, & à Deo aversæ; in qua in amando Deum auctorem naturæ super omnia tam graves patitur difficultates, ad quas superandas indiget speciali gratiâ, ut ostendimus (*Tom. 3. in 1. 2. Qu. 1. de Necess. gratia, Dub. 6. §. 3.*) Si autem ad diligendum Deum homo naturaliter inclinaretur, sine difficultate, imò faccillimè, & sponte ad Deum tenderet, sicut lapis ad centrum.

XIII. Sed hoc solùm arguit, in natura, per peccatum corruptâ, naturalem inclinationem ad Deum diligendum plus, quàm seipsum, impediri à suo actu, per inclinationem contrariam, eamque vehementiorem, quâ per peccatum trahitur ad bonum privatum: & hinc difficultates oriuntur ad eam erigendam ad bonum divinum. Sed si hæc impedimenta tollerentur, sicut lapis, ablato ipsum detinente, naturaliter tenderet in centrum; ita natura rationalis tenderet in Deum: quemadmodum potuisset in statu naturæ integræ, & etiam naturæ puræ ostendimus supra citato loco, §. 2.

Nec obest, quòd natura in Christo, etiamsi integra, adhuc tamen refugeret mortem; unde dicebat: *Transeat à me calix iste.* — Nam hoc solùm evincit, amorem naturalem, qui, vel rationem prævenit (ut in nobis accidit) vel per rationem permittitur procedere à voluntate secundùm inclinationem naturalem, ut contingit in Christo, refugere à malo naturæ, qualis est mors. Cæterum hoc non infert, quòd natura magis inclinet in bonum proprium, quàm in divinum; sed quòd, absolutè loquendo, malum proprium refugiat. Quare factâ comparatione ad bonum divinum, Christus elegit potiùs mortem pro ipso, quàm vitam; unde ait: *Fiat voluntas tua.*

§. III.

De Amore Sui comparatè ad Bonum Proximi.

XIV. Dico primò. Homo tenetur ex caritate magis diligere se ipsum, quàm proximum. Ita S. Tho. hâc *q.* 25. *a.* 4. & probat primò ex illo, Levit. 19. v. 18. *Diliges amicum tuum, sicut te ipsum.* Vel, ut ait Christus, Matth. 22. v. 39. *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Quibus dilectio hominis ad se ipsum est sicut exemplar dilectionis, quæ habetur ad alterum: sed exemplar potius est, quàm exemplatum; ergo homo ex caritate magis debet diligere se ipsum, quàm proximum. Hinc August. l. 1. de Civit. Dei c. 20. *Regulam* (inquit) *diligendi proximum à semetipso dilector accepit.* Et, ut idem S. Doctor ait. l. de vera Relig. c. 46. *Ea autem est regula dilectionis, ut quæ sibi vult bona provenire, & illi velit; & quæ accidere sibi mala non vult, & illi nolit.*

XV. Secundò probat S. Tho. Homo diligit Deum, ut principium boni, quod est beatitudo, diligit se ipsum, ut participem talis boni, diligit autem proximum, ut sibi socium in tali bono; sed potior diligendi ratio est participare in se beatitudinem, quàm habere socium in ea participandâ, sicut potior est unitas, quàm unio; ergo homo ex caritate debet magis diligere se ipsum, quàm proximum.

XVI. Quia verò S. Tho. statim subjungit: *Et hujus signum est, quod homo non debet subire aliquod malum peccati, quod contrariatur participationi beatitudinis, ut proximum liberet à peccato.* Excitari solet dubium: utrum pro spirituali bono proximi possit quis

velle

velle pati jacturam in propriis bonis spiritualibus.

Videtur enim posse, variis S. Script. testimoniis. Primum *Exod.* 32. *v.* 31. ubi Moyses pro populo Dominum sic precatur: *Aut dimitte eis hanc noxam* (adorationis vituli) *aut si non facis, dele me de libro tuo.* Volebat ergo Moyses potiùs se privari beatitudine, ut ad eam proximus perveniret. Secundum. Paulus, Rom. 9. v. 3. *Optabam enim* (inquit) *ego ipse anathema esse pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundùm carnem.* Et 2. ad Cor. 13. v. 7. *Oramus .... ut vos, quod bonum est faciatis; nos autem ut reprobi simus.* Et Michææ 2. v. 11. *Utinam non essem vir habens spiritum, & mendacium potiùs loquerer.*

XVII. Nihilominus dicendum est. Propter quodcumque bonum spirituale proximi non licere pati quamcumque jacturam gratiæ, peccando mortaliter, sive etiam venialiter; aut velle privari beatitudine in perpetuum. Et prob. primò. Quia Apostolus damnat eos, qui dicebant: *Faciamus mala, ut veniant bona* (Rom. 3. v. 8.) Et Matth. 16. v. 26. *Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur anima verò sua detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima suâ?*

Secundò. Qui ob salutem, vel bonum spirituale proximi eligeret peccare, magis diligeret proximum, quàm se ipsum, imò magis quàm Deum: quia propriæ beatitudini præponeret alienam, & bono, ac gloriæ divinæ bonum creaturæ: & pluris faceret amicitiam proximi, quàm amicitiam Dei.

XVIII. Confirm. Dicere, quòd sit licitum peccare, vel mortaliter, vel venialiter, ob bonum spirituale proximi, est dicere contradictoria: nam si peccare, seu peccatum dicitur licitum, erit peccatum, ut supponitur, & non erit peccatum; quia peccatum semper est illicitum, & contra legem Dei. Unde S. Tho. hâc 2. 2. q. 43. a. 7. ad 5. *Quidam* (inquit) *dixerunt, peccatum veniale esse committendum, propter vitandum scandalum. Sed hoc implicat contraria: si enim faciendum est, jam non est malum, neque peccatum: nam peccatum non potest esse eligibile.* Et hâc ratione, *Tom.* 1. *in* 1. 2. *Tract. de Act. human.* Q. 3. *Dub.* 7. §. 2. & 3. ostendimus, nullo bono fine licitum esse mentiri, aut se occidere. Notat tamen S. Tho. laudato loco, contingere posse: *Aliquid propter aliquam circumstantiam non esse peccatum veniale, quod illâ circumstantiâ sublatâ peccatum veniale esset. Sicut verbum otiosum est peccatum veniale, quando absque utilitate dicitur; si autem ex causa rationabili proferatur, non est otiosum, neque peccatum.*

XIX. Nec obest, de duobus malis minus esse eligendum, peccatum autem veniale minus malum est, quàm perditio animæ proximi. Nam hoc de malis illis intelligendum est, quorum alterum necesse est te eligere: malum autem culpæ neque est eligibile, neque unquam necesse est, quòd pro salute proximi unum peccatum pro altero facias.

XX. Non licere autem velle privari propriâ beatitudine in perpetuum, pro salute proximi, constat ex jam dictis. Nam hoc esset contra ordinem, & inclinationem caritatis. Contra ordinem quidem; quia hoc esset præferre salutem aliorum saluti propriæ: & contra inclinationem caritatis, quæ cùm sit amicitia hominis cum Deo, inclinat hominem ad desiderandum uniri cum Deo, hìc per gratiam, & in futuro per gloriam.

Velle tamen dilationem propriæ beatitudinis, ob salutem aliorum, caritati contrarium non est. Hinc Paulus, *ad Philipp.* 1. *v.* 23. desiderabat dissolvi, & esse cum Christo: quia tamen videbat, necessarium esse permanere in carne propter illos, hoc secundum elegit. Et S. Martinus aiebat: *Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem; fiat volun-*

tas tua. Et in hoc sensu S. Thom. 2. 2. q. 27. a. 8. ad 1. (ex S. Joann. Chrysost. *Homil.* 16. *ad Rom.*) interpretatur desiderium S. Pauli, cupientis anathema esse pro fratribus suis. Unde ait: *Per hoc non ostenditur, quòd Apostolus plus diligeret proximum, quàm Deum; sed quòd plus diligeret Deum, quàm seipsum. Volebat enim ad tempus privari fruitione divinâ, quod pertinet ad dilectionem sui, ad hoc, quòd honor Dei procuraretur in proximis, quod pertinet ad dilectionem Dei.*

XXI. Nunc ad testimonia S. Script. superiùs opposita respondendum est. Ad primùm de Moyse dico, vel eum fuisse hyperbolicè locutum, ad significandum ardentissimum suum amorem erga salutem populi. Vel, ut exponit S. August. Q. 147. *in Exod.* disjunctivè adjecisse, ut deleret eum de libro vitæ; quod ex summa fiduciâ divini amoris certus erat, Deum non esse facturum. Eo modo, quo filius certus de amore patris erga se, ei servum ejicere volenti diceret: aut dimitte illi, aut me simul cum illo ejice. Ita Moyses certus de amore Dei erga seipsum, videns, Deum velle exterminare populum, dixit: aut dimitte populo peccatum, aut dele me de libro tuo: sed certus sum, quòd me non delebis; ergo restat, ut peccatum populi dimittas: *Securus quidem hoc dixit, ut à consequentibus ratiocinatio concludatur: idest, ut quia Deus Moysen non deleret de libro suo, populo peccatum illud remitteret.* Verba sunt Augustini laudato loco. — Volunt aliqui, Moysen dicendo: *Aut dele me de libro tuo*, non suisse locutum de libro vitæ æternæ, sed vitæ præsentis; quasi diceret: aut interfice me cum illis. Quod colligere se putant ex sequentibus Dei verbis: *Qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo.* De libro autem æternæ prædestinationis nemo potest deleri.

Ad secundum de Paulo optante esse *anathema*, jam dictum est ex S. Thoma, quòd ex amore, quo diligebat Deum, cupiebat ad tempus privari gloriâ; ut ex conversione Judæorum major Dei gloria promoveretur. Quamvis ex eodem S. Doctore dici posset, quòd hoc *Apostolus tunc non optabat, quando erat in statu gratiæ, ut scilicet separaretur à Christo pro fratribus suis: sed hoc optaverat, quando erat in statu infidelitatis: unde in hoc non est imitandus.* Quod autem *in* 2. *Cor.* 13. dicit, non indicat, eum desiderare, ut fit reprobus reprobatione oppositâ prædestinationi: sed desiderare, ut Corinthii probati appareant, & bonum faciant, & ipse vilis, & infirmus, plus gaudens de eorum probitate, quàm de sua potestate; ut exponit S. Thom. *Lect.* 2. in dictum caput.

Michæas autem non optat mentiri: sed loquitur more vulgi, quo ea, quæ sincero corde mala prædicimus, vellemus non evenire. Unde idem est, ac dicere: utinam calamitates, quas ex spiritu Dei prædico, prædicerem ex spiritu meo, & non evenirent.

XXII. Colligo ex dictis, nec licere, pro salute spirituali proximi, exponere se periculo peccandi; quando tamen periculum est adeo probabile, ut probabilior fit lapsus, quàm perseverantia: quia unusquisque salutem suam plus diligere tenetur, quàm aliorum. Liceret tamen, si quamvis esset periculum, magis speraretur, eum non secuturum.

XXIII. Quoad bona verò spiritualia, quæ non sunt in præcepto, sed solùm in consilio, censeo, posse aliquando dimitti, si bonum spirituale proximi hoc requirat. Unde S. Thom. 2. 2. q. 43. a. 7. dicit, spiritualia bona, propter scandalum infirmorum, interdum esse occultanda, vel dimittenda, quousque redditâ ratione scandalum cesset. Interdum etiam debet quis assumere statum conjugalem, ne alioquin Regnum devolvatur ad hæreticos: differre ingressum Religionis, ob inopiam parentum &c.

XXIV. Colligo etiam, pro salute spirituali proximi, teneri nos pati jacturam

curam in bonis temporalibus; imò aliquando etiam in proprio corpore. Primum docet D. Thom. hàc q. 26. a. 4. ad 2. dicens, quòd homo *in hoc ipso seipsum magis diligit, secundùm spiritualem mentem: quia hoc pertinet ad perfectionem virtutis, quæ est bonum mentis*. Hoc tamen intellige, non pro quacumque, sed pro magna, & gravi necessitate.

Secundum verò docet eàdem quæst. a. 5. ubi docet, quòd proximum, quantùm ad salutem animæ, debemus magis diligere, quàm proprium corpus. Et rationem dat. Quia ratio diligendi proximum ex caritate est consociatio in plena participatione beatitudinis: ratio verò diligendi proprium corpus est consociatio in quadam participatione beatitudinis, per redundantiam: sed maior est ratio diligibilis ex caritate in eo, qui nobis debet esse consocius in plena participatione beatitudinis, quàm in eo, quod erit socius solùm in quadam participatione, per redundantiam; ergo &c.

XXV. Notat tamen S. Thomas hoc a. 5. ad 3. nos non semper teneri exponere proprium corpus pro salute spirituali proximi. Quia *cuilibet homini imminet cura proprii corporis: non autem imminet cuilibet homini cura de salute proximi, nisi fortè in casu necessitatis: & ideo non est de necessitate caritatis, quòd homo proprium corpus exponat, pro salute proximi, nisi in casu, quo tenetur ejus saluti providere. Sed quòd aliquis spontè ad hoc se offerat, pertinet ad perfectionem caritatis.*

Ex hoc infertur, quòd unusquisque tenetur proximo suo spiritualem extremam necessitatem patienti subvenire, etiam cum certò mortis periculo, si sit spes, quòd juvari possit: & strictiori iure Episcopi, & Pastores, quibus cura animarum specialiter commissa est. De illis enim peculiariter dicit Christus, Joan. 10. v. 11. *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis*. Sed de hoc egimus in Tract. de Fide.

XXVI. Superest examinare, quænam detrimenta corporalia debeat, vel possit pati homo, pro corporali bono proximi.

In hac difficultate suppono primò, ut certum, licere, imò aliquando oportere, ea bona temporalia, quorum sumus domini, periculo exponere, propter urgentem necessitatem vitæ corporalis proximi: quia pretiosior est vita ejus bonis nostris corporalibus externis. Unde, Proverb. 12. v. 6. *Qui negligit damnum, propter amicum, justus est*. Et Ecclesiastici 29. v. 13. *Perde pecuniam propter fratrem, & amicum tuum: & non abscondas illam sub lapide in perditione*. Sed de hac, cum de præcepto eleemosynæ sermo erit.

XXVII. Suppono secundò, ut certum, quòd quando proximus est persona Reipublicæ multùm necessaria, ut Caput, vel Princeps, vel in ea quoquo modo bonum commune consideretur; tunc licet homini privato vitam suam pro ejus vita exponere, imò interdum ad hoc obligatur: quia unaquæque pars debet præferre bono particulari proprio bonum commune, & publicum. Hinc milites tenentur non deserere suam stationem, etiamsi sciant se occidendos: & tàm ipsi, quàm alii possunt, ac interdum etiam debent se, vel telo, vel aliis periculis objicere, si hoc, vel Reipublicæ salus, vel Principis vita conservanda postulet. Unde S. Tho. 2. 2. qu. 31. a. 3. ad 2. *Bonum* (inquit) *multorum commune divinius est, quàm bonum unius. Unde pro bono communi Reipublicæ, vel spirituali, vel temporali, virtuosum est, quòd aliquis etiam propriam vitam exponat periculo. Et ideo cùm communicatio in bellicis actibus ordinetur ad conservationem Reipublicæ; in hoc miles impendens commilitoni auxilium, non impendit ei tanquam privatæ personæ, sed sicut totam Rempublicam juvans.*

XXVIII. Difficultas est: An homini liceat temporalem suam vitam expone-

ponere pro amici sibi æqualis vitâ servandâ. Divisi enim sunt Doctores, aliis affirmantibus, aliis verò negantibus.

Hos tamen conciliari posse existimo, considerando: an ponatur vita pro amici æqualis vitâ præcisè, non spectando aliud, quàm vitam, & vitam: an verò cum vita spectetur honestas amicitiæ moralis, eaque sola: aut tandem bonum caritatis Christianæ, seu spiritualis salus proximi.

XXIX. Primo ergo modo, non spectando aliud, quàm vitam, & vitam, non licet vitam propriam pro aliena exponere: hoc enim est contra ordinem caritatis, quâ quisque tenetur magis diligere vitam propriam, quàm alienam. Unde S. August. *lib. de Mendacio, cap. 6.* ut ostendat, ex precepto caritatis diligendi proximum, tanquam se ipsum, non concludi, hominem posse mentiri ad tuendam vitam proximi, ita discurrit: *Quomodo ergo quisque diligit, tanquam se ipsum, cui, ut præstet vitam temporalem, ipse amittit æternam? Quandoquidem si pro illius temporali vitâ suam ipsam temporalem perdat, non est jam diligere, sicut se ipsum, sed plus quàm se ipsum; quod sana doctrina regulam excedit. Multò minùs igitur æternam suam, pro alterius temporali, mentiendo amissurus est.* Sentit ergo, vitam propriam pro vita alterius præcisè perdere, esse diligere proximum plusquàm se ipsum, & excedere sanæ doctrinæ regulam. Hùc etiam spectavit S. Thomas 2. 2. *q. 32. a. 6.* quando dixit, de omnino sibi necessario eleemosynam dari non debere: *Puta, si aliquis, in articulo necessitatis constitutus, haberet solùm, unde posset sustentari, & filii sui, vel alii ad eum pertinentes: de hoc enim necessario eleemosynam dare, est sibi, & suis vitam subtrahere.* Et infra, q. 64. a. 7. *Plus tenetur homo vita sua providere, quàm vita aliena.*

XXX. Secundo modo, quidam, inter Æthnicos, visi sunt vitam propriam pro amicis dedisse; non postponendo vitam suam vitæ amici præcisè, sed honestati virtutis moralis, quam solam agnoverunt. Sed inter Christianos licitum esse non crederem. Tùm quia: Christiani obligantur spectare aliquid altius honestate morali, nempe, vitam æternam, ejusque bonum, & ea, quæ ad eam conducunt. Tùm quia: inordinatum est, se ipsum privare commoditate proficiendi in bonis spiritualibus, pro sola honestate morali.

XXXI. Tertio autem modo, licere Christiano existimant plerique, nimirum, exponere vitam propriam pro vita alterius privatæ personæ; si, vel hoc cederet in bonum commune, quia esset persona valde utilis Reipublicæ; vel si hoc fieret ex amore vitæ spiritualis illius; ut si ille, pro cujus vita quis exponit suam, esset in statu damnationis, & speraretur conversio, si superstes esset; ille autem, qui vitam suam exponit, probabiliter crederet, se esse in statu gratiæ: vel alio quocumque supernaturalis caritatis vero titulo moveretur. Et ita intelligendus est S. Tho. in 3. *dist. 29. a. 5. ad* 3. ubi ait: *Tradere se ipsum morti, propter amicum, est perfectissimus actus virtutis: unde hunc actum magis appetit virtuosus, quàm vitam propriam corporalem. Unde quòd aliquis vitam propriam corporalem, propter amicum ponat, non contingit ex hoc, quòd aliquis plus amicum, quàm se ipsum diligat: sed quia in se plus diligit quis bonum virtutis, quàm bonum corporale.* Et hàc *q. 26. a. 5. ad* 3. ubi ait: *Non est de necessitate caritatis, quòd homo proprium corpus exponat pro salute proximi, nisi in casu, quo tenetur ejus saluti providere: sed quod aliquis sponte ad hoc se offerat, pertinet ad perfectionem caritatis.* Et in hoc sensu dixit Christus, Joann. 15. v. 13. *Majorem hàc dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Et S. Joann. Epist. 1. c. 3. v. 16. *In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.*

DU-

DUBIUM IV.

Quænam sit Ordinata Proximorum ex Caritate Dilectio.

§. I.

An unus Proximus sit magis Diligendus, quàm alius.

I. Quidam, referente S. Thoma hìc *q. 26. a. 6.* dixerunt, quòd omnes proximi sunt æqualiter ex caritate diligendi, quantùm ad affectum; sed non quantùm ad externum effectum, seu exteriora beneficia: hæc enim magis tenemur impendere proximis, quàm alienis. Et utebantur auctoritate S. Augustini, *lib. 1. de Doctr. Christianâ, cap. 28.* dicentis: *Omnes homines æquè diligendi sunt: sed cùm omnibus æquè prodesse non possis, his potissimùm consulendum est, qui pro locorum, & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictiùs tibi, quasi quadam sorte junguntur.* Et in *Expositione Epist. ad Galat. cap. 6.* ad illa verba: *Operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei*, ita scribit: *Omnibus pari dilectione vita æterna optanda est: sed non omnibus eadem possunt exhiberi dilectionis officia.*

Rursus: etiam rationi nitebantur. Cùm enim una sit ratio diligendi omnes, nempe, Deus: cùm etiam unum sit bonum, quod omnibus ex caritate volumus, scilicet, vita æterna, videntur omnes æqualiter esse diligendi.

II. Contrarium autem sentit S. Tho. eodem art. Et probat primò, in arg. *Sed contra*, sic: Tantò unusquisque magis debet diligi, quantò graviùs peccat, qui contra ejus dilectionem operatur: sed graviùs peccat, qui operatur contra dilectionem aliquorum, quàm qui operatur contra dilectionem aliorum: gravius enim est peccatum in parentes commissum, quàm in extraneos; ergo hoc ideo, quia oportet parentes magis diligere, & consequenter quosdam proximorum debemus magis diligere, quàm alios.

Secundò *in Corp.* prob. Uni proximo magis benefaciendum est, quàm alteri, ut Adversarii admittunt, & infra, *q. 31. a. 3.* traditur; ergo unus, etiam quantùm ad affectum, magis diligendus est, quàm alius. Sicut enim in naturalibus, ita & in spiritualibus oportet inclinationem respondere actui, vel motui secundùm proportionem.

Tertiò. Ordo dilectionis ex caritate attenditur per comparationem ad Deum, & ad nos: atqui non omnes proximi sunt æqualiter, vel Deo, vel nobis propinqui; ergo non omnes æquè, sed unus est alio magis diligendus.

III. Neque obstant, quæ in contrarium afferuntur. Ut enim ait D. Th. hìc *ad primum*, S. Augustinus, vel vult, omnes homines esse *æquè* diligendos ex parte boni, quod eis optamus in genere, nempe, vitam æternam; non autem quantùm ad intensionem dilectionis. Vel vult, omnes æquè diligendos esse, idest, non posse unum diligi, alterum non diligi, sicut uni possumus benefacere, alteri non: & hoc indicat, dum ait, cùm omnibus æquè prodesse non possis: unde aliquos præterire potes beneficentiâ, non tamen dilectione. Sed non vult, omnes, quos diligere debemus, æquè, idest, æquali gradu amoris diligamus — Sic etiam ad rationes respondet S. Doctor. Nam estò Deus sit ratio diligendi omnes, aliqui tamen sunt propinquiores Deo, & ideo magis diligendi (Ita hìc *ad 2.*) Et quamvis velimus omnibus idem bonum in genere; non tamen eàdem intensione, & gradu debemus omnibus velle. (Ita hìc *ad 3.*)

§. II.

§. I I.

Utrum ex Proximis sint Magis Diligendi Meliores, quàm Nobis Conjunctiores.

IV. Dico. Per se loquendo illi, qui nobis sunt conjunctiores secundum carnem, sunt magis diligendi, quàm extranei, licèt meliores. Ita S. Thom. hàc *q. 26. a. 7.* & prob. Primò. Quia fervor, & intensio dilectionis eorum, qui post Deum diligendi sunt, sumi debet per comparationem ad diligentem; ergo quantò quisque est diligenti conjunctior, tantò intensiùs est diligendus. Ant. probatur à D. Thom. Nam estò actus ex objecto habeat speciem, ex virtute tamen agentis habet modum suæ intensionis: *Sicut motus habet speciem ex termino, ad quem est, sed intensionem velocitatis habet ex dispositione mobilis, & virtute moventis*; ergo intensio motus dilectionis debet sumi ex majori propensione diligentis, quæ ad sibi magis conjunctos fortior est: *Et secundùm hoc illos, qui sunt sibi propinquiores, intensiori affectu diligit homo ad illud bonum, ad quod omnes diligit, quàm meliores ad majus bonum.*

V. Confirmatur. Ordo caritatis postulat, ut homo seipsum plus diligat, quàm proximum, etiam meliorem; ergo similiter postulat, ut sibi conjunctiorem magis diligat, quia quantitas dilectionis sumitur ex diligente.

VI. Rursus: conjunctio sanguinis cùm sit secundùm substantiam, est prior, immobilior, & stabilior, quàm conjunctio per gratiam; ergo qui secundùm sanguinem conjunguntur, magis, quàm qui secundùm gratiam, diligendi sunt: *Et ideo* (addit S. Doct.) *possum ex caritate velle, quod iste, qui est mihi conjunctus, sit melior alio, & sic ad majorem beatitudinis gradum pervenire possit*. Non ita quidem, quasi optare liceat, ut alterius, vel gratia, vel gloria minuatur (hoc enim caritati, quæ secundùm Paulum, 1. Cor. 13. v. 4. *Non æmulatur*, repugnat) sed sic, ut ejus gratiâ totâ manente, aut etiam crescente, is, qui sanguine conjunctus est, majorem habeat; atque adeo absque alterius jacturâ ad majorem gratiam, & gloriam promoveatur.

VII. Tertiò. Conjunctiores secundùm carnem pluribus titulis diliguntur, quàm alii: diliguntur enim tanquam æternæ vitæ capaces, tanquam consanguinei, tanquam concives, familiares &c. Et non solùm dilectione naturali, sed caritatis: nam caritas imperare potest aliarum amicitiarum actus, eosque ad suum finem supernaturalem ordinare; ergo qui sic sunt conjunctiores, magis debent diligi.

VIII. Quartò. Illi sunt magis diligendi, quibus majora benevolentiæ signa, & magis specialia exteriora officia præstare debemus: sed hæc præcipuè, & magis præstare debemus illis, qui nobis sanguine sunt conjunctiores; ergo &c. Maj. patet. Quia hæc cùm sint effectus internæ caritatis, ex caritate internâ pensanda sunt. Min. verò prob. Tùm quia: honorare parentes speciali mandato jubemur. Et Levit. 20. v. 9. *Qui maledixerit patri suo, aut matri, morte moriatur*. Tùm quia: 1. *ad Timoth.* 5. *v.* 8. pronuntiatur infideli deterior: *Si quis suorum, & maximè domesticorum, curam non habet*. Ubi Apostolus *suorum* nomine intelligit filios, nepotes, aliosque carne propinquos.

IX. His tamen non excluditur, quin cognatio spiritualis æstimatione, & dignitate præferenda sit carnali; & maximè in negotio Evangelicæ prædicationis, à quo avocari non debet homo, propter carnis, & sanguinis amorem: magis enim diligenda est Dei gloria. Et hoc est, quod dixit Christus, Matth. 12. v. 48. *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei?..... Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in Cælis est, ipse meus frater,*

ter, *& soror*, *& mater est*. Nos enim solùm dicimus, quòd absolutè plus diligendi sunt quoad affectum, & effectum propinqui carnales, quàm spirituales: & quòd in pari necessitate, tùm corporis, tùm spiritus, priùs subveniendum esset illis, quàm istis.

X. Sed dices. Apostolus, ad *Coloss.* 3. *v.* 11. vult, nos renovari secundùm imaginem Christi: *ubi non est Gentilis*, *& Judaus .... sed omnia*, *& in omnibus Christus*; ergo homini caritatem habenti nullus est extraneus; ergo non debet distinguere extraneos à conjunctis.

Rursus: ad *Galat.* 6. *v.* 10. Paulus vult, nos operari bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei: atqui exhibitio operis est probatio dilectionis; ergo domestici fidei sunt maximè diligendi.

Tertiò. *Deuteron.* 33. *v.* 9. habetur: *Qui dixit patri suo*, *& matri sua: Nescio vos: & fratribus suis: Ignoro vos: & nescierunt filios suos. Hi custodierunt eloquium tuum*, *& pactum tuum servaverunt*. Si ergo laudantur, qui dicunt parentibus, fratribus, & filiis: *Nescio*, *ignoro vos*; ergo hi non sunt magis diligendi.

Quartò. S. Augustinus, *l. de vera Relig. c.* 46. asserit, necessitudines propinquitatis carnalis esse ex peccato: & qui eas non oderit, non esse aptum Regno Dei. Similia docet, *l.* 1. *de Serm. Domini in Monte*, *c.* 15.

Quintò. S. Prosper, *l.* 3. *de Vita contemplativâ*, *c.* 25. amorem ortum ex necessitudine, tanquam carnalem, repudiat, ac damnat.

Sextò. Deus meliores magis diligit; ergo ut divinæ dilectioni conformemur, meliores magis diligere debemus. Eò vel magis, quòd meliores magis participant bonitatem divinam, quæ est ratio diligibilis per caritatem. Unde in Cœlo Sancti magis diligunt sanctiores, quàm propinquiores.

XI. Ad hæc omnia respondendum est. Ad primum dico, Apostolum loqui de negotio justificationis, in quo nullum est discrimen. Sive enim sit Gentilis, sive Judæus, dummodo sit dispositus, meritum Christi, quod operatur in omnibus, in eo etiam operatur: non tamen intendit tollere conjunctionem secundùm carnem, cujus consideratione alii sunt nobis propinqui, alii extranei.

XII. Ad secundum dico, domesticos fidei, cæteris paribus, esse magis diligendos, quàm Infideles, de quibus ibi Apostolus comparationem facit. Cùm enim tunc Fideles Infidelibus essent permixti; oportebat scire, utrum potiùs esset benefaciendum, Fidelibus ne, an Infidelibus. Si tamen aliquis ponatur esse conjunctior secundùm carnem, cætera non sunt paria: tunc enim, si Infidelis sibi sit conjunctus secundùm carnem, potest, ac debet ardentiùs ejus conversionem amare, & optare.

XIII. Ad tertium dico, laudari ibi Levitas, qui in punitione adoratorum vituli (*Exod.* 32.) non sunt miserti parentum, consanguineorum, ac filiorum; sed eos, Deo ita volente, occiderunt, perinde ac si eos non novissent: quia servaverunt pactum initum (*Exodi* 24.) Notum est autem, negligendam esse carnis propinquitatem, quando impedimentum nobis est ad cultum, & amorem Dei. Unde S. Tho. hìc *ad* 1. ait: *In propinquis nostris non pracipimur odire*, *quod propinqui nostri sunt: sed hoc solùm*, *quòd impediunt nos à Deo. Et in hoc non sunt propinqui*, *sed inimici*, *secundùm illud*, *Michea* 7. Inimici hominis domestici ejus.

XIV. Ad quartum scire debet arguens, S. Augustinum olim in sententia fuisse, quòd si Adam non peccasset, non fuisset carnalis generatio: ac proinde, quòd generatio, & conjunctio carnalis ex peccato orta sit: unde inferebat, hominem ratione carnalis conjunctionis non esse diligendum. Et ad hoc trahebat Christi verba, Lucæ 14. v. 26. *Si quis venit ad me*, *& non odit Patrem suum*, *& ma-*

trem, & uxorem..... non potest meus esse discipulus &c.

Hanc tamen sententiam improbavit, *lib. 1. Retract. cap. 13.* his verbis: *Hunc sensum prorsus improbo.... Nondum enim videram, fieri potuisse, ut non morituri de non morituris nascerentur, si peccato illo magno non mutaretur in deterius humana natura..... Essent ergo ista cognationes, atque affinitates, si nullus delinqueret, nullusque moreretur.* Et cap. 19. *Essent enim* (inquit) *profectò cognationes, & affinitates, etiam si, originali nullo existente peccato, sinè morte cresceret, & multiplicaretur genus humanum. Ac per hoc, aliter solvenda est quæstio: cur Dominus praeceperit diligendos inimicos, cùm alio loco praecipiat, odio habendos, & parentes, & filios; non sicut hìc* (lib. 1. de Serm. Dom. in Monte) *soluta est, sed sicut eam posteriùs sæpè solvimus: idest, ut diligamus inimicos lucrandos Regno Dei, & oderimus in propinquis, si impediant à Regno Dei.* Cæterum, quòd, etiam non existente originali peccato, homines per generationem carnalem fuissent multiplicati, ostendimus, *Tom. 6. in 1. p. Qu. 4. Dub. 3.*

XV. Ad quintum dico, S. Prosperum (seu veriùs Julianum Pomerium, cujus putantur esse libri de vita contemplativâ) damnare amorem consanguineorum, quo amantur, non propter Deum, & ex caritate, sed propter conjunctionem carnis, aut propter proprias utilitates, & commoda: hoc est, amore merè carnali.

XVI. Ad sextum respondeo cum D. Tho. hàc *qu. 26. art. 7. ad 2.* & *1. 2. qu. 19. art. 10.* quòd voluntas nostra, ut sit recta, conformari debet voluntati divinæ in volito formali, nempe, in ultimo fine; non autem in volito materiali: *Quadam enim possumus ex caritate velle, quia sunt nobis convenientia, quæ tamen Deus non vult; vult tamen, nos ea velle.* Quamvis autem meliores magis participent bonitatem divinam; sequitur quidem, quòd secundùm se sint magis diligibiles; non tamen quòd ad eundem finem debeant à nobis magis diligi in hac vita: cum possint concurrere aliæ causæ ex parte nostrâ, quibus alios ad eundem finem intensiùs diligere debeamus.

Alia autem est ratio vitæ præsentis, ac futuræ. Nam in futura cessante causâ, propter quam magis conjuncto magis providendum est, tàm in spiritualibus, quam in corporalibus, totus ordo dilectionis spectabitur ex proquinquitate ad Deum; ut docet D. Tho. hàc *qu. 26. a. 13.* & *Qu. disp. de Carit. art. 9. ad 12.* non sic autem in præsenti. Unde ibi addit: *Sed in via nobis est necessarium tendere in finem: & ideo ordo dilectionis attenditur etiam secundùm mensuram auxilii, quod ex aliis consequitur ad tendendum in finem. Et sic non sequitur, quòd meliores magis amentur; sed attenditur etiam ratio propinquitatis, ut ex utroque conjunctim sumatur ratio majoris dilectionis.*

§. III.

Qualis sit tenendus Ordo Dilectionis inter Conjunctos.

XVII. Docet S. Thom. hàc *qu. 26. art. 8.* quòd cum illi, qui sunt nobis conjunctiores, sint magis diligendi; & conjunctio sanguinis, quæ est per naturalem originem, sit prior, & immobilior, quàm conjunctio civilis, quæ est inter concives, & militaris, quæ est inter milites; quia istæ sunt supervenientes, & removeri possunt: ideo amicitia consanguinitatis est potior, & stabilior simpliciter. Unde si non possunt simul prætari ea, quæ pertinent ad conjunctionem sanguinis, & quæ sunt propria aliis conjunctionibus; hæc debent omitti, imò & conjunctiones ipsæ deseri, ut consanguineis, saltem iis, qui sunt valde propinqui, subveniatur.

XVIII. Hinc infertur primò. In pari

pari necessitate quoad ea, quæ pertinent ad naturam, sive vitam conservandam, magis succurrendum est parentibus, quàm amico, vel benefactori; nisi amicus, sive benefactor esset persona publica.

Prior pars constat. Cùm enim filius acceperit esse à parentibus, arctior est illi conjunctio cum ipsis, quàm cum ullis aliis. Ut enim docet S. Tho. 2. 2. quæst. 31. art. 3. ad 3. *Nullius benefactoris beneficium est tantum, sicut parentum*. Et in 3. dist. 29. a. 6. ad 5. *In his* (inquit) *quæ ad conservationem naturæ pertinent, magis sumus debitores parentibus, à quibus naturam accepimus, quàm aliquibus aliis, & consanguineis consequenter: & ideo magis liberare debemus patrem à morte, quàm extraneum, etiamsi ille nos in casu simili liberasset*. Liberator enim non est causa vitæ, sed conservator.

Secunda autem pars est etiam certa: quia bonum commune præferendum est privato. Et S. Thom. citatâ *qu. 31. a. 3. ad 3.* postquam dixit, nullius benefactoris beneficium esse tantum, sicut parentum, subdit: *Nisi necessitas ex alia parte præponderaret, vel alia conditio, puta, utilitas Ecclesiæ, vel Reipublicæ*.

XIX. Sed quid, si parentes ad hæresim te induxissent, & amicus ad fidem te reduceret, aut confirmaret? Quid, si parentes essent admodum in te crudeles?

Respondeo ad primum. In iis, quæ pertinent ad naturam, adhuc magis diligendos esse parentes. Nam etsi vita spiritualis dignior sit corporali; atque adeo majus sit beneficium conversio ad fidem, quàm naturalis generatio ad vitam: quia tamen beneficium conversionis, non æquè est ab homine convertente, sicut vita corporalis est à generante (neque enim homo homini fidem, aut gratiam causat, sicut parentes filio humanam naturam tribuunt) ideo major est obligatio, saltem in rebus ad naturam pertinentibus, erga parentes, quàm erga amicum, qui te convertit ad fidem.

XX. Ad secundum. Dicunt multi, quòd si pater, aut mater fuissent crudeles in filium, adeo ut voluissent eum occidere, & ab amico fuisset ereptus; liceret filio, parentibus prætermissis, talem amicum prædiligere, & juvare: quia beneficium parentum per hoc, quod vitam filio eripere voluerunt, valde est diminutum. Ut enim ait S. Thom. hâc qu. 26. a. 10. *Potest in omnibus hujusmodi tanta esse distantia virtutis, & malitiæ, ut amicitia solvatur, vel minuatur* — Attamen Bannez, & alii probabiliter existimant, quòd filius, etiam in tali casu, non teneatur parentes postponere, sed solùm quòd possit.

Quæ dixi de filiis erga parentes, vicissim de parentibus erga filios intelligenda sunt: ut scilicet parentes juvare debeant filios præ omnibus amicis, per se loquendo, in iis, quæ pertinent ad naturam. Cùm autem variæ possint esse circumstantiæ locorum, temporum, ac negotiorum, quibus & filii teneantur postponere parentes, & parentes filios; ideo, ut ait S. Tho. *q. 31. a. 3.* pro omnibus eventibus una certa regula assignari non potest. Sed solùm, quòd, per se loquendo, conjunctiores secundùm naturam, in his, quæ naturam spectant, cæteris paribus, præferendi sunt: ideoque per se priùs subveniendum est fratri, & sorori, & successivè aliis consanguineis ordine servato: licèt per accidens ratione specialis beneficii accepti, vel ratione aliarum conjunctionum civilis, & militaris, amici, vel alii, etsi non consanguinei, præferendi sint. Unde S. Tho. in 3. *dist. 29. a. 6. ad 5.* ait: *Sed in aliis beneficiis possumus nos quandoque magis amicabiliter habere ad extraneos, quàm ad propinquos*.

XXI. Hactenus de necessitate naturali sermo factus est. Sed quid de necessitate spirituali dicendum erit? In pari enim necessitate spirituali præferen-

ferendi sunt parentes carnales, an spirituales?

XXII. Respondeo, probabiliùs parentes carnales esse præferendos. Primò. Quia parentes carnales ex dictis sunt magis ex caritate diligendi, quàm alii: at nisi in necessitate spirituali præferantur aliis, non magis diligentur ex caritate, sed solùm amore naturali: quia amor caritatis præcipuè fundatur super communicatione bonorum spiritualium ad beatitudinem conducentium; ergo &c. — Secundò. Ut docet S. Tho. in 3. dist. 29. a. 7. *Caritas ordinem naturæ non mutat:* sed ordine naturæ parentes præferuntur aliis; ergo etiam ordine caritatis. Parum autem esset, si filii tenerentur curam habere vitæ corporalis parentum præ aliis, non autem vitæ animæ illorum: quid enim prodest vita corporalis, si amittatur spiritualis, & æterna?

XXIII. Hinc Episcopus, aut Pastor in pari extremâ necessitate debet prius succurrere patri, vel matri, etsi non essent ejus curæ pastorali commissi; quàm filiis, vel parentibus spiritualibus (modò ne communitatem ipsam relinquat in periculo) quia conjunctio naturalis prævalet obligationi, quam ex officio superveniente habet erga alios. Cum tamen obligatio erga alios consanguineos non sit adeo arcta, quàm erga parentes, & filios (si forte haberet) Pastor, & alius, cui incumbit cura animarum, potiùs debet juvare spiritualiter conjunctos, quàm fratres, aut alios cognatos.

XXIV. Neque his, quæ dicta sunt, contrarius est D. Tho. dum hâc q. 26. a. 8. ad 2. ait, quòd quantùm ad communicationem gratiæ, & instructionem morum *Magis subvenire debet homo filiis spiritualibus, quos spiritualiter genuit, quàm filiis corporalibus.* Nam D. Tho. loquitur extra casum paris necessitatis extremæ, vel gravis. Extra hanc enim, non solùm licet, sed interdum oportet, filiis spiritualibus subvenire magis, quàm carnalibus.

XXV. Observo tamen, non peccare mortaliter eum, qui patri carnali præponeret spiritualem, filio carnali spiritualem, fratri carnali spiritualem; uti nec si quis magis diligeret meliores, quàm conjunctiores minus bonos: quia non omnino convenit inter auctores, quis, cui sit de necessitate præferendus.

Ex his quæres primò: Quis sit magis diligendus pater, an filius?

XXVI. Respondet S. Tho. hâc q. 26. a. 9. quòd gradus dilectionis ex duobus pensari potest. Vel ex parte objecti; & secundùm hoc id, quod habet majorem rationem boni, est magis diligendum, & quod est Deo similius: & sic pater est magis diligendus, quàm filius: quia scilicet patrem diligimus sub ratione principii, quod habet rationem eminentioris boni, & Deo similioris. Alio modo computatur gradus dilectionis ex parte ipsius diligentis; & sic magis diligitur, quod est conjunctius: & secundùm hoc filius est magis diligendus, quàm pater. Quia pater diligit filium, ut aliquid sui: unde dilectio, quâ pater diligit filium, similior est dilectioni, quâ quis diligit se ipsum. Et addit ad primum: *Quòd principio debetur subjectio, reverentia, & honor: effectui autem proportionaliter competit recipere influentiam principii, & provisionem ipsius. Et propter hoc parentibus à filiis magis debetur honor: filiis autem magis debetur cura provisionis.* Quæ tamen intelligenda sunt extra casum necessitatis. Nam, ut ait ibi ad tertium: *In articulo necessitatis filius obligatus est ex beneficiis susceptis, ut parentibus maximè provideat.*

XXVII. Hinc colligo, patrem simpliciter, & appretiativè esse præferendum ex caritate filio. Tùm quia: homo plura beneficia recipit à patre, & priùs fuit dilectus à patre, quàm à filio suo. Tùm quia: homo diligit patrem, ut principium, & causam sui; filium verò, ut effectum suum: major autem dependentia est, & obligatio

esse-

effectus ad causam, quàm causæ ad effectum. Et propterea (inquit S. Th. in 3. dist. 29. a. 7.) *Homo faciliùs expellit à se filium, quàm patrem, quem non expellit, nisi propter abundantem malitiam.* Quamvis ergo filius magis sit conjunctus patri, utpote aliquid ejus, quàm pater filio; quia tamen pater est valde conjunctus filio, tanquam ejus causa, & ultra hoc adduntur rationes, quæ excessum alterius conjunctionis superant; ideo per se loquendo, Pater est magis diligendus, quàm filius: ita tamen, ut extra casum necessitatis extremæ, vel gravis, succurrendum sit potius filio, quàm patri. Unde Apostolus 2. ad Cor. 12. v. 14. *Non enim* (inquit) *debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis.* In gravi autem necessitate potius succurratur patri, quàm filio, ut nuper dicebamus, ex D. Tho. hoc *art. 9. ad* 3. ac patri semper debeatur honor, reverentia, & obedientia. Utrumque docet S. Tho hàc 2. 2. *q. 31. a. 3. ad* 4. his verbis: *Parentes sunt sicut superiores. Et ideo amor parentum est ad benefaciendum, amor autem filiorum est ad honorandos parentes. Et tamen in necessitatis extremæ articulo magis liceret deserere filios, quàm parentes; quos nullo modo deserere licet, propter obligationem beneficiorum susceptorum.* Quæ de patre dicimus, de matre dicenda sunt.

Sed quæres secundò: Quem homo magis diligere debeat, patrem, an matrem? Parentes, an uxorem?

XXVIII. Ad primum quæsitum respondet S. Tho. hàc *q. 26. a. 10.* Per se loquendo patrem magis diligendum esse, quàm matrem. Et probat primò ex Sancto Hieronymo, *in cap. 44. Ezechielis*, dicente: *Natura super hoc probatur affectus, ut ordine caritatis .... post rerum Parentem Deum, carnis quoque pater diligatur, & mater, filius, & filia, frater, & soror: ita dumtaxat, si de domo non exierit, nec in alterius transierit potestatem.* Quibus, ut notat S. Tho. post Deum priùs ponitur diligendus pater, deinde mater. Et rationem dat: *Amantur enim pater, & mater, ut principia quædam naturalis originis. Pater autem habet excellentiorem rationem principii, quàm mater: quia pater est principium per modum agentis, mater autem magis per modum patientis, & materiæ. Et ideo, per se loquendo, pater est magis diligendus.* Nec refert, matrem plus laborare in generatione, & educatione filii: ideoque esse magis amandam. Quia etiam mater plus diligit filium, quàm pater. — Nam hìc loquimur de dilectione per se debita patri, & matri, secundùm generationis rationem, in qua pater excellit, utpote principium activum; non de dilectione debita magis diligenti, & magis laboranti, ut docet D. Thom. hìc *ad* 2. Eo vel maximè, quia, ut addit Cajetanus, ad 3. *Major excellentia principii præponderat majori labori matris in generatione: quoniam ratio boni magis attenditur in objecto per se dilectionis, quàm ratio difficilis, seu laboriosi.*

Quare dicit S. Thom. per accidens adesse posse alias rationes in matre, quæ ipsam magis diligibilem reddant: ut si magis diligat, si sit bona, & habuerit diligentem curam educationis, & institutionis filii; pater malus, & nullam curam habuerit.

XXIX. Ad secundum quæsitum respondet S. Doct. ibidem art. 11. *Quòd gradus dilectionis attendi potest, & secundùm rationem boni; & secundùm conjunctionem ad diligentem. Secundùm ergo rationem boni, quod est objectum dilectionis, magis diligendi sunt parentes, quàm uxor: quia diliguntur sub ratione principii, & eminentioris cujusdam boni. Secundùm autem rationem conjunctionis, magis diligenda est uxor: quia uxor conjungitur viro, ut una caro existens, secundùm illud, Matth. 19.* Itaque jam non sunt duo, sed una caro.

Nota tamen: quòd cùm S. Thom. *Q. 2. de Verit.* (quæ est de caritate) *a. 9. ad* 18. & in 3. *dist. 29. art. 7. ad* 3.

ad 3. ponat uxorem in eodem gradu dilectionis cum filiis; quia sicut filii diliguntur ut aliquid patris, ita uxor diligitur, ut aliquid viri: idcirco sicut absolutè debet pater curam habere providendi filiis, ita etiam uxori in necessariis. Sicut autem in casu extremæ necessitatis magis obligatur subvenire parentibus, quàm filiis: ita magis tenebitur parentibus subvenire, quam uxori. Quia tamen excessus, qui est in hujusmodi debito, non est multum notabilis: ideo non videretur peccare mortaliter, qui præfatum ordinem immutaret.

XXX. Sed dices. Minùs absolutè videntur diligendi parentes, quàm uxor. Tùm quia: nemo dimittit rem aliquam, nisi pro re magis dilecta: sed, *Genes.* 2. *v.* 24. dicitur, quòd propter uxorem *Relinquet homo patrem, & matrem;* ergo magis debet diligere uxorem, quàm parentes.

Tùm quia: *Ephes.* 5. *v.* 28. dicitur: *Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit:* sed homo debet magis diligere seipsum, quàm parentes; ergo &c.

È contra videtur minùs diligenda uxor. Nam *Ephes.* 5. *v.* 28. dicitur, quòd *Viri debent diligere uxores suas, ut corpora sua:* sed ex dictis homo debet corpus suum diligere minùs, quàm proximum; ergo minùs à fortiori debet uxorem diligere, quàm parentes.

XXXI. Respondet S. Thom. hoc *a.* 11. ad primam instantiam. neg. ant. Ad primam ejus probat. dicit: *Quòd non quantùm ad omnia deseritur pater, & mater, propter uxorem: in quibusdam enim magis debet homo assistere parentibus, quàm uxori. Sed quantùm ad unionem carnalis copulæ, & cohabitationis, relictis omnibus parentibus, homo adhæret uxori* (ita ad 1.)

Ad aliam dicit ibi (ad 2.) *Quòd in verbis Apostoli non est intelligendum, quòd homo debeat diligere uxorem suam æqualiter sibi ipsi: sed quia dilectio, quam aliquis habet ad seipsum, est ratio dilectionis, quam quis habet ad uxorem sibi conjunctam.*

Ad id verò, quod è contra opponitur, respondet S. Thom. ibidem: *Quòd illud etiam non est sic intelligendum, quòd ly* sicut *importet æqualitatem, sed rationem dilectionis. Diligit enim homo uxorem suam principaliter ratione carnalis conjunctionis.*

XXXII. Tandem S. Thom. *a.* 13. hujus *q.* 26. docet, caritatis ordinem in Patria manere, sed secundùm aliqua mutari. Manebit ergo quantùm ad ordinem diligendi Deum. Ibi enim Deus super omnia diligetur, quia eo perfectè fruemur: diligetur etiam in hoc ordine Christus, etiam ut homo. Tùm quia: Christus, cùm sit una tantùm persona, & hæc divina, non debet seorsim diligi ut homo, & seorsim ut Deus; sicut nec seorsim adorari debet ejus humanitas, & seorsim divinitas, ut ostenditur 3. *p. q.* 25. *a.* 2. Tùm quia: etiamsi diligeretur seorsim, ut homo, adhuc tamen esset diligendus magis, quàm nos ipsi; utpote salutis nostræ Auctor, & prima causa meritoria nostræ caritatis. De Beatissima autem Virgine Maria, an à Beatis diligatur supra seipsos; certum est, eam magis diligi objectivè: non tamen ita certum, an diligatur magis etiam intensivè, vel appretiativè. Quia licèt debeamus ei velle majora præmia beatitudinis; eo quòd sit mater Dei exaltata super omnes creaturas: sed non ita certum est, quòd debeamus erga eam magis affici, vel potiùs ei velle bonum, quàm nobis.

Manebit etiam ordo circa seipsum: unde post Deum quilibet Beatus magis simpliciter diliget seipsum, quàm alios, etiam meliores, minùs tamen ex parte objecti. Prior pars probatur. Quia *Donum caritatis unicuique confertur à Deo, ut primò quidem mentem suam in Deum ordinet, quod pertinet ad dilectionem sui ipsius: secundariò verò ordinem aliorum in Deum velit, vel etiam operetur secundùm suum modum.* Cùm ergo intensio dilectionis proveniat ex parte diligentis, fit, ut magis

gis intensivè diligat seipsum, & etiam appretiativè: ita ut magis velit adhærere Deo, quàm alii, & minùs velit, animam suam separari à Deo, quàm alias.

Posterior etiam pars prob. à S. Doct. sic: *Volet enim quilibet beatus, unumquemque habere, quod sibi debetur secundùm divinam justitiam: propter perfectam conformitatem voluntatis humanæ ad divinam*; ergo unusquisque volet magis beato maius bonum, quàm sibi minùs beato. Neque enim erit tunc ampliùs tempus proficiendi, & conandi ad majorem gratiam, & gloriam assequendam; sicut modò potest sibi desiderare majorem virtutem, & præmium, & consequenter majus bonum, quia nunc est tempus proficiendi. *Sed tunc voluntas unjuscujusque infra hoc sistet, quod est determinatum divinitus*.

XXXIII. Non autem manebit in Patria idem ordo diligendi proximos, qui est in via: sed unusquisque magis diliget sanctiorem, non habitâ ratione, an sit propinquus, vel extraneus, an pater, vel mater, an filius, an frater &c. Quia totus ordo dilectionis Beatorum observabitur per comparationem ad Deum; ut, scilicet, ille magis diligatur, & proquinquior habeatur, qui erit propinquior Deo. Et hoc: tùm quia, cùm sit conjunctus immobiliter cum fine, ejus dilectio debet unicè regulari à fine. Tùm quia: ibi cessat omnis provisio, tàm spiritualium, quàm temporalium, propter quàm hìc præferri debent consanguinei extraneis. Addit tamen S. Thom. quòd continget in Patria, ut *Aliquis sibi conjunctum pluribus modis diligat: non enim cessabunt ab animo Beati honestæ dilectionis causæ. Tamen omnibus istis rationibus præfertur incomparabiliter ratio dilectionis, quæ sumitur ex propinquitate ad Deum*. Quare si extraneus esset parenti meo æqualis in gloria; pluribus quidem modis diligam parentem in Patria, sed non intensiùs, quàm extraneum.

Non tamen Beatus plùs diliget Deo propinquiores, quàm seipsum. Ut enim dictum est, & S. Thom. hoc *a.* 13. *ad* 1. docet, quantò magis perfecta est caritas, tantò facit, ut subjectum eam habens perfectiùs amet seipsum intensivè. Quia caritas ex natura suâ habet, ut magis inclinet ad inhærendum Deo animam ejus, cui inhæret, quàm aliorum.

DUBIUM V.

De Eleemosyna, ejusque Obligatione.

§. I.

Eleemosyna quid sit, & Quotuplex?

I. Eleemosyna græcè, latinè *misericordia* dicitur. Communi tamen usu non quivis actus misericordiæ dicitur eleemosyna; sed is solum, quo aliquid datur indigenti, ad ejus necessitatem sublevandam. Vocatur quoque interdùm generali nomine *justitia*: sive quia pars justitiæ sit, sive quia ad justificationem disponat. Quare illa Christi verba, Matth. 6. v. 1. *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus*, à S. Chrysostomo, *Homil.* 19. *in Matth.* de eleemosyna intelliguntur. De hac agit S. Thom. hâc 2. 2. *q.* 32. ex quo aliqua pro instructione delibabo.

II. Articulo ergo primo docet, eleemosynam esse actum caritatis mediante misericordiâ. Esse actum caritatis constat. Tùm quia: vulgari nomine eleemosyna *Caritas* nuncupatur. Tùm quia: Veteres, id, quod aliàs dicitur eleemosyna, *Agapen*, idest, caritatem vocabant; ut videre est apud Tertullianum, *lib. ad Martyres c.* 2. & Cyprianum *l.* 3. *Testim. ad Quirinum c.* 3. An autem eleemosyna sit actus à caritate elicitus, an solùm imperatus: probabilius censetur, esse actum à caritate imperatum, mediante virtute misericordiæ, ex cujus motivo, nempe, sublevatione alienæ miseriæ, eleemosyna immediatè tribuitur. Ex

quo

quo motivo etiam Ethnici, quamvis caritate supernaturali destituti, eleemosynas erogabant. Estò autem ad eandem virtutem elicitivè pertineat actus exterior, quando idem est motivum, non solùm ex parte agentis, sed etiam ex parte operis, & formale; quando tamen motivum formale, & ex parte operis, & objecti est diversum, ut in casu, elicientia actus externi pertinet ad diversam virtutem. Quia tamen actus misericordiæ sinè caritate, ut ait S. Thom. citatus *ad 1.* est actus misericordiæ solùm materialiter; propterea formaliter eleemosynas dare, idest, propter Deum, non potest esse sinè caritate ordinante, & imperante: unde eleemosyna sic accepta definiri potest: *Opus, quo datur aliquid indigenti ex compassione, propter Deum.*

III. Eleemosyna distinguitur in corporalem, & spiritualem. Ita S. Th. hìc *a.* 2. Quia eleemosyna ordinatur ad subveniendum necessitatibus, & indigentiis proximorum: hæ autem sunt vel corporales, vel spirituales, quibus septem modis potest subveniri. Corporalibus quidem: nam vel indigentia est in hac vitâ, vel post hanc vitam. Si in hac vita; aut est communis, aut specialis ex aliquo accidente. Si communis; aut est interior, aut exterior. Si interior; aut est indigentia cibi, quæ dicitur *fames*; & huic subvenitur per alimentum: & hoc est *pascere esurientem*. Vel est, indigentia humidi, nempe, sitis; & huic subvenitur per potum: & hoc est *potare sitientem*. Si indigentia est alicius exterioris; aut est tegumenti, & huic subvenitur per vestem; unde dicitur: *Vestire nudum*. Aut est habitaculi; & huic succurritur per hospitium; unde dicitur: *Suscipere hospitem*. Si verò indigentia est specialis; aut est ex causa intrinseca, sicut infirmitas: & huic subvenitur per hoc, quod est: *Visitare infirmos*. Vel ex causa extrinseca, ut est captivitas: & huic subvenit *Redemtio captivorum*. Vel tandem indigentia est post hanc vitam, & huic subvenit mortui sepultura. Unde versus

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

IV. Necessitatibus autem spiritualibus proximi aliis septem modis subvenitur. Primo modo, petendo auxilium à Deo: & ad hoc ponitur *Oratio*, quâ quis pro aliis orat. Alio modo, impendendo humanum auxilium: & hoc, vel contra defectum intellectus speculativi: & huic subvenitur *per doctrinam* vel intellectus practici: & huic succurritur *per consilium*. Vel defectus est in passione appetitivæ partis, inter quos maximus est tristitia: & huic subvenitur *per consolationem*. Tertio modo, defectus est in inordinatione actus: & hic, vel est ex parte peccantis, qui inordinatè procedit: & huic occurritur *per correctionem*. Vel defectus consideratur ex parte ejus, in quem peccatur. Et si quidem peccatum sit in Deum, occurrimus, *remittendo offensam*. Si verò sit in Deum, vel proximum, subvenire nostrum non est. Vel ex actu inordinato sequuntur gravamina apud conviventes, etiam præter peccantis intentionem: & his occurritur, *Patienter supportando*, juxta illud, Galat. 6. v. 2. *Alter alterius onera portate*. Quæ omnia claudit sequens versus:

Consule, carpe, doce, solare, remitte, fer, ora.

V. Eleemosynas spirituales potiores esse corporalibus, docet S. Thom. hìc *a.* 3. simpliciter loquendo. Primò. Quia id, quod exhibetur, nobilius est, scilicet donum spirituale, quod præeminet corporali. Secundò. Ratione ejus, cui subvenitur; quia spiritus nobilior est corpore. Tertiò. Quantum ad actus, quibus proximo subvenitur; quia spirituales actus sunt nobiliores corporalibus, qui sunt quasi serviles. Interdum tamen eleemosyna corporalis præferenda est spirituali; non quia nobilior, sed quia magis necessaria. Potiùs enim pascendus est

est fame moriturus, quàm docendus ignorans; cùm hic, & alio tempore, & tùm à te, tùm ab aliis doceri possit; fame autem morituro non possit postea subveniri.

VI. Docet præterea S. Thom. *a.* 4. Eleemosynam corporalem, estò secundùm suam substantiam non habeat nisi corporalem effectum, nimirum, supplere indigentias corporales proximorum, ex parte tamen causæ, inquantùm datur propter amorem Dei, & proximi, affert fructum spiritualem: sicut etiam ex parte effectus, inquantùm ille, cui per eleemosynam subvenitur, movetur ad orandum pro benefactore, juxta illud, Ecclesiastici 29. v. 15. *Conclude eleemosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.*

VII. Si quæras: An qui facit eleemosynam majorem ex minori caritate plus mereatur, quàm qui ex majori caritate facit minorem? Respondeo, istum magis mereri, loquendo de præmio essentiali, quod quantitati caritatis respondet: illum verò magis mereri, loquendo de præmio accidentali, quod datur pro specie, seu quantitate operis, ut ex S. Thom. *in* 1. *Cor. c.* 3. *Lect.* 2. Absolutè tamen plus mereri, qui parum, sed majori caritate dat, pronuntiavit Christus, *Luca* 21. de illa vidua, quæ duo sola æra minuta dando, plus omnibus misit. Nam (ut ait S. Thom. hoc a. 4. ad 3.) *Vidua, quæ minus dedit secundùm quantitatem, plus dedit secundùm suam proportionem: ex quo pensatur in ipsa major caritatis affectus, ex quo corporalis eleemosyna spiritualem efficaciam habet.*

§. II.

An Eleemosyna sit in Præcepto?

VIII. MAnichæi, referente S. Augustino *l. contra Adimantum c.* 17. & *lib.* 20. *contra Faustum c.* 16. nullum visi sunt agnovisse præceptum, imò neque consilium de eleemosyna eroganda; cùm vetarent, panem porrigere supplici mendico. Oppositum tamen, nedum D. Thomas hoc *a.* 5. sed Scriptura, imò natura ipsa docet. Quare

IX. Dico. Eleemosynam dare, est in præcepto. Ita de fide tenendum est. Scripturâ enim constat, eos damnari, qui eleemosynas facere neglexerunt: Matth. 25. v. 41. & 42. *Discedite à me maledicti in ignem æternum .... esurivi enim, & non dedistis mihi manducare &c.* Deinde sinè caritate non possumus salvari: sed non habet caritatem, qui proximo suo indigenti non subvenit. Unde Joannes, Epist. 1. c. 3. v. 17. *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo?* Jacobi 2. v. 13. *Judicium sinè misericordia illi, qui non fecit misericordiam.* Quod & manifesto divitis Epulonis exemplo, *Luca* 16. comprobatur; qui æternis flammis addictus legitur, quòd Lazari mendici misertus non fuerit. Et Prov. 21. v. 13. *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur.* Quibus omnibus constat, peccare mortaliter eum, qui urgente præcepto dandi eleemosynam, eam omitteret: peccaret, inquam, non solùm contra jus divinum positivum, sed etiam contra jus naturale: propter rationem sequentem D. Thomæ,

X. Quæ talis est. *Cùm dilectio proximi sit in præcepto, necesse est, omnia illa cadere sub præcepto, sinè quibus dilectio proximi non conservatur:* sed ad *dilectionem proximi* requiritur, ut *proximo non solùm velimus bonum, sed etiam operemur, secundùm illud,* 1. *Joan.* 3. *v.* 18. Non diligamus verbo, neque linguâ, sed opere, & veritate. *Ad hoc autem, quòd velimus, & operemur bonum alicujus, requiritur, quòd ejus necessitati subveniamus, quod fit per eleemosynarum largitionem;* ergo *eleemosynarum largitio est in præcepto.* Et confirmatur. Qui enim contra ageret,

ret, violaret mutuam beneficiorum communicationem, quæ ad amicabilem convictum est necessaria.

XI. Nec dicas, Christum, *Marci* 14. reliquisse hominum libertati dare eleemosynam. Ait enim: *Pauperes semper habetis vobiscum, & cum volueritis, potestis eis benefacere.*

Respondeo, neg. ant. Ut enim docent Patres, præcipuè Cyprianus, *l. de Opere, & Eleemosynis*, Dominus *inter sua mandata divina, & præcepta cælestia nihil crebriùs mandat, & præcipit, quàm ut insistamus eleemosynis dandis*. Ad oppositum ergo textum nego similiter id, quod ex eo concluditur. Nam Christus ibi (ut ex contextu) non significat, liberum esse dare eleemosynam; sed quibusdam indignè ferentibus, quòd mulier vas unguenti effudisset super caput ejus, ac dicentibus, quòd poterat unguentum illud venundari, & dari pauperibus; eis respondit, opportunitatem pauperibus benefaciendi, modò non desit voluntas, semper futuram, quia semper erunt pauperes: non tamen futuram opportunitatem illud pium opus faciendi in sua personâ, quia non semper futurus erat cum illis visibilis, & mortalis.

XII. Dices secundò. *Daniel. c. 4. v. 24.* proposuit Nabuchodonosori eleemosynam, tanquam consilium, dicens: *Consilium meum Regi placeat: peccata tua eleemosynis redime;* ergo eleemosyna non est in præcepto.

Variè huic respondetur. S. Tho. hoc *a. 5. ad 1.* dicit, quòd Nabuchodonosor nondum legem, & cultum unius Dei acceptaverat; ideoque hoc particulare præceptum, non erat illi proponendum per modum præcepti, ne fortè responderet, se non acceptare talem legem: sed prudenter per modum consilii proponendum erat — Secundò respondet idem S. Doct. Danielem proposuisse eleemosynam, per modum consilii; quia in ea circumstantiâ præceptum eleemosynæ non obligabat. Cùm enim ad redimenda peccata, alia adessent media, eleemosyna erat proponenda per modum cosilii, scilicet, tanquam medium aptius ad obtinendam veniam.

XIII. Dices tertiò. Cuilibet licet uti re suâ, & eam retinere; ergo non tenetur eam alteri dare, & erogare in eleemosynam.

Respondet S. Tho. hic ad 2. *Quòd bona temporalia, quæ homini divinitus conferuntur, ejus quidem sunt quantùm ad proprietatem: sed quantùm ad usum, non solùm debent esse ejus, sed etiam aliorum, qui ex eis sustentari possint ex eo, quod ei superfluit.* Quod enim diviti superest, hoc pauperis esse, ostendit ex S. Basilio, *Homil. in Luca* 12. & S. Ambrosio, *Serm. 64. de Temp.* ut habetur in Decret. c. *Sicut ii*, dist. 47.

Quapropter in 4. dist. 15. q. 2. a. 1. qu. 4. ad. 2. *Sicut* (inquit) *est accipere superfluum, & diminutum in datione: ita in retentione, & acceptione, ut Phil. dicit in 5. Eth. Et ideo aliquis retinendo sua, contra virtutem facit quandoque, & per consequens contra legem Dei, quæ ad omnem virtutis actum sufficienter ordinat.*

XIV. Si quæras: Sub quo legis Dei præcepto contineatur præceptum eleemosynam erogandi.

Respondet D. Tho. hoc *a. 5. ad 4. & in 4. dist. 15. q. 2. a. 1. qu. 4. ad 3.* reduci ad præceptum affirmativum, quod est honorare parentes. Licèt autem in hoc exprimatur solum debitum pietatis subveniendi parentibus: cùm tamen parentes primum locum habeant in numero proximorum, sub isto nomine omnis proximus proportionaliter continetur. Scio, quosdam velle præceptum eleemosynæ divagari per omnia præcepta secundæ tabulæ: sed responsio Sancti Thomæ tenenda est.

§. III.

§. III.

De quo Eleemosyna facienda sit, & quo Tempore Obliget.

XV. IN eleemosyna faciendâ, ejusque obligatione duo (inquit S. Tho. hoc *a.* 5.) consideranda sunt. Unum ex parte *dantis*, alterum ex parte *recipientis*. Ex parte dantis, considerandum est, ut id, quod est in eleemosynas erogandum, sit ei superfluum, secundùm illud, Lucæ 11. v. 41. *Quod superest, date eleemosynam*. Superfluum autem est, non solùm quod est supra necessarium individuo, vel personæ, sed etiam aliis, quorum persona illa curam gerit. *Quia priùs oportet, quòd unusquisque sibi provideat, & his, quorum cura ei incumbit; & postea de residuo aliorum necessitatibus subveniat. Sicut & natura primò accipit sibi ad sustentationem proprii corporis, quod est necessarium, ministerio virtutis nutritivæ; superfluum autem erogat ad generationem alterius per virtutem generativam.* Quare Patrifamilias id superfluum censebitur, quod est supra necessarium, & sibi, & congruæ suæ familiæ sustentationi.

Ex parte autem recipientis requiritur, quòd necessitatem habeat; alioquin non esset ratio, quare eleemosyna illi daretur. Sed cùm non possit ab aliquo uno omnibus necessitatem habentibus subveniri, non omnis necessitas obligat ad præceptum; sed illa sola, sinè quâ is, qui necessitatem patitur, sustentari non potest .... Sic ergo dare eleemosynam de superfluo est in præcepto, & dare eleemosynam ei, qui est in extrema necessitate: alias autem eleemosynas dare, est in consilio; sicut & de quolibet meliori bono dantur consilia.

XVI. Ex præfatis D. Tho. verbis, sicut & ex eis, quæ docet *a.* 6. sequenti concluditur, non teneri quempiam, saltem regulariter, de sibi omnino necessario eleemosynam dare: *Puta, si aliquis in articulo necessitatis constitutus haberet solùm, unde posset sustentari, & filii sui, vel alii ad eum pertinentes: de hoc enim necessario eleemosynam dare, est sibi, & filiis suis vitam subtrahere.* Addit tamen S. Doct. *Sed hoc dico, nisi fortè talis casus immineret, ubi subtrahendo sibi, daret alicui magnæ personæ, per quam Ecclesia, vel Respublica sustentaretur. Quia pro talis personæ liberatione, seipsum, & suos laudabiliter periculo mortis exponeret: cùm bonum commune sit proprio præferendum.*

XVII. *Alio modo* (prosequitur S. Th.) *dicitur aliquid necessarium, sinè quo non potest convenienter vita transigi, secundùm conditionem, & statum propriæ personæ, & aliarum personarum, quarum cura ei incumbit. Hujusmodi necessarii terminus non est in indivisibili constitutus: sed multis additis, non potest dijudicari, esse ultra tale necessarium; & multis subtractis, adhuc remanet, unde possit convenienter aliquis vitam transigere, secundùm proprium statum. De hujusmodi verò eleemosynam dare est bonum, & non cadit sub præcepto, sed sub consilio. Inordinatum esset autem, si aliquis sibi tantum de bonis propriis subtraheret; ut aliis largiretur, quòd de residuo non posset vitam transigere convenienter, secundùm proprium statum, & negotia occurrentia. Nullus enim inconvenienter vivere debet.*

Hæc S. Thom. qui tamen excipit tres casus. Primum ejus, qui statum mutat, puta, Religionem ingrediens, & omnia propter Christum relinquens. Secundum: *Quando ea, quæ sibi subtrahit, etsi sint necessaria ad convenientiam vitæ, tamen de facili resarciri possunt.* Tertium: *Quando occurreret extrema necessitas alicujus privatæ personæ, vel etiam magna necessitas Reipublicæ. In his enim casibus laudabiliter prætermitteret aliquis id, quod ad decentiam sui status pertinere videretur, ut majori necessitati subveniret.*

XVIII. Hoc tamen necessarium ad decentiam proprii status, quamvis, ut ait D. Thom. in indivisibili non

consistat, non est adeo extendendum, ut incidamus in opinionem ab Innoc. XI. num. 12. damnatam, quæ asserebat: *Vix in secularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui: & ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantùm ex superfluo statui.* In quo errore sunt illi, quorum status decentiæ sufficerent puta mille; ipsi tamen in pompa, luxu, vestibus, cibis, famulis, aliisque statum excedentibus, nec non voluptatibus exsaturandis duo millia expendunt: adeo ut non solùm non habeant de superfluo, sed vix de necessario. Sicut è converso alii, qui vano timore, ne suo statui desint necessaria, pecunias, aliaque detinent, quæ essent pauperibus eroganda: et hoc titulo se ab obligatione elargiendi eleemosynas exemtos putant. Hi enim sunt, contra quos clamat Basilius, à D. Thom. hìc *a. 5. ad 2.* relatus: *Est panis famelici, quem tu tenes; nudi tunica, quam in conclavi conservas; discalceati calceus, qui penes te marcescit; indigentis argentum, quod possides inhumatum. Quocirca tot injuriaris, quot dare valens es.*

XIX. Superest videre: an de injustè acquisitis possit eleemosyna fieri.

S. Thom. hàc *qu. 32. a. 7.* dicit: *Tripliciter potest aliquid esse illicitè acquisitum. Uno enim modo id illicitè ab aliquo acquiritur, quod debetur ei, à quo est acquisitum; nec potest ab eo retineri, qui acquisivit: sicut contingit in rapina, & furto, & usuris. Et de talibus, cùm homo teneatur ad restitutionem, eleemosyna fieri non potest.*

Alio verò modo est aliquid illicitè acquisitum, quia ille quidem, qui acquisivit, retinere non potest, nec tamen debetur ei, à quo acquisivit; quia scilicet contra justitiam accepit, & alter contra justitiam dedit: sicut contingit in simonia, in qua dans, & accipiens contra justitiam legis divinæ agit: unde non debet fieri restitutio ei, qui dedit, sed debet in eleemosynas erogari. Et eadem ratio est in similibus, in quibus scilicet datio, & acceptio est contra legem.

Tertio modò est aliquid illicitè acquisitum, non quidem, quia ipsa acquisitio sit illicita: sed quia id, ex quo acquiritur est illicitum: sicut patet de eo, quod mulier acquirit per meretricium. Et hoc propriè vocatur: Turpe lucrum. *Quòd enim mulier meretricium exerceat, turpiter agit, & contra legem Dei: sed in eo, quod accipit, non injustè agit, nec contra legem. Unde quod sic illicitè acquisitum est, retineri potest, & de eo eleemosyna fieri.* Hoc tamen non currit de adultera, quæ si pretium pro adulterio recipit, injustè recipit, & retinere non potest. Nemo enim de re non suâ pretium accipere potest, & vendere, quod suum non est. Uxor autem non est domina usus sui corporis, pro quo pretium recipit; & si recipit, dominium non acquirit, quia talis usus à nullo emi potest: ideoque de tali lucro eleemosynam erogare non potest.

XX. Quantùm ad illicitè acquisita per ludum S. Tho. ibidem *ad 2.* hæc habet: *Circa illa verò, quæ per alcas acquiruntur, videtur esse aliquid illicitum ex divino iure: scilicet, quòd aliquis lucretur ab his, qui rem suam alienare non possunt, sicut sunt minores, & furiosi, & hujusmodi. & quòd aliquis trahat alium ex cupiditate lucrandi ad ludum, & quòd fraudulenter ab eo lucretur. Et in his casibus tenetur ad restitutionem: & sic de eo non potest eleemosynam facere.*

Aliquid autem videtur esse ulteriùs illicitum ex jure positivo civili, quod prohibet universaliter tale lucrum. Sed quia jus civile non obligat omnes, sed eos solos, qui sunt his legibus subjecti; & iterum per dissuetudinem abrogari potest: ideo apud illos, qui sunt hujusmodi legibus obstricti, tenentur universaliter ad restitutionem, qui lucrantur: nisi forte contraria consuetudo praevaleat: aut nisi aliquis lucratus sit ab eo, qui traxit eum ad ludum. In quo casu non tenetur restituere; quia ille, qui amisit, non

non est dignus recipere, nec potest licitè retinere, tali jure positivo durante: unde debet de hoc eleemosynam facere in hoc casu.

Quoad alteram quæsiti partem de tempore, & casibus quibus obliget præceptum faciendi eleemosynam, quia præceptum hoc, utpote affirmativum, non obligat ad semper;

XXI. Dico primò. Si occurrat aliquis extremam patiens necessitatem, tenemur sub mortali ei subvenire, non solùm de eo, quod est superfluum naturæ, & statui; sed etiam de superfluo naturæ, quamvis sit necessarium statui. Prior pars constat ex doctrina supra allatâ, ex *art.* 5. Sancti Thomæ. Et quidem si præceptum hoc aliquo in casu obligat, non est assignabilis casus certior casu necessitatis extremæ.

Secunda verò pars probatur primò. Quia secundum ordinem caritatis debemus præferre vitam proximi decentiæ nostri status. Secundò Quia extremam necessitatem patiens licitè potest arripere aliena, etiam eo, qui ea habet, nolente: nec quisquam potest eum impedire, ergo signum est, quòd ea illi tenetur dare, si naturæ sint superflua: alioquin esset bellum ex utraque parte justum, si licitum esset, extremè indigenti superflua naturæ ab alio surripere, & licitum esset, ea habenti illi denegare. Et ratio est. Quia extrema necessitas facit omnia communia, quantùm ad usum: unde extremè indigens necessaria sibi accipiens, tollit quod suum est. — Nomine autem extremæ necessitatis non eam solam intelligimus, quâ aliquis jam nunc est ex inedia spiritum emissurus; sed etiam, quâ judicio valdè probabili apparet, eò deventurum, nisi ei succurratur. Ita ex D. Tho. *in* 4. *dist.* 15. *q.* 2. *a.* 1. *qu.* 4. *ad* 4.

Neque dicas, S. Thomam hìc *art.* 6. velle quidem, quòd sit *laudabile* de necessariis status extremè indigenti succurrere, non tamen in præcepto. — Nam S. Tho. hìc *a.* 5. duos assignat casus, quibus ex præcepto oporteat dare eleemosynam. Unum, quando habetur superfluum; alterum, quando occurrit extremam necessitatem patiens. Et *in* 4. *dist.* 15. *q.* 2. *a.* 1. *qu.* 4. docet, quòd *Præceptum legis obligat, quòd etiam necessitati extraneorum absoluta primò subveniatur, quàm necessitati propriæ, vel propinquorum conditionatæ.* Et quod repetit ibidem *ad* 4. Et *ad* 2. dicit: *Quando alius est in statu extremæ necessitatis, efficiuntur sibi omnia communia: unde etsi per violentiam, vel furtum acciperet, non peccaret.*

XXII. Dico secundò. In casu necessitatis, non quidem extremæ, sed gravis etiam tenemur facere eleemosynam de superfluo naturæ, quamvis sit necessarium statui. Ita plerique Doctores, & colligunt ex illo, 1. Joan. 3. v. 17. *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo?* Unde August. tract. 5. in illam Epistolam, cùm dixisset: *Esurit frater tuus, in necessitate positus est, fortassis suspenditur, à creditore angustiatur:* subiungit: Quòd *Si facultates mundi habes, quid ad me pertinet? Fortè dicis; ego daturus sum pecuniam meam, ne ille molestiam patiatur? Si hoc tibi responderit cor tuum, dilectio Patris non in te manet. Si dilectio Patris non in te manet, non es natus ex Deo &c.* Ubi sermo est de necessitate indefinitè, idest, non extremâ tantùm, sed etiam gravi.

XXIII. Hinc si proximus gravi, & periculoso morbo laboret, vel frigore vehementer affligatur: & sinè magno tui status detrimento possis subvenire, caritas exigit, ut subvenias. Idem judicium est, si proximo evidenter imminet periculum famæ, vel mortis: ordo enim caritatis postulat, ut succurramus gravi necessitati proximi, quando sinè magno nostro incommodo possumus. Nec tamen sequitur, quòd quis teneatur totum suum

patri-

patrimonium expendere pro vita rustici, si prædones eum essent occisuri. Nam sicut si quis à Turcis capiatur, non tenetur, se cum quantacumque, & totali status sui eversione, & familiæ redimere: ita multò minùs tenetur, alium cum tanto incommodo liberare, nisi fortè esset persona, ex qua salus Reipublicæ dependeret. Quare hujusmodi obligatio arbitrio prudentum pensanda est; dummodo hoc certum habeatur, mortaliter peccare, si eleemosynas dare quis omittat: *Cum apparet evidens, & urgens necessitas, nec apparet in promtu, qui ei subveniat*, ut docet D. Thom. hîc *art.* 5. *ad* 3. Nec sibi aduletur, putans, se non posse sinè gravi sui detrimento, cùm revera possit. Nec tamen è contra existimetur, multos damnari propter eleemosynam de necessario sui status in gravibus pauperum necessitatibus non datam. Nam ejusmodi graves necessitates non sunt adeo multæ, præsertim, quæ cognoscantur, & quibus aliâ viâ non subveniatur.

XXIV. Dico tertiò. Eum, qui habet superflua status, multò magis teneri ad eleemosynam faciendam, non solùm in gravi, sed in communibus pauperum necessitatibus. Quia tamen aliqui putant, oppositum sentire S. Th. ideo ejus mens sincerè exponenda est. Primò. In 4. *dist.* 15. *q.* 2. *a.* 1. *qu.* 4. *ad* 4. ubi dicit, quòd obligat præceptum de eleemosynis faciendis: *Ex parte dantis, quando habet homo multa, quibus non indiget, neque ad sustentationem vitæ, neque ad decentem status sui conservationem, etsi pauperes extremæ necessitatis non compareant*. Secundò. Ibidem a. 4. qu. 1. *Illud autem* (inquit) *quod necessarium reputatur ad aliquid, quod est ultra decentiam status, debet in eleemosynam dispensari: & hoc cadit sub præcepto*. Tertiò. *Quolib.* 8. *a.* 12. ubi hanc rem pertractat, dicit: *Supposito, quòd aliquis habeat de superfluo, & respectu individui, & respectu personæ, quod tenetur pauperibus erogare; aut videt in paupere petente signa evidentia extremæ necessitatis, aut non. Si videt, certum est, quòd tenetur dare, & peccat non dando.... Si verò non appareant, tunc non tenetur dare pauperi petenti; quia quamvis teneatur dare superfluum pauperibus, non tamen tenetur omnibus dare, nec huic dare: sed tenetur distribuere, secundùm quod sibi visum fuerit opportunum. Nec tenetur inquirere; quia hoc esset nimis grave, quòd de omnibus pauperibus inquireret: præcipuè cùm ad eum, qui necessitatem patitur, pertineat, ut necessitatem suam exponat*.

XXV. Quartò. Hâc 2. 2. *q.* 66. *a.* 7. format hunc discursum: *Ea, quæ sunt juris humani, non possunt derogare juri naturali, vel juri divino*: atqui *Secundùm naturalem ordinem ex divina providentiâ institutum, res inferiores sunt ordinatæ ad hoc, quòd ex his subveniatur hominum necessitati*; ergo *Per rerum divisionem, & appropriationem ex jure humano procedentem, non impeditur, quin hominum necessitati sit subveniendum ex hujusmodi rebus. Et ideo res, quas aliqui superabundanter habent, ex naturali jure debentur pauperum sustentationi..... Sed quia multi sunt necessitatem patientes, & non potest ex eadem re omnibus subveniri; committitur arbitrio uniuscujusque dispensatio propriarum rerum, ut ex eis subveniat necessitatem patientibus*.

§. IV.

Quinam possint Eleemosynam Facere?

XXVI. HOc quæsitum resolvit S.Th. hâc *quæst.* 32. *artic.* 8. dicens: *Quod ille, qui est sub potestate alterius constitutus, inquantùm hujusmodi, secundùm superioris potestatem regulari debet. Hic est enim ordo naturalis, ut inferiora secundùm superiora regulentur. Et ideo oportet, quòd ea, in quibus inferior superiori subjicitur, dispenset, non aliter, quàm ei sit à superiore permissum. Sic ergo ille, qui est sub potestate constitutus, de re, secun-*

dùm

dùm quam superiori subjicitur, eleemosynam facere non debet, nisi quatenus ei à superiore fuerit commissum. Si quis verò habeat aliquid, secundùm quod potestati superioris non subsit, jam secundùm hoc non est potestati subjectus, quantùm ad hoc proprii juris existens: & de hoc potest eleemosynam facere.

XXVII. Hinc ad 1. infert: *Quòd Monachus, si habet dispensationem à Prælato commissam, potest eleemosynas facere de rebus Monasterii, secundùm quod sibi est commissum. Si verò non habet dispensationem, quia nihil proprium habet, tunc non potest facere eleemosynam sinè licentiâ Abbatis, vel expressè habitâ, vel probabiliter præsumtâ: nisi fortè in articulo extremæ necessitatis, in quo licitum esset ei furari. Nec propter hoc efficitur pejoris conditionis; quia, ut dicitur, de Ecclesiasticis dogmatibus* (olim Augustino tributo, nunc Gennadio, cap. 35.) *Bonum est, facultates cum dispensatione pauperibus erogare: sed melius est pro intentione sequendi Dominum insimul omnia donare, & absolutum sollicitudine egere cum Christo.* Hoc idem docet in 4. *dist.* 15. *qu.* 2. *a.* 5. *quæst.* 4. & *Quolibeto* 3. *art.* 15. Sed non solùm de rebus Monasterii nequit Monachus absque licentia, sed nec de rebus illis, quas à parentibus accepit, vel à divitibus in eleemosynam acceptis, vel proprio labore acquisitis, vel de iis sibi ad victum, aut vestitum concessis. Nam quidquid habet Religiosus, est Monasterii: ipse autem incapax est, non solùm dominii, sed etiam legitimi usus, nisi quatenus à Superiore ei conceditur.

XXVIII. De uxore autem ait ibidem ad secundùm: *Quòd si uxor habeat alias res, præter dotem, quæ ordinatur ad sustentanda onera matrimonii, vel ex proprio lucro, vel quocumque alio licito modo, potest dare eleemosynas, etiam irrequisito assensu viri; moderatas tamen, ne ex earum superfluitate vir depauperetur. Alias autem non debet dare eleemosynas sinè consensu viri, vel expresso, vel præsumto, nisi in periculo necessitatis, sicut de Monacho dictum est. Quamvis enim mulier sit æqualis viro in actu matrimonii; tamen in his, quæ ad dispositionem domus pertinent*, vir caput est mulieris, *secundùm Apostolum*, 1. *Cor.* 11. Idem docet *in* 4. *dist.* 15. *q.* 2. *a.* 5. *quæst.* 1. Ubi addit, posse sinè consensu viri, etiam de rebus domus ipsi, & viro communibus, *Aliquas eleemosynas communes, & modicas* facere, *de quibus satis ei constare potest, quòd viro placeret, si necessitatem pauperis inspiceret.*

XXIX. De filiisfamilias docet hoc a. 8. ad 3. *Quòd ea, quæ sunt filiifamilias, sunt & patris; Ideo non potest eleemosynam facere, nisi fortè aliquam modicam, de qua potest præsumere, quòd patri placeat; nisi fortè alicujus rei esset sibi à patre dispensatio commissa.* Idem dicit *in* 4. *dist.* 15. *q.* 2. *a.* 5. *quæst.* 2. ubi addit ad 1. *Quòd quamvis filiusfamilias sit hæres, non tamen adhuc est dominus rerum: & ideo dare non potest.* Et ad 2. *Quòd ad victum corporalem tenentur ei parentes, nisi ex culpa suâ remaneat: & ideo potest uti rebus parentum ad necessitatem suam, non autem aliis dare.* Excipe tamen, si filiusfamilias eleemosynas faceret ad impediendum spirituale damnum, vel etiam temporale parentum, qui essent avari, & scelesti: tunc enim expediret filio (& idem dic de uxore) ad avertendam iram Dei, & ad eum ad saniorem mentem revocandum, etiam ipso invito, eleemosynas facere, sicut fecit Abigail, 1. *Reg.* 25.

XXX. De servis porrò, & ancillis hæc docet in 4. citato loco, quæst. 3. *Dicendum est de servis, & ancillis, & etiam famulis, quamvis sint liberæ conditionis, quòd non possunt eleemosynas dare de rebus dominorum, sinè eorum consensu, nisi panem, & hujusmodi, quæ, ut dictum est, non inferunt sensibile nocumentum. Quia etsi sit dispensator rerum, non tamen ponitur dispensator, quasi potestatem aliquam in re domini habens; sed quasi tractans eam ad utili-*

lita-

litatem domini. De pretio autem sui servitii constat, quòd possit eleemosynam dare.

XXXI. Nec valet dicere, quòd cùm eleemosynę sint bonum spirituale, semper præsumi potest, quòd domino placeant. Et rursùs: quòd sicut servus debet procurare bonum temporale; ita & multò magis bonum spirituale, & salutem animæ sui domini; quod maximè per eleemosynas procuratur, quomodo facimus suffragia pro mortuis.

Nam respondet S. Thom. citatâ quæst. 3. ad 1. *Quòd non oportet, quòd præsumatur de quolibet quodlibet bonum; sed illud, ad quod tenetur, quo prætermisso peccat: quia nullum debemus credere malum, nisi constet nobis de malitia ejus. Et ideo non oportet, quòd famulus credat, quòd domino placeat; nisi in illa necessitate pauperis, in qua dominus de necessitate tenetur.*

Ad id, quod additur, respondet idem S. Doct. ibi ad 2. *Quòd suffragia non prosunt mortuis per alios facta, nisi inquantum meruerunt* ut eis *prodessent, dum adhuc viverent, ut August. dicit* (in Enchirid. c. 109. & de Cura pro mortuis agendâ, c. ult.) *Et ideo sunt aliquomodo eorum illa eleemosynæ, quæ pro eis fiunt. Et similiter oportet, quòd eleemosynæ, quæ pro viventibus fiunt, si debent eis prodesse, debeant esse eorum: quod non potest esse, si eis displiceat. Et ideo non debet facere eleemosynam pro domino famulus de rebus domini, nisi constet sibi, quòd ei placeat.*

Plura alia de eleemosyna dicunt Commentatores super hanc q. 32. præsertim Bannez, & Sylvius ad *art.* 5. 6. 7. & 8. Nobis sufficiat, mentem S. Doctoris aperuisse, ut ad alia transeamus.

Finis Tomi Primi in Secundam Secundæ, Ordine Decimi.

INDEX

INDEX

Eorum, quæ in hoc Primo Tomo in Secundam Secundæ, ordine Decimo, visa sunt notatu digna.

A

Ctus Fidei nequit simul compati cum visione Dei in eodem intellectu. Pag. 35. Neque cum actu scientiæ evidentis. 35. Nec cum actu opinionis. ibi. Actus idem amoris in Christo cur simul esset liber, & necessarius. 38. Actus fidei distinguitur in credere Deum, credere Deo, & credere in Deum. 56. Ad actum fidei divinæ internum requiritur pia affectio voluntatis, inclinantis intellectum ad assensum. 55. 67. Objectiones contrariæ solvuntur. 67. 68. Actus martyrii est perfectissimus, ut imperatus à caritate, non ut elicitus à fortitudine. 277. Actus hominis justi solum disponunt ad augmentum habitus caritatis. 285. 285. Actus internus expressus dilectionis Dei, per se, est necessarius necessitate medii ad salutem. pag. 295.

Adultera nequit ex acquisitis per adulterium facere eleemosynam. 324.

Adultus, ut justificetur, necessariò necessitate medii debet habere fidei actum supernaturalis. 74.

Alexander IV. vetuit laicis publicè, & privatim de fide Catholicâ disputare. 180.

Amicitia vera quas conditiones requirat. 243. & 244. Datur hominis ad Deum. ibi. & seq. Non datur inter dominum, & servum, dum manet in servitute. 245. Amicitia quantam æqualitatem requirat. ibi. Amicitia hominis ad Deum nequit esse sinè gratiâ. & caritate. 247. Non fuisset inter Deum, & hominem in puris naturalibus conditum. ibi.

Amor concupiscentiæ, quo amatur beatitudo, ut bonum nostrum, non est formaliter actus spei. 224.

Amphibologia quid, & quotuplex sit. 31. Quæ sit illicita, & damnata ab Innoc. XI. ibi. Quæ sit licita, & admitti possit etiam in Deo. 32.

Angeli cognoverunt mysterium Incarnationis. 78. Boni, ante confirmationem, & mali, ante lapsum habuerunt fidem theologicam. 90. In sui conditione. 91. Angeli habent duplicem cognitionem rerum in Verbo. ibi. Sunt à nobis diligendi ex caritate. 258.

Animæ, quæ in Limbo erant, habebant fidem infusam theologicam; item animæ, quæ sunt in Purgatorio. 94. Similiter & spem theologicam. 231.

Antichristianismus ad quam speciem infidelitatis spectet. 161.

Apostasia quid sit, & quotuplex. 162. A' fide ad nullam determinatam speciem infidelitatis spectat. 163. 164. A' Religione quando contingat. 165. Ab Ordine quas conditiones requirat. 166. Quibus pœnis mulctetur. ibi. 167.

Apostata à Religione quis verè dicatur. 165. Ab Ordine. 165. Quas pœnas incurrat. 167.

Apostoli tradiderunt Ecclesiæ omnia sibi ad fidem pertinentia divinitus revelata. 52. Non amiserunt tempore Passionis Christi fidem internam in Christum. 99.

Apostolica Sedis firmitas evidenter mon-

ſtrat credibilitatem Religionis Chriſtianæ. 45.
Articulus fidei quid ſit. 49. Articuli fidei quoad ſubſtantiam non creverunt, ſed ſolùm quoad explicationem. 50. 51.
Aſſenſus fidei ex parte hominis credentis non eſt actus ſimplex, ſed complexus. 19. Non fit formaliter per diſcurſum. 20. 21. Aſſenſus credibilitatis myſteriorum fidei à quo principio procedat in adulto, tùm accedente ad fidem; tùm in jam Fideli. 48. 49. Aſſenſus fidei circa myſteria ſupernaturalia, ob pravum finem elicitus, non eſt actus fidei theologicæ. 56. Solvuntur contraria. 87. 88. Aſſenſus hæreticorum de veris articulis non eſt à fide infuſa; eſt tamen donum Dei. 100.
Atheiſmus comprehenditur ſub paganiſmo. 157.
Augmentum caritatis quale ſit. 283. Quomodo fiat. 284.
S. Auguſtinus aſſerit, fidem debere ducere rationem, non è contra. 7. 8. Propoſitionem Eccleſiæ requiri, ut ſignum infallibile, ad diſcernendum verbum Dei. 14. Neminem malè uti virtute. 23. Deum non poſſe mentiri, aut falſum dicere. 27. Divinam potentiam loqui miraculis. 33. Miracula evincere credibilitatem noſtræ fidei. 44. Idem præſtare Oracula Prophetarum in veteri Teſtamento. ibi. Pariter continuam ſucceſſionem Pontificum Romanorum. 45. Aſſerit, eandem eſſe fidem Antiquorum, & noſtram. 51. Symbolum fidei non eſſe additum Scripturæ, ſed ex Scriptura collectum. 56. Symbolum Apoſtolorum, ipſis adſcribendum. 57. Valde diſerte, credere Chriſtum, & credere in Chriſtum. 61. Recenſet hiſtoriam cujuſdam Manichæi perſuadentis viro alteri, hominem non eſſe factum à Deo. ibi. & 62. Explicat, quid ſit credere. 65. 66. Docet, aſſenſum quem habet hæreticus de veris articulis eſſe donum gratuitum Dei. 100. In peccatore eſſe veram fidem. 104. Confeſſionem exteriorem fidei cadere ſub præcepto affirmativo. 108. Item ſub negativo. 111. 113. 115. Definit mendacium. 123. Exponit, quomodo S. Paulus dixerit, ſe omnibus omnia eſſe factum. ibi. Docet, quando liceat viro Fideli conſtituto in extrema neceſſitate comedere Idolotyta. 130. Licitam eſſe fugam tempore perſecutionis. 144. 146. Infidelitatem purè negativam non eſſe peccatum. 150. Quinam ſint ſchiſmatici. 173. Infideles baptizatos poſſe cogi ad fidem, non autem non baptizatos. 202. Non baptizatos, ſi ſubditi ſint, poſſe cogi ad obſervandam legem naturæ. 205. Hæreticos poſſe compelli ad fidem. 213. 215. Dicit, ſpem non eſſe niſi bonorum, & futurorum. 216. Deum eſſe præmium amoris caſti. 232. Non eſſe orandum pro eo, quem certò omnino conſtat eſſe damnatum. 237. Caritatem eſſe donum à Spiritu Sancto in cordibus noſtris diffuſum. 247. Caritatem augendam in Patria, decedentibus fide, & ſpe. 252. Eamdem eſſe, quâ diligitur Deus, & proximus propter Deum. 255. Docet, cur non ſit datum præceptum homini de dilectione ſui. 256. Angelos eſſe proximos noſtros. 258. Inimicos eſſe diligendos etiam in lege veteri. 264. In inimico fratrem amari. 265. In orationibus communibus non eſſe prætereundos inimicos. 266. Caritatem eſſe ſimpliciter perfectiorem cæteris virtutibus. 274. Gratiam donum Dei eſſe. Divinæ motioni in ſenſu compoſito neminem reſiſtere poſſe. 281. Caritatem viæ augeri poſſe. 282. Poſt mortem non eſſe tempus merendi. 289. Præcepta obſervare ſinè internâ caritate, non eſſe, ea adimplere. 292. Mores diiudicandos eſſe ex amore. 293. Hominem teneri frequenter ad exercendum actum amoris Dei. 297. Præceptum dilectionis Dei

Dei non esse homini impossibile. 300. Caritatem debere ordinem circa diligibilia servare. 303. Retractat, quod olim senserat, de generatione carnali. 313. 314.
Auxilium proximè sufficiens ad credendum quomodo detur. 151.

B

Baptismus sive in re, sive in voto necessarius est necessitate medii ad justificationem, & salutem in lege gratiæ. 83. Susceptus ex prava intentione validus est. 88.
B. Virgo nec citiùs, nec tardiùs credidit Angelo mysterium Incarnationis sibi annuncianti, quàm oportuit. 8.
Beati cur non habeant fidem de revelatis sibi à Deo. 6. Beati non habent fidem theologicam, nec quoad habitum. 95. Non spem theologicam, nec quoad habitum. 217. Nec quo ad actum. 218. Beati habent desiderium de aliorum beatitudine, & de gloria proprii corporis. ibi. & 219. Quonam ordine diligant. pag. 318. 319.
Bona creata, quæ ad beatitudinem conducunt, pertinent ad objectum secundarium spei theologicæ. 222. Bona spiritualia, quæ non sunt in præcepto, aliquando possunt dimitti, ob bonum spirituale proximi. 308. Temporalia quando teneantur amitti, ob salutem spiritualem proximi. 309. Quando etiam, ob ejusdem bonum corporale. ibi. & 310.
Bonitas Dei in se sumta est ratio formalis motiva caritatis. 251. Item etiam, ut conveniens nobis; quatenus tamen abstrahens ob eius possessione, vel non possessione. ibi. Divina est objectum formale *quod* caritatis. ibi. & 252. Diverso modo respicitur à caritate, etiam ut nobis conveniens, ac à spe. 252.

C

Calvinistæ, in quod ultimò, dicant, resolutionem fidei nostræ debere fieri. 9. 10.
Calvinus irridet divisionem fidei informis, & formatæ. 101.
Caritas respicit Deum sub ratione summæ bonitatis. 243. Est verè, & propriè amicitia hominis cum Deo. *ibi.* 244. Objectiones contrariæ solutæ. ibi. & seq. Caritas Dei est aliquid in anima infusum, quo hæc fit principium productivum amoris Dei. 247. & sequ. Caritatis objectum formale *Quo* quid sit. 251. Formale *Quod*. ibi. & 252. Quæ obstant, soluta. ibi. & 253. Caritas est eadem, quâ diligitur Deus, & proximus propter Deum. 254. Caritatis objecta materialia quænam sint. 255. & seq. Caritas est tùm in genere moris, & virtutis, tùm physico, & entis simpliciter perfectior fide aliisque virtutibus. 274. 275. Per se in nobis datur per infusionem Spiritus Sancti. 277. 278. Non acquiritur nostris actibus. 278. Non infunditur à Deo secundùm capacitatem, aut proportionem naturalium. 279. 280. Tota quantitas caritatis proximè correspondet soli motioni Spiritus Sancti. 280. Caritas viæ augeri potest. 281. 282. Patriæ semper excedit caritatem viæ in statu, & modo operandi. 283. Caritas secundùm habitum augetur solum intensivè, non extensivæ. 283. 284. Caritatis augmentum intensivum non fit per additionem usui habitus. 284. 285. Caritatis actus quilibet non auget actu caritatem, licèt disponat ad caritatis augmentum. 286. 287. Etsi remissus, secundùm se, meretur augmentum caritatis. 287. 288. Caritatis augmentum quando fiat. 288. 289. Quantum esse contingat. ibi. Caritatis præceptum est speciale, & à cæteris distinctum. 292.

292. & seq. Quibus temporibus obliget. 297. Potest adimpleri in hac vitâ. 298. & seq. Caritatis ordo est in præcepto. 302. 303. Caritas quem ordinem servare debeat circa proximos. 311. & seq. Circa conjunctos. 314. & seq.
Carlus Magnus cur Saxone, pœnâ mortis mulctaverit. 203.
Casus quidam resolvuntur, concernentes praxim circa occultationem fidei Catholicæ apud hæreticos. 137. & seq.
Character Sacerdotalis remanet in Sacerdote damnato. 93.
Christianis licet uti in bello contra Saracenos eorum vexillis cum effigiæ Lunæ, vel etiam Mahumetis. 128.
Christianus. Vide Fidelis.
Christus, ut homo, est finis non ultimus fidei nostræ. 4. Christus numquam mentitus est. 29. Quonam sensu amphibologicè aliquando locutus sit. 32. Eodem actu amoris liberè, & necessariò amabat. 38. Simul intuitivè, & obstractivè Deum intelligebat. ibi. Christus distinctè revelavit Apostolis omnia, quæ ad fidem spectant. 51. Non habuit spem virtutem theologicam. 229. Habuit tamen communiter dictam, de gloria sui corporis. ibi. Non habuit fidem. ibi.
Clericus retrocedens ab Ordinibus minoribus quando peccet. 167. Non deferens tonsuram, non peccat mortaliter. ibi.
Concilium Toletanum III. constituit, ut per omnes Ecclesias Hispaniæ publicè in Missis decantaretur Symbolum Constantinopolitanum. 60. Concilium Arauxicanum II. statuit, piam affectionem voluntatis inclinantis intellectum ad assentiendum fide divinâ, esse supernaturalem. 68. Tridentinum docet, fidem divinam supernaturalem esse necessariâ, necessitate medii, ad justificationem, & glorificationem. 70. Fidem veram, licet non vivam, remanere in peccatore. 104. Concilium Tridentinum quos vetet initiari primâ Tonsurâ. 167. Toleta. IV. statuit, Judæos non esse compellandos ad fidem Christi suscipiendam. 200. Tridentinum asserit, Ecclesiam non habere potestatem in Infideles non baptizatos. 201. Spem divinam esse virtutem infusam. 219. Nostra merita esse dona Dei. 225. Concilium Milevitanum, & Arausicanum II. statuunt, gratiam diffundi in nobis per Spiritum Sanctum. 278.
Concordia Christianæ Doctrinæ esse argumentum evidens credibilitatis fidei nostræ. 47.
Confessio exterior fidei est actus elicitus à fide. 105. Contraria solvuntur. ibi. & 106. 107. Potest sub præcepto affirmativo. 108. Quando. ibi. & 109.
Constantinus Imperator leges tulit in Donatistas. 178.
Credere quid, & quotuplex sit. 65. Credere & explicitè, & implicitè quid sit. 75.

D.

DÆmones non habent fidem infusam theologicam, nec quoad habitum. 92. 93. Eorum fides quæ sit. 93. Non sunt ex caritate diligendi. 259.
Damnati, non habent, nec quod habitum, fidem infusam theologicam. 92. 93. Damnatorum fides, quæ sit. 93. Damnati Fideles unde distinguantur ab Infidelibus. 94. Damnati non habent spem. 230.
Definitio Ecclesiæ, quomodo sit declaratio veritatis ante revelatæ. 53. Obligat Fideles ad eas credendas. ibi.
Deus est id, in quod ultimò, tanquam in causam essendi, resolvitur assensus fidei, non verò tamquam in causam assentiendi. 4. 5.
Desiderium de aliorum beatitudine, & de gloria proprii corporis in Beatis est ab habitu caritatis. 219.
Desperare de propria salute æternâ quis potest dupliciter. 239.

Desperatio in homine viatore peccatum est. 240. 241. Gravius cæteris oppositis virtutibus moralibus. 242. Minus grave infidelitate, & odio Dei. ibi.
Deus, ut Deus, est objectum formale *Quod* fidei divinæ. 2. Ut prima veritas in dicendo est objectum formale *Quo*. 3. Deus numquam mentitus est, aut falsum dixit: imò nec potest mentiri, aut falsum dicere. 27. Scripturæ in contrarium adductæ, explicantur. 28. Deus nec in natura alienâ assumtâ mentiri, aut falsum dicere potest. 29. Nec per suos Ministros. 30. Quomodo possit uti amphibologiis. 32. Deus nullo modo facere potest miraculum in confirmationem falsæ doctrinæ. 33. 34. Quomodo loquatur Ecclesiæ definienti. 54. Deus, ut connotans consecutionem sui, quæ fit per visionem, est objectum immediatum, & primarium *Quod* Spei theologicæ. 221. 222. Ut auxilians est objectum formale *Quo* spei. 223. Deus alio modo est caritas, quàm sit spes. Deus dupliciter potest diligi ex toto corde. 300. Diligendus est super omnia appretiativè. 304.
Dilectio inimicorum præcipiebatur etiam in lege veteri. 262. 263. Præcipitur lege naturali. 255. Dilectio amicorum secundùm se, & absolutè, probabiliùs melior, & magis meritoria est, cæteris paribus, dilectione inimicorum. 269. & seq. Quæ obstent, soluta. 270. & seq. Dilectio proximi ex caritate debet esse ordinata. 311. Major debet esse circa Conjunctos, quàm extraneos. 312. 313. Quem ordinem servare debeat inter Conjunctos. 314. & seq.
Disputare de fide cum Infidelibus, ob propugnandam fidem, de se bonum est. 178. 179. Disputare de fide, de ea dubitando, viro fideli peccatum est. 180.
Disputatio publica de fide cum hæreticis multâ cautelâ debet suscipi. 181.
Doctor, censens se idoneum, quando teneatur disputare publicè de fide coram Infideli. 182. Et quo titulo teneatur. 183.
Dominium non fundatur in fide, aut gratiâ. 209.

E

Ecclesia quoties aliquid definit de fide, non illud accipit per novam à Deo revelationem. 51. Objectiones in contrarium solutæ. 52. 53. 54. Ecclesia cur possit tolerare ritum circumcisionis apud Abyssinos Catholicos. 122. Est una. 170. Ecclesia interdicit Fidelibus communionem cum Paganis, Mahumetanis, Judæis, ad cautelam eorum. 184. Cur possit tolerare ritus Judæorum. 193. Non habet potestatem compellendi Infideles non baptizatos ad suscipiendam fidem. 200. & seq. Neque, ob solam infidelitatem, eos spoliandi dominio, & bonis suis. 208. & seq. Non habet jus compellendi ad audiendum Evangelium Infideles non subditos Principi Christiano. 212. Potest cogere pœnis, etiam temporalibus, hæreticos, & apostatas ad fidem. 214. 215.
Eleemosyna quid sit. 319. Distinguitur in spiritualem, & corporalem. 320. Spiritualis, simpliciter loquendo, potior est corporali. ibi. Eleemosyna est in præcepto. 322. 323. Facienda est ex superfluo. 323. 324. Ex quibus illicitè acquisitis possit fieri, vel non. 324. Facienda est, sub mortali, patienti extremam necessitatem, etiam de necessario statui, superfluo tamen naturæ. 325. In casu item gravis necessitatis. ibi. Facienda est ab habentibus superflua statui, etiam in communibus pauperum necessitatibus. 326. Eleemosyna à quibus fieri possit. ibi. & seq.
Elisæus non concessit Naaman Syro, ut posset exteriùs, etiam simulatoriè, adorare Idolum Remnon. 121.
Error Quietistarum refellitur. 253.

Esus carnium in die vetito ab Ecclesia quando sit licitus, & quando non, viro Catholico apud hæreticos commoranti. 128. 129. 130.

S. Eusebius Vercellensis ironicè solum promisit, se amplexurum Arianismum. 123.

F

Ferdinandus Rex Castellæ non coegit Judæos, vel Mauros fidem Christi suscipere. 203.

Fidelis quando teneatur ad confitendam exteriùs fidem. 108. 109. Numquam potest negare exteriùs fidem, licèt eam interiùs corde retineat. 110. 111. Quæ objiciuntur, solvuntur. 113. 114. Fidelis interrogatus à privatâ auctoritate, non tenetur eam confiteri. 116. Nequit seriò licitè uti vestibus, ritibus, cæremoniis, aut actionibus ex natura suâ, vel lege humanâ institutis ad protestandam falsam religionem. 118. 119. 120. Quæ obstent solvuntur. 120. & seq. Fidelis quando, & qualibus vestibus, aut signis Infidelium possit, aut non possit uti. 126. & seq. Quando possit, & non possit apud hæreticos commorans, comedere carnes die vetito ab Ecclesia. 128. 129. 130. Licitè potest assumere nomina Turcica, quando commoratur apud Turcas. 131. & seq. Quando licitè possit adire templa Infidelium, & quando non. 134. & seq. Quando possit licitè, & quando non, funeri assistere hæreticorum. 141. 142. Fideli licitum est, absolute loquendo, etiam arripere fugam, instante persecutione. 144. & seq. Fidelis disputans de fide cum Infideli, de ea dubitando, peccat. 180. Fideli vetitum est communicare cum Infidelibus. 184. 185. Prohibetur familiaritas, cohabitatio, & servitus. 186. & seq. Fidelis quæ opera præstare possit Infidelibus. 187. Potest habere servum Infidelem. ibi. Potest licitè communicare in mensa cum Judæis, & Saracenis. 188. Fidelis prohibetur infirmus vocare Medicum Judæum. 189. Absolutè potest cum Judæis, aliisque Infidelibus in mercibus emendis, & vendendis, communicare. 189. 190. Fideli non licet vendere Judæo, aut alteri Infideli rem, cujus usus est per se malus; aut per se ad ritus superstitiosos eorum refertur. 191. Fidelis quale crimen, & quas pœnas incurrat, communicans cum Infidelibus non baptizatis. 195. 196. Cum hæreticis, & Apostatis. 197. 198.

Fides variè usurpatur. 1. Divina quid sit. 2. Fidei divinæ objectum formale *Quod* est Deus, ut Deus, & ut in se est prima veritas. 2. 3. Formale *Quo* est Deus, ut prima veritas in dicendo. 3. Materiale, principaliter est Deus, secundariò quidquid à Deo revelatur. 3. 4. Quæ objiciuntur contra hæc, solvuntur. 4. 5. 6. Fidei divinæ resolutio non fit in humanum ratiocinium. 7. & seq. Non in solam Scripturam. 9. 10. Non in spiritum privatum. 11. 12. Non in propositionem Ecclesiæ, etiam ut in causam partialem; sed unicè in testimonium divinum. 13. Objectiones contrariæ solvuntur. 14. & seq. Fidei assensus ex parte hominis credentis non est actus simplex, sed complexus. 19. 20. Non fit formaliter per discursum. ibi. & 21. 22. Fides, nec virtualiter est discursiva. 22. Per se, & ratione objecti non potest inclinare in falsum. 22. Nec per accidens. 22. 23. Quæ opponuntur solvuntur. 23. & seq. Fidei actus, & visionis Dei nequeunt simul compati in eodem intellectu. 35. Nequit simul esse cum actu scientiæ evidentis de eadem re, in eodem intellectu. 36. Neque cum actu opinionis de eadem re, in eodem subjecto. ibi. Fidei habitus nequit stare cum habitu luminis gloriæ. 37. Quæ contra hæc omnia opponuntur, solvuntur. 38. & seq.

& seq. Fidei Catholicæ mysteria sunt evidenter credibilia. 42. 43. Fides Antiquorum quoad substantiam eadem fuit cum nostra. 50. Fides divina, quoad actum internum, requirit piam affectionem voluntatis. 66. Contraria huic solvuntur. 67. 68. Fides divina supernaturalis est necessaria necessitate medii tùm ad justificationem, tùm ad glorificationem. 70. Quæ obstent, soluta. 71. & seq. Fides actualis, nec propria, nec aliorum requiritur ad justificationem parvulorum in Baptismo. 73. 74. Fidem explicitam Christi, & Trinitatis in statu gratiæ necessaria esse, necessitate medii ad salutem, probabilius, & tutiùs sustinetur. 81. 82. Fundamenta contraria solvuntur. Fides non influit in assensum præstitum mysteriis supernaturalibus, ob pravum finem. 85. Fides infusa theologica fuit in Angelis bonis, ante confirmationem; in malis, ante lapsum; in primis Parentibus ante peccatum. 91. In sui prima conditione. 92. Non remanet, nec quoad habitum, in Dæmonibus, & Damnatis. 92. 93. 94. Ponenda est in animabus, quæ olim fuerunt in Limbo, & quæ modò sunt in Purgatorio. 94. Fides theologica non remanet in hæretico, licèt unum tantùm articulum discredat, & alios credat. 95. 96. 97. Quæ obstant solvuntur. 98. 99. Fides informis quid sit. 101. 102. Non distinguitur specie essentiali à fide formatâ. 102. 103. Potest fieri formata, invariatâ substantiâ fidei. 104. Fides theologica, quoad substantiam, remanet in peccatore; non tamen quoad statum perfectum virtutis. 104. 105. Fidei confessio exterior est actus à fide elicitus. 105. Fidei negatio exterior quando sit infidelitatis actus. 107. Cadit sub præcepto affirmativo naturali, & divino. 108. Item sub præcepto negativo. 110. 111. Fidei negatio exterior nullo prætextu, nulloque in casu est licita. 112. 113. & seq. Pejor est facto, quàm verbo 117. Non subjicit Ecclesiasticis censuris contra hæreticos latis, fide interiùs retentâ. ibi. Fides nequit licitè occultari, simulando actiones, & ritus, & utendo vestibus, quæ sint institutæ ad protestandam falsam Religionem. 118. 119. 120. Contraria huic solvuntur. 120. & seq. Fides qualiter dicatur justificare. 276. Dicatur fundamentum ædificii spiritualis. ibi.

Filius familias de quibus, & quando possit facere eleemosynam. 327.

Fuga clam arrepta, absoluiè loquendo, licita est viro Catholico, instante persecutione. 144. 145. Pastori Animarum quando liceat, & quando non. 145. 146. Obstantia solvuntur. 146. & seq.

Funeri hæreticorum quando liceat, & quando non, assistere viro Catholico. 141. 142.

H

Hæresis unde dicatur. 156.

Hæreticus discredens unum fidei articulum non habet fidem theologicam circa alios, quos credit. 95. 96. 97. Contraria huic solvuntur. 98. 99. Hæreticus quando sit vitandus. 197. Potest ab Ecclesia compelli pœnis, etiam temporalibus, ad fidem. 214.

Homo in lege gratiæ tenetur necessariò, necessitate præcepti, credere non solùm in communi id, quod credit Ecclesia; sed etiam alia mysteria fidei explicitè. 75. Articulos item omnes, qui per se pertinent ad fidem Catholicam. ibi. & 77. Pariter omnia sacramenta à Christo instituta. 77. & 78. Dogmata etiam illa, quæ modò contra grassantes hæreses, sæpius à Pastoribus inculcantur. 78. Objictiones contra hæc solutæ. 78. & seq. Primus homo habuit fidem theologicam, ante peccatum. 90. In sui conditione. 91.

Homo

Homo quomodo possit spe theologicâ sperare in homine. 224. In suis etiam meritis. ibi. & 225. Quâ ratione per caritatem dicatur verè amicus Dei. 243. & seq. Sinè donis supernaturalibus nequit habere veram amicitiam ad Deum. 247. In puris naturalibus conditus hanc non habuisset. ibi Homo debet ex caritate seipsum diligere. 255. 256. Suum corpus etiam. 256. & 257. Angelos. 258. Peccatores secundùm naturam. 259. Inimicum, non ut inimicum, sed ut homo est. 260. 261. 262. Tenetur appretiativè diligere Deum super omnia, non autem intensivè. 304. 305. Magis appretiativè etiam, quàm seipsum. 305. Tenetur ex caritate magis diligere seipsum, quàm proximum. 306. & seq. Ad quæ teneatur, ob salutem spiritualem proximi, & etiam pro bono illius corporali. 307. & seq. Tenetur diligere proximos ordinatè. 311. Magis Conjunctos, quàm extraneos. 312.

I

IDololatria eversa reddit doctrinam Evangelicam evidenter credibilem. pag. 45.
Ignorantia quando est culpabilis. 150. 151.
Infideles purè negativè non damnantur ob infidelitatem. 149. 150. Infideles qui numquam fidem susceperunt, licet subditis Christianis Principibus, nequeunt cogi ad fidem suscipiendam. 199. & seq. Benè vero ad observandam legem naturæ. 205. Infideles non subditi nequeunt cogi ad legem Evangelii. 207. Nec, ob solam infidelitatem, possunt spoliari bonis suis, & dominio. 208. & seq.
Infidelitas quid, & quotuplex sit. 149. Purè negativa non est peccatum. ibi. & 150. His opposita diluuntur. 150. Benè verò privativa. 152. 151. & seq. Infidelitas reducitur ad superbiam. 153. Non opponitur præcepto fidei. 154. Infidelitatis species sunt paganismus, judaismus, hæresis. 155. Contraria huic solvuntur. 157. & seq. Quænam harum species sit gravior. 160.
Inimicus diligendus est ex caritate, non ut inimicus, sed ut homo est. 260. 261. 262. Ita etiam diligendus erat in lege veteri. 262. 263. 264. Ita est diligendus præcepto legis naturalis. 265. Inimico exhibenda sunt necessariò signa communia dilectionis. ibi. & 266. Signa verò specialis dilectionis, solùm in præparatione animi. 267.
Initiatus Ordinibus minoribus dimittens habitum, & tonsuram, quando peccet, & quomodo. 167. 168. Initiatus Ordinibus sacris quando mortaliter peccet, dimittens habitum, & insignia Clericorum. 168.
Intellectus quâ ratione dicatur potentia altior voluntate. 277.
S. Joannes Baptista explicitè cognovit Mysterium Incarnationis. 79.
Judæi unde dicti. 156. Judæi, qui modò sunt, quo peccato infidelitatis sint rei. 160.
S. Julianus Martyr non simulavit, se velle adorare Idola, sed ironicè se gessit. 183.

L

LAici quinam intelligantur. 180. Quando possint disputare formaliter coram Infideli. 181.
Libellatici quinam essent. 111.
Lutherani asserunt, resolutionem nostræ fidei fieri debere in solam Scripturam. 9. Quemlibet privatum habere sufficiens lumen ad penetrandum verum sensum Scripturæ. 11.
Lutherus requirit in parvulis, qui ante usum rationis, baptizantur, fidem actualem. 73.

M

Mahumetanismus reducitur ad paganismum. 159.
Majores in Ecclesia tenentur plura explicitè credere. 80.
Manichæi dicebant, nil esse credendum per fidem, nisi priùs suaderet ratio. 7. Nullum agnoscebant præceptum, imò nec consilium eleemosynæ.
Matrimonium Catholici cum hæretico validè contrahitur, sed illicitè. 198.
Mentiri quid sit. 26. In Deo numquam repertum est, imò nec reperiri potest; sive in se. 27. 28. Sive in naturâ alienâ assumtâ. 29. Sive per suos ministros loquente. 30.
Meretrix potest ex acquisitis per meretricium eleemosynam facere. 324.
Miracula vera numquàm facta fuerunt ab ullo in confermationem doctrinæ falsæ. 34. Imò nec fieri possunt. 33. Per malos homines quomodo fieri possint. 34. 35. Miracula faciunt evidentiam credibilitatis Mysteriorum fidei nostræ. 43. 44.
Motiva credibilitatis Mysteriorum fidei Catholicæ quot, & quæ sint. 43. & seq.
Mysteria fidei Catholicæ sunt evidenter credibilia. 42. Eorum credibilitatis motiva quot, & que sint. 43. & seq.

N

Naaman Syrus non adoravit, nec simulatoriè exteriùs Idolum Remnon. 121.
Negatio exterior fidei sive verbo, sive facto, nullo in casu, aut prætextu est licita. 112. Pejor est negatio fidei facto, quàm verbo. 115. Retentâ tamen interiùs fide, non subjicitur censuris ecclesiasticis contra hæreticos latis. ibi. & 117.
Nutrices Christianæ nequeunt filios Hæbreorum alere, etiam extra ghettum. 185.

O

Objectum formale fidei tùm *Quod*, tùm *Quo*, & materiale quid sit. 2. 3. 4. Objectum primarium *Quod* spei theologicæ quodnam sit. 221. Formale *Quo*. 222. 223. Objectum caritatis formale *Quo*. 251. *Quod*. ibi. & 252. Materiale. 255. & seq.
Oracula Prophetarum de Mysteriis fidei nostræ, illa faciunt evidenter credibilia. 44.
Ordo caritatis in diligendo est in præcepto. 302. 303. Qualis sit. 304. & seq. Circa proximos. 311. & seq. Circa Conjunctos. 314. & seq. Manet in Patria, sed secundùm aliqua mutatur. 318. 319.
Organa pulsare in Templis hæreticorum, dum Psalmos canunt, aut Cœnam celebrant, non licet viro Catholico. 137.

P

Pagani unde dicti. 156.
Papa incidens in hæresim, eo ipso, quòd hoc sit notum, amittit jurisdictionem suam. 176. Potest fieri schismaticus. ibi. & 177. Papâ multiplici electo, quid sit agendum. ibi.
Parentes in quibus, & quibus, & quando sint cæteris præferendi ex caritate. 314. & seq.
Pastores Animarum quando teneantur, confutare errores, disputando cum Infidelibus. 182. Peccant contra caritatem, & justitiam, si obligati, id non faciunt. 183.
Pater, per se loquendo, magis est diligendus caritate, quàm filius. 316. Et quàm mater. 317.
Parvuli in Baptismo, ut justificentur, non indigent fide actuali propriâ, vel aliorum; benè verò applicatione fidei Ecclesiæ. 73. 74.
Peccare non licet, nec venialiter, ob bonum etiam spirituale proximi. 307.
Peccator retinet habitum fidei theologicæ, quoad substantiam, non quoad

 statum

statum perfectum virtutis. 104. 105. Est ex caritate diligendus secundùm naturam. 159.
Petri Abailardi error, ex S. Bernardo. 7.
Pia affectio voluntatis, requisita ad fidei divinæ actum, quid sit. 66. 68. Est entitativè supernaturalis. 68. A' quo judicio reguletur. 69. A' quo principio elicitur. ibi.
Pœna Schismaticis statutæ quæ sint. pag. 177. 178.
Præcepta supernaturalia quomodo fuerint in lege naturæ. 72. Præceptum affirmativum de confitenda exteriùs fide quando obbliget. 108. 109. Præceptum datur negativum de non neganda exteriùs fide, quamvis interiùs corde retineatur. 110. 111. 112. Præceptum fidei datur tùm in lege novâ, tùm veteri. 153. Quando obliget. 154. Præceptum caritatis est speciale, & distinctum à cæteris. 292. & seq. Quando, & quibus in circumstantiis urgeat ejus obligatio. 296. & seq. Præceptum dilectionis Dei potest adimpleri in hac viâ. 298. 299. 300. Sectariorum oppositiones solutæ. 300. & seq. Præceptum de eleemosyna datur. 321. 322. Quando, & quibus in casibus obliget. 325. & seq.
Principes Christiani non possunt compellere Infideles non baptizatos sibi subditos ad legem Evangelii. 199. & seq. Benè verò possunt ad observantiam legis naturæ. 205. 206. Non habent jus compellendi ad fidem Infideles sibi non subditos. 207. Non possunt eosdem, ob solam infidelitatem, suis bonis, & dominio spoliare. 208. & seq.
Priscillianistæ licitum esse dicebant mendatium; unde, & Deum aliquando mentitum esse. 26. 110.
Propositio Ecclesiæ non est adhuc causa partialis resolutionis ultimæ nostræ fidei. 13. Quomodo ad hanc se habeat. ibi. & 14.
Propositiones damnatæ ab Alexand. VII. 108. Innocen. XI. 109. Innoc. XII. Propositiones variæ damnatæ circa præceptum caritatis. 291. Propositio damnata circa eleemosynam. 324.
Proximus noster quis dicatur. 258. Est ex caritate diligendus. ibi. & 259. Quonam ordine. 312.
Prudentia adhuc infusa cur possit dici attingere aliquid, quod in re sit falsum. 24.

R

R*Eligio* falsa non potest licitè seriò exteriùs simulari. 114. Religio cur non est virtus theologica. 219.
Religiosius quando dicatur apostata. 165. Quando possit facere eleemosynam. 325.
Resolutio fidei divinæ non fit ultimò in humanum ratiocinium. 7. Non in solam Scripturam. 9. 10. Non in spiritum privatum. 10. 11. 12. Non in propositionem Ecclesiæ, adhuc ut in causam partialem, & à priori: sed unicè in divinum testimonium. 13. Objectiones contra hæc omnia solutæ. 14. & seq.
Restrictio mentalis in locutionibus quot modis contingat. 31. Quæ sit illicita, & quæ non. ibi. & 32.
Revelatio divina privata ex parte modi inducit debitum eredendi fide divinâ, & catholicâ rem revelatam, in persona, cui fit. 17. Similiter, probabiliùs, etiam ex parte rei revelatæ. ibi. & 18.
Reus nequit, etiam illegitimè interrogatus, mentiri in judicio. 115.
Ritus Judæorum cur possint tolerari. pag. 193.

S

S*Acerdos* cur ex depravata intentione finis mali consecrans, verè consecret. 88.
Schisma quid sit. 169. Tribus modis contingere potest. 171. Est speciale peccatum ab hæresi distinctum. ibi. 172. Schisma Donatistarum, & Græcorum non statim fuit conjunctum

cum

cum hæresi. 172. Schisma est peccatum mortale. 173. Quando sit majus peccatum infidelitate. 173.
Schismaticus quis sit. 171. Retinet potestatem sacramentalem, quâ tamen non potest licitè uti. 174. Non retinet potestatem jurisdictionis. ibi. Quando amittat suam jurisdictionem. 175. 176. Quas pœnas incurrat. 177. 178.
S. Scriptura sola non est id, in quod fiat ultima resolutio nostræ fidei. pag. 9. 10.
Servi Judæorum statim, ac fiunt Christiani, liberantur à servitute. 19. Servi de quibus, & quando possint eleemosynam facere. 327. 328.
Signa dilectionis necessariò exhibenda inimicis, ex caritate, quænam sint. pag. 265. & seq.
Spei theologicæ cur possit subesse falsum. 25.
Spes theologica est virtus verè, & propriè. 215. 217. 218. Informis non habet perfectum statum virtutis. 219. Spes divina est virtus infusa, & theologica. 219. 220. Spei divinæ objectum primarium, & immediatum *Quod* non est consequtio Dei, in recto accepta. 221. Sed Deus, ut connotans consecutionem sui, quæ fit per visionem. ibi. & 222. Objectum verò formale *Quo* est omnipotentia Dei, ut auxilians. 222. & seq. Spes non est in Deo. 227. Non est in Beatis secundùm habitum. ibi. Nec secundùm actum. 228 Non fuit in Christo. 229. Spes theologica est in omnibus Justis viatoribus. 232. Et in omnibus Fidelibus peccatoribus, qui tamen non desperant, nec præsumunt solis suis viribus gloriam consequi. ibi. & 253. Spes quam iam certitudinem habeat. 233. 234. Non est, nec potest esse in eo, cui fieret revelatio de sua certâ, & infallibili damnatione, & hanc revelationem certò nosceret. 235. 237. Objectiones in contrarium solutæ. 237.
Spiritus privatus non est id, in quod possit fieri ultima resolutio fidei nostræ. 11. 12.
Spiritus Sanctus quomodo assistat Ecclesiæ definienti. 53. Docuit in die Pentecostes Apostolos omnem veritatem de his, quæ pertinent ad necessitatem salutis. 54. Quâ ratione dicatur manere in Ecclesia in æternum. ibi.
Superfluum, de quo facienda est eleemosyna, quale dicatur. 323. & seq.
Symbolum quid sit. 55. Symbolum fidei cur compositum. ibi. & 56. Symbolum Apostolorum verè fuit ab Apostolis editum. 56. & 57. Cur non habeatur in numero Sacrarum Scripturarum. 57. Quomodo, & quando ab Apostolis fuerit compositum. ibi. & 58. Symbolum Nicænum, cur, quando, & à quo compositum. 59. Ejus auctoritas summa apud Orientales. ibi. Symbolum Constantinopolitanum quâ occasione, & quando editum. 60. Cur publicè recitetur in Missa. 61. Ejus brevis expositio. ibi. & seq.
Synagoga subversio evidenter demonstrat, Evangelicam doctrinam esse credibilem. 45.

T

Testimonium divinum est id, in quod unicè sit ultima resolutio nostræ fidei. 13.
Theologus incidens in hæresim, etiam circa unum solum articulum, non retinet habitum veræ Theologiæ. pag. 99.
S. Thomas exponit definitionem fidei traditam ab Apostolo. 2. Asserit, Deum in se esse objectum formale *Quod* fidei; ut verò est prima veritas in dicendo, objectum formale *Quo*. 3. Objectum materiale secundariò fidei esse quidquid à Deo revelatur. 3. 4. Divinam revelationem aliter comparari ad fidem, ac ad prophetiam. 6. Veritatem primam diversimodè respici à visione in Patria, & à fide in via. 5. Sacram

cram doctrinam accipere posse aliquid à scientis naturalibus. 7. 8. Revelationes Dei privatas non obligare omnes ad assentiendum, tanquam à Deo revelatis. 18. *Docet*, multa per accidens, & secundariò cadere sub fide. ibi. Intellectum divinum complexa incomplexè cognoscere. 20. Fidei divinæ non posse subesse falsum. 22. Cur tamen possit admitti subesse spei, & caritati. Prophetas non semper loqui, ut tales, & cur. 31. Fidei actum non posse compati de eadem re cum actu scientiæ in eodem. 36. 39. Lumen fidei non posse simul esse cum lumine gloriæ perfecto. 40. Mysteria fidei nostræ esse evidenter credibilia. 42. Sectam mahumetanam contraponi Religioni Christianæ. 46. Articulos fidei solùm crevisse secundùm explicationem, non quoad substantiam. 51. Apostolos plenissimè cognovisse Mysteria fidei. 52. Necessarium fuisse Symbolum fidei ex Scripturis colligi, & Fidelibus proponi. 56. Athanasium non composuisse manifestationem fidei per modum Symboli. ibi. Causam dat, cur edenda fuerint plura Symbola. 59. Cur Sybolum Patrum, & non Apostolorum, Ecclesia publicè usurpet. 61. Cur de descensu Christi ad inferos non fiat mentio in Symbolis Patrum. 64. *Docet*, ad assensum fidei requiri piam affectionem in voluntate. 66. Hominem esse perfectiorem aliis animalibus, licèt propriis viribus suum non consequatur finem. 73. Teneri explicitè credere prima credibilia, quæ sunt articuli fidei. *Pag.* 75. Quovis tempore fuisse necessarium credere Mysterium Incarnationis. 76. Quemlibet teneri explicitè cognoscere mandata Decalogi. 79. Quando quis teneatur explicitè credere omnes articulos fidei. 80. Fidem explicitam Incarnationis, & Trinitatis esse necessariam ad salutem omnibus in lege gratiæ. 81. Malam voluntatem opponi fidei, prudentiæ, temperantiæ. 87. Angelos bonos, ante confirmationem; malos, ante lapsum; primos parentes, ante peccatum, habuisse fidem theologicam. 90. 91. Ait in Dæmonibus non esse fidem infusam theologicam. 92. Hæreticum circa unum articulum non habere fidem theologicam circa alios, quos credit. 97. 98. Fidem informem esse donum Dei infusum. 101. Habere perfectionem sufficientem ad fidei rationem. 102. Eundem esse habitum fidei informis, & formatæ. 103. 104. Confessionem exteriorem fidei, esse elicitivè à fide. 105. 106. Quando homo teneatur ad confitendam exteriùs fidem. 108. Simulationem propriè esse mendacium quoddam. 119. Quando liceat, vel non, Pastori fuggere tempore persecutionis. 145. Infidelitatem negativam non esse peccatum. 150. Infidelitatem privativam esse, quoad aliquid, contra naturam. 153. Reduci ad peccatum superbiæ. ibi. Omnes in lege veteri, qui justificabantur, hoc obtinuisse fide Medjatoris. 153. Quænam sit cæteris gravior infidelitas. 160. Explicat, & dividit Apostasiam. 162. Schisma. 169. *Docet*, cur omne peccatum mortale non faciat hominem schismaticum. 171. In quo differant schisma, & hæresis. 172. Schisma esse minus peccatum infidelitate. 173. Schisma esse maximum inter peccata in proximum. 174. Schismaticum retinere potestatem sacramentalem, non tamen jurisdictionis. ibi. *Docet*, Schismaticos in pœnam posse potestate temporali coerceri. 178. Licitum, de se, esse disputare de fide, ob eam propugnandam. 179. Nonnulla in similibus disputationibus consideranda, tùm ex parte disputantis, tùm audientium. ibi. Communionem alicujus personæ interdici Fidelibus dupliciter. 184. Fidelem posse habere servum Infidelem. 187. Ritus

Judæo-

Judæorum tolerari posse, & cur ab Ecclesia. 193. Ecclesiam non judicare judicio spirituali de Infidelibus, qui nullatenus fidem susceperunt. 196. 201. Benè vero de hæreticis. 203. Non esse permittendum Infidelibus novum dominium supra Fideles. 208. Infideles posse compelli, ne fidem impediant, vel blasphemiis, vel malis persuasionibus, vel persecutionibus. 210. Hæreticos esse compellendos, ut fidem teneant. 214. *Docet*, quomodo Spes theologica perficiat hominem. 217. Timorem castum esse quid minus virtute theologicâ. ibi. Quæ delectatio sit propria virtutis. 218. Cur Religio, sapientia, & timor non sint virtus theologica. 219. Quomodo spes theologica faciat hominem inhærere Deo. 222. Qualiter possit homo spe theologicâ sperare in homine. 224. Bonum alicuum sperare alteri. 226. In Beatis esse quidem desiderium de gloria corporis, non autem spem. 228. In Damnatis non esse spem. 231. Damnatis non imputari ad culpam, quòd non sperent. 239. Afferit conditiones requisitas ad veram amicitiam. 243. 244. Amicitia qualiter se extendat ad inimicos. 246. Caritatem, quâ diligimus formaliter proximum, esse quandam participationem caritatis divinæ. 249. Deum esse vitam animæ, per modum causæ efficientis. 250. Caritatem nec vanitatem esse, nec infinitam. ibi. Respicere pro objecto Deum ut beatitudinis objectum. 251. Diversimodè facere adhærere hominem Deo, à fide, & spe. 252. Amorem proximi non distingui ab amore Dei. 254. Cur alius sit honor, qui debetur Deo, ab eo, qui debetur creaturæ, non autem amor. ibi. Hominem ex caritate seipsum diligere posse. 255. teneri ex eadem diligere corpus suum. 256. 257. Peccatores non diligere verè seipsos. ibi. Quâ ratione irrationalia possint diligi ex caritate. 258. Angelos esse à nobis ex caritate diligendos. 259. Non autem Dæmones. ibi. Peccatoribus quando non sint ei exhibenda signa amicitiæ. 259. Diligere inimicum dilectione in speciali, non urgente necessitate, pertinere ad perfectionem caritatis. 260. Non esse in præcepto, nisi in præparatione animi. 257. Denegari inimico signa specialis dilectionis, quando non possint. ibi. Quâ ratione sit magis meritorium diligere amicum, quàm inimicum. 269. Plus facere ad rationem meriti bonum, quàm difficile. 271. 273. Cur dicatur fides vincere mundum. 276. Ostendit Martyriũ esse actum perfectissimum, ut imperatur à caritate. 277. Caritatem esse excellentiorem fide. ibi. Non infundi secundùm capacitatem naturalium. 278. 279. 280. In via posse augeri. 281. 282. Solùm intensivè sumptam quoad habitum. 284. Non per additionem novi habitus. ibi. & 285. Actus hominis justi solùm disponere ad augmentum habitus caritatis. 285. 286. Quemlibet actum caritatis actu non augere caritatem, disponere tamen ad ejus augmentum. 286. 287. Mereri secundùm se caritatis augmentum. 288. Quando fiat hujusmodi augmentum. ibi. Actum dilectionis cadere sub præcepto. 293. Præceptum dilectionis non repugnare libertati. 294. Posse impleri in hac via, dupliciter posse Deum diligi ex toto corde. 301. 302. Ordinem caritatis esse in præcepto. *Docet*, non esse peccandum, ob bonum spirituale proximi. 305. 307. Quando quis teneatur pati in bonis corporalibus, ob absolutem spiritualem proximi. 309. Item ob corporale bonum ejusdem. ibi. & 310. Conjunctos, magis esse diligendos, quàm extraneos. 312. 314. Quando parentibus, quoad pertinentia ad naturam, & vitæ conservationem, subveniendum sit ex caritate, potiùs quàm aliis. 315. 316.

316. 317. 318. *Docet*, Eleemosynam esse in præcepto. 321. 322. De quo sit facienda. 323. Quando, quibus, & à quibus. 325. 326. Qui non possint eleemosynam facere. pag. 326. 327.

Timor servilis, & humanus non est virtus. 217. Filialis, & castus à ratione virtutis prorsus non excluditur. ibi. Non opponitur Spei theologicæ. ibi. & 218.

V

VEritas prima in dicendo est objectum formale *Quo* fidei divinæ. 3. Diversimodè se habet ad Theologiam, & prophetiam, ac ad fidem. 6.

Virtus theologica quæ dicatur. 219.

Usus vestium, rituum, cæremoniarum institutarum ad falsam Religionem protestandam, non est licitus Fideli, ut occultet fidem. 118. 119. 120. Objectiones solutæ. 120. 121. Usus vestium, vel signorum Infidelium quando sit licitus, & quando non viro Fideli. 126. 127.

Uxor quâ ratione magis sit diligenda, quàm parentes. 317. 318. De quibus possit facere, vel non facere eleemosynam, & quando. 327.

LAUS DEO.

Vidit